


Linea Una et Incurva recta est.

Linea Una aqua est.

Linea recta curua est Incontinuabilis

seu Non pt. esse Una et eadem.

Linea Una et non-recta curua est.

Linea Curua, aqua est quia Una est

qd n magis aequum et aequabile quam qd

Unum est.

In naa Nihil In-naturaliter, tollit naa sue o Naalis est qui Negat Sciens to Ens Unum Naa.

——— Nihil Nonnaturaliter

——— nihil Insipienter.

——— Nihil Improuidenter.

——— Nihil sine ratione naali.

Nihil non in ratione.

[illegible] la loy du plus fort est une loy sans Raison.

[illegible] [illegible] qui [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Radices et Illationes.

Naa [illegible] qui [illegible]. Jus regula.

Jus Diuinum [illegible]. Jus prudentia.

Jus Naale [illegible]

Le tout d'un bon esprit, et de [illegible] [illegible] ses idées.

Irregulare resolubile est in regularitatem Causarum suarum.

Nihil excedit regulam.

Materiale antis Nulla est forma antis
Materiale nunc Nulla est forma nunc
Maale antis o Invenit locum ... arti ... forma anti
maale antis o Invenit locum ... ... forma ...
cuprum maale Statuarie antis o Invenit locum ... Statuarie ... forma ...
cuprum maale Gouvernorie antis o Invenit locum ... Gouvernorie ...
at quod Nominat materiale. ego annullo hoc ...
Non cito, Non ... Materiale, o alligo rationem
Materialitatis hujusmodi Non ... hac via hoc nomine
Je dict de cela ... Nullo.

Si ... ... est forma Judicande est forma ...
Si est forma ... est forma Ratiocinande ... Sanctificande corpus.

motum esse Imprincipiatum Inradicatum Inoriginatum Interne, sive ab Interno
Loc Raisons du droit. — sed forte Non esse Imprincipiatum Externe, sive ab Externo.
Item motum esse In-nouum sive Æternum

Recte dixit antis formam et rationem qui enim non ignoscunt formam sunt sine ratione seu ratione destituuntur. qui sunt sine ratione seu qui rationem tollunt, athei sunt ... àxelladisor. habeat caput ventum suum.
Rationem respiciunt. Quodlibetarii sunt, Jus omne tollunt.
Jus gn. Jus naale est ut noa. Jus positivum est ut ars seu determinatio seu applicatio seu modificatio Jurisnaalis.
Jus generis. obeir est executer un ordre — mobile nititur fixo.
Jus persona. — on n'estime les choses q; par le principal.
le principal Visite, le principal motif.
le en passant, le en mesme temps, le par même moyen, subsistentes.
On ne fait point de compte d'une visite en passant, d'une Visite qui n'est Exprès, de dessein, l'on n'en a d'obligation qu'au principale visite
ce qu'on n'en merite pas une toute Exprès.

non est ~~aequatio~~ Reductio Inter honestum et non honestum

~~Sic~~ Ratio nunquam abire potest In naturam non rationis

~~1°.819~~ Scientia non potest deiici ad opinionem, nedum ad errorem

nec Iure potest Opinio gaudere privilegiis Scientia.

1°.818 Virtus non potest deiici ad Vitium

veonia fallit sed non est falsa quoniam non

ipsa sed abutens ex malo [illegible] fallit.

8 [illegible] 3

Philoſophia Naturalis

REFORMATA.

ID EST,

PHILOSOPHIÆ ARISTOTELICÆ ACCURATA EXAMINATIO AC SOLIDA CONFUTATIO ET NOVÆ AC VERIORIS INTRODUCTIO.





Per Gerardum ac Arnoldum Botios, Fratres, Hollandos,

MEDICINÆ DOCTORES.

Studeo Veritati Non opinioni. non Vanitati

Nolim Martyr esse Opinionis sed Fidei, sed Scientiæ sed Veritatis.



1410 ... nobilis et discretus vir magister in artib., sacræ theologiæ professor canonicus ... Collegii de Sorbonâ ... beatæ Mariæ Virginis


Dublinij in Hibernia,

Ex Officinâ Typographicâ Societatis Bibliopolarum.

Anno nati Christi M. DC. XLI.

MENSE JULIO.





REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, *JACOBO USSERIO,* ARCHIEPISCOPO ARMACHANO, TOTIUS HIBERNIÆ PRIMATI,

GERARDUS & ARNOLDUS BOTII, *S.P.D.*



Eque rem insolentem facimus, *Amplissime Præsul,* qui librum hunc, jam alterius Illustrissimi Herois nomini à nobis inscriptum, tuo quoq; dicamus; siquidem in promtu sunt exempla multorum ac sapientum virorum, qui idem factitarunt: & justissimam habuimus causam, quare ita nobis faciundum existimaremus. Quum enim plurima maximaq; in nos beneficia contuleris, & quidem alterum quoq; nostrûm ante aliquot annos honorificis conditionibus in Hiberniam evocatum (longè aliud iter tunc, atq; in Patriam reditum meditantem) prolixe admodum habueris, atq; propensissimo animo, omnibusq; veræ ac summæ benevolentiæ indicijs exinde jugiter prosecutus sis: committere non potuimus, quin hoc saltem gratitudinis nostræ monimentum extare vellemus, atq; publicè, quantum tibi deberemus, testatum facere. Neq; verò alienum à te videri potest hoc opus, qui tantus es in Philosophia

quoque

quoque, atq; in omni humaniorum literarum parte, acsi totâ vitâ hoc tantùm egisses, atq; ijs studijs totum te dedidisses: quum tamen is sis Theologus ac Episcopus, qui non gradu ac dignatione magis, quàm operibus ac meritis, principem in isto ordine locum obtineas. Namq; ut nihil dicamus de rara admodum, & hostibus quoq; deprædicata vitæ morumq; sanctimonia; ac de egregijs & nervosissimis scriptis, propugnandæ contra adversarios divinæ Veritati publicatis: quis satis celebraverit sedulam tuam ac laboriosissimam in docendo Christi populo, inq; annunciando Dei verbo assiduitatem: cui muneri ita semper (nullis honoribus mutatus, contra quàm in alijs plerisq; videmus) incubuisti, ut nullo unquam prætextu, ne adversæ quidem valetudinis, quamdiu ea non prorsus prostrata esset, & ubicunq; locorum agens, vacationem ab eo tibi esse volueris, neq; committere, quominus singulis diebus Dominicis sacrum suggestum conscendens, Fidelium Gregem cum cum cura de rebus ad salutem æternam pertinentibus instrueres, atq; efficacissime cohortareris. ad quod exemplum si se composuissent permulti de isto ordine, qui nunc haud contenti neglexisse penitus ista ad functionem suam præcipue pertinentia, omnem insuper operam suam in adulteranda atq; destruenda vera Religione collocarunt; haud tantum odij atq; invidiæ tum sibimetipsis, tum & universo Episcoporum ordini in Anglia conflavissent, neq; tanta unquam in eum tempestas ibi coorta fuisset: quæ nunc nisi eo de medio sublato, atq; penitus extincto, videtur finem non habitura. Nos Dominum Iesum comprecamur, ut & ista, quâ optimum, componat; & tibi, qui adeo fideliter ipsi inservis, omnia vera bona abunde largiatur. Londini 30. Iulij; Dublin 12°. Iulij: Anno Christi CIƆ IƆ XLI.

NOBILISSIMO
ATQUE
ILLVSTRI HEROI
ROBERTO SIDNEY,
COMITI LEICESTRIÆ,
VICECOMITI LISLE,
Baroni de Penshurst,
HIBERNIÆ PROREGI.

GERARDUS & ARNOLDUS BOTII, *S. P. D.*



Fferimus tibi, Excellentissime Domine, *Philosophiæ Reformatæ opus, eo ipso tempore publici juris factum in Hiberniæ Regno, quo tu à Serenissimo nostro Rege Carolo ei regundo destinatus es, atq; ex omni Procerum agmine delectus, qui Insulam istam, prioris temporis iniquitate varijsq; miserijs summopere afflictam atq; languentem, sapientibus ac justis consilijs tuis reficias recreesque; atque omnibus, quæ in eâ vitiosa aut labefacta, reformatis atq; in melius*

¶ 3 *restitutis,*

restitutis, pristinam fœlicitatem, imò pristinâ majorem, atq; adeò planè novam, ipsi instaures atq; stabilias. Quod ingens beneficium sicuti certa cum spe à te, cum bono Deo, expectant omnes probi, atq; ab eximia ista pietate, integritate, prudentia, alijsq; raris ac maximis dotibus, quibus summam tibi domi forisq; celebritatem comparasti: ita avidissimis animis eum exoptant diem, atq; admoveri anxie desiderant, in quo præsentem te intueri liceat, atq; pedem ponere in possessionem beatæ istius conditionis, quam à te atq; sub tua gubernatione sibi pollicentur. Quanquam autem Viro Principi, & tot tantisq; negotijs districto, minus aptum videri possit scholasticum hoc munus: summa tamen tua humanitas, & eruditio quoq; haud vulgaris, ac quæ vel inter homines nihil aliud quàm literatos emineret, quam ore plurimorum in te prædicari audivimus, animum nobis addiderunt, ut auderemus hoc qualecunq; scriptum, sed Veritati tamen (quacunq; in re haud contemnendæ, & tibi unicè charæ) eruendæ atq; illustrandæ dicatum, tuo amplissimo nomini inscribere, atq; sub tanti tituli umbra in hominum manus emittere: in quo siquid temeritate peccatum est, ejus rei culpam sedulo deprecamur, ac nos nostraq; omnia tuo benigno favori suppliciter commendamus. Londini, 3°. Iulij: Dublini, 12°. Iulij: Anno Christi 1641.

PRÆFATIO,
Operis originem ac rationem exponens.

ALMÆ ACADEMIÆ LVGDVNO-BATAVÆ

GERARDVS ET ARNOLDVS BOTII,
FRATRES,
IPSIUS QUONDAM ALUMNI,
S. P. D.



Vum in illustri Gymnasio Vltrajectino, ubi non tantùm utriusq; Linguæ, sed & Artium Liberalium cognitio diligenter traditur, & in quo nos studiorum tyrocinium posuimus; post perceptam Linguam Latinam atq; Græcam, & Rhetorico quoq; ac Logico stadio decurso, ordine ad Rerum Naturalium disciplinam pervenissemus: unà cum eâ magna quoq; Aristotelis admiratio nobis instillata fuit, tanquã Naturæ summi adeoq; unici Mystæ, nihilq; prælectum aut expositum, quàm quod ex ipso haustum esset; neq; quicquam æque inculcatum, quàm desipere quicunq; ob eo in Naturæ investigatione discordarent: quorum propterea vix nomina nobis tunc cognoscenda putavimus, nedum ut scripta eorum nobis tractanda aut vel inspicienda existimaremus. Hoc in Aristotelem studium, atq; reliquorum, qui ab eo dissentirent, aversatio, duravit nobis etiam, postquam in tuum, Alma Mater, sinum nos recepimus, atq; ibi Hippocrati ac Galeno nos in Medicinę disciplinam tradidimus. Quippe & inter initia, dum Physiologia (à qua Medicinam omnes, qui methodice eam tractant,

ctant,

ctant, auspicantur) operam damus, & postea quoq; quando jam ad ulteriora in studio Iatrico provecti, sic quoq; Physicis multum diligentiæ multumq; succisivi temporis impendebamus; nihil vel publice ex cathedris, vel in privatis prælectionibus, audivimus, unde pristina nobis opinio minueretur: nisi quòd mirati interdum sumus, tam altum esse apud Galenum de Forma substantiali silentium. qui tamen scrupulus haud magnopere nos vexabat, neq; ut altius ea de re cogitaremus permovebat, cum videremus Galenicos omnes tanto consensu pro confessa sumere Aristotelicam de Formis doctrinam.

Sicuti autem omni isto tempore nihil ex Præceptoribus audivimus, quo de pristina super Aristotele atq; Aristotelicis dogmatis sententia deduceremur: ita neq; in jis Autoribus, quos ipsi per nosmet evolvebamus, quicquam offendimus, quod eam labefactaret. Namq; ut reliquos, Aristoteli penitus mancipatos, omittamus; Fernelius & Sennertus (quorum scriptis inter Recentiores, sicuti Galeno inter Priscos, unice delectabamur, diurnâ nocturnâq; manu ea terentes, & legentes ac relegentes; sicuti hodieq; ea merito plurimi facimus) exhibebant quidem nonnulla, imò posterior satis multa, ab Aristotele nunquam prodita, & ipsius philosophiæ superaddita; sic tamen ut fundamenta ipsius relinquerent inconcussa, nullumq; ex præcipuis ejus decretis subverterent aut convellerent, sed ea passim pro veris ac certis usurparent, eaq; velut talia sermonibus suis, etiam quando longius progrediebantur, & res ipsi intentatas incognitasq; explicare adoriebantur, substernerent.

Interea quoq; cum ipso Aristotele interiorem, ut sic dicamus, notitiam contraximus; neq; contenti amplius, uti in gymnasio prius, ac postea inter Medicinæ initia quoq; feceramus, per Interpretes eum intelligere, ac placita ipsius cognoscere: ipsum loquentem audire voluimus, ipsiusq; scripta penitus atq; accuratissime perlustrare, & in plerisq; ne simplici quidem aut iterata lectione defungi: unde, atq; ex assidua lectione Scaligeri, quem summum Aristotelis admiratorem, atq; acerrimum propugnatorem, præ cæteris omnibus Peripateticis unice charum ac tantumnon in delicijs habebamus, atq; jugiter versabamus; tantopere nobis crevit ille in Aristotelem inq; ipsius

ipsius physiologiam affectus, ut absq; ulla hæsitatione omnia ab ipso tradita (nisi quæ directe cum Religione nostra ac Divina Veritate pugnarent) pro verissimis amplecteremur atq; adamaremus; ideoq; operam duntaxat nos lusuros arbitraremur, si ad lectitandos ipsius adversarios diverteremus, ullumve ipsorum scriptis tempus insumeremus. Itaq; toto eo aliquot annorum spatio, quos apud te, Charissima Mater, morati sumus, ne unum quidem eorum, qui contra Aristotelem in Physicis sentirent, evolvimus, aut vel leviter delibavimus, aliterve quàm solo nomine omnes istos cognitos habuimus.

Ita educati atq; instituti, si mirarìs quomodo quare-ve postea adeo mutaverimus, atq; ab Aristotele, in quem tanto affectu tantaq; veneratione nos imbueras, tantopere diversi abierimus, ac liber iste, quem tuo sapienti justoq; judicio debita cum observantia sistimus, manifestum facit: audi nunc aquis, quæsumus, auribus, omnem rem breviter, quantum ipsius magnitudo permittit, narrantes, idq; eadem cum simplicitate, qua alteram partem prius, & quas colendi potius atque defendendi Aristotelis quàm insectandi aut lacessendi causas habeamus, ingenue exposuimus.

Quum peracto Medicinæ studio, ejus factitandæ ac docendæ autoritatem & insignia, post debitum examen, ac solennia in isto casu specimina exhibita, è manibus tuis accepissemus; & relictâ patriâ in Angliam, ac Regiam ibi urbem Londinum, nos contulissemus, ibiq; exercendæ Arti statim nos applicuissemus: per unum alterumq; annum, dum Praxeos initia totos nos occupatos tenent, omnemq; animi nostri intentionem in se vocant; atq; à studijs istis merè theoricis penitus abducti, Physicas disputationes perrarò, nec fere nisi oblectandi animi gratia, in congressibus atq; inter deambulandum, tractamus: deferbuit sensim ardor ille, Juvenum animis in medio studiorum cursu adeo familiaris in Præceptores suos, quo Aristoteli atq; Aristotelicis placitis prius nos addixeramus. & temporis decursu Chymicis quoque, à quibus prius instar pestis abhorrueramus, æquiores nos præbere, ac commentarios ipsorum

introſpicere cœpimus. Ab iſtorum nonnullis cum Ariſtotelis dogmata mire exagitari videremus; et quotidianâ experientiâ, dum exorientes ſubinde difficultates haudquaquam liquido ex Ariſtotelis Principijs expedire quimus, illos haud prorſus vana afferre deprehenderemus: primò quidem hoc tantum à nobis impetravimus, ut crederemus non omnia adeo ſana certaq; eſſe in Peripato, ac hactenus ſenſeramus. Paulatim autem ulterius progreſſi, & veras rerum cauſas indies ſolicitius rimantes, quum magis ac magis nullum in Ariſtotelica Phyſiologia difficultatum exitum inveniremus; omneſq; ſolutiones, principijs ipſius ſuperſtructas, labare, & vix ad tenuiſſimam probabilitatem, ſiquis penitus excuteret, procedere animadverteremus: oculos tandem attollere auſi ſumus contra iſtam tantopere nobis prius dilectam, ac tot ſeculorum conſenſu approbatam Philoſophiam, & in qua tantum ſtudij ac laboris ſumſeramus. & diſcuſsâ veluti caligine, quam longa conſuetudo, & imbibita ἀνεξετάστως per tot annorum ſeriem doctrina, aciei noſtræ obduxerat; omniq; affectu, quo antea cæcati fueramus, ſepoſito: non modò probationes ac collectiones ex Ariſtotelicis principijs ductas, ſed ipſa quoq; illa principia in dubium revocare, & tot de cauſis ſuſpectam jam ipſorum ſoliditatem propius explorare, atq; ſevero Veritatis examini ſubjicere aggreſſi ſumus: id quod non paucorum dierum aut menſium, ſed longè plane temporis opus fuit; nobis omnes vacuas horas, & quidquid otij nanciſci potuimus, in eam rem conferentibus.

Quanquam autem ita hic nos geſſimus, ut Ariſtoteli quantum pote faveremus, atq; in omni diſquiſitione decreta ipſius pro virili tueri conaremur, ab ijſq; nunquam nos niſi inviti, atq; aperta Veritate convicti, divelli pateremur: ita tamen uſu venit, ut pleraq; omnia pro infirmis, omniq; Veritatis atq; idoneorum argumentorum fulcimento deſtitutis, condemnare atq; deſerere coacti fuerimus. Et quum apud Chymicos quoque, qui primi Ariſtotelem nobis ſuſpectum reddiderant, & à quibus propterea omnia meliora expectanda jure videbantur, pleraq; nihilo præſtantiora aut firmiora, cunctaq; valde incerta, & multa ſummè futilia aut monſtroſa comperiſſemus, & vix quicquam in ipſorum libris occurreret, quod animum expleret:

deſperatio-

desperatio nos cepit Veri hac Philosophiæ in parte unquam inveniendi; adeo quidem ut omni de manibus physiologiæ studio deposito, diu de eo ne cogitaremus quidem, aut inter nos loqueremur. Sed quum veterum Amorum, & quidem in negotio tantam tamq; arctam cum Medicina cognationem habente, non possemus penitus oblivisci; animusq; recurrentibus ac subinde ultro ingerentibus se de eo imaginationibus inquietatus aliquoties, cœpisset seipsum languoris coarguere atq; ignaviæ, si rerum naturalium originem atq; causas adeo in obscuro demersas putaremus, ut nulla ingenij indagine, nulloq; animi nisu vestigari possent: spem nonnullam tandem cepimus, aliquid efficiendi, si toto pectore in hanc curam incumberemus. Itaq; quantum succisivi à Medicinæ praxi temporis nancisci potuimus, huic negotio impendentes, quum intra tempus haud ita multum, & post primas statim dissertationes, veluti per nebulam nonnihil tamen lucis conspicati essemus; hoc successu animati, ad alia, & inde rursus ad alia perreximus; donec tandem toto hoc veluti saltu Naturalis scientiæ peragrato, justum ac magnum doctrinæ physicæ corpus efficeremus. id quod sane aliquot annorum labore nobis constitit: quippe quibus statutum erat, non rudem ac informem fœtum, & qui postea in multis retractandus nobis veniret, foras præcipitare; sed omnia prius, quantum ejus fieri poterat, limare atq; expolire. Hoc autem ut consequeremur, istam fere consuetudinem observabamus. Singulis congressibus (qui post peracta Artis opera plerumq; quotidiani, interdum duos pluresve dies habebant interjectos) unum aliquod caput, unam-ve quæstionem pertractare solebamus, omnibusq; diligenter pensitatis, tum quæ ab Aristotele & Aristotelicorum præstantissimis (è quibus excepta proprio labore omnia fere, quæ alicujus momenti essent, atq; in certas classes distributa, ut unumquidq; quærentibus præsto esset, in promptu semper habebamus) affirmarentur, tum quæ Veritas ipsa dictare videbatur, id seligere ac arripere, quod maxime nobis probabile appareret. Quod autem prima velitatione sic constitueramus, non id ita linquendum existimabamus; sed proximis colloquijs quidcunq; contra objici posset excogitabamus, atq; in medium afferebamus: quæ omnia si solide, atq; ita ut nobismetipsis (qui minime favorabiles proprijs conceptibus,

valde difficiles ac pro veritate quodammodo morosos nos præbebamus) plene satisfaceremus, diluere valebamus; rem ita, uti primitus eam decreveramus, sinebamus. Sin verò, & siquid non solubile se offerret: mutabamus, aliudq́ magis probabile circumspiciebamus. neq́ unquam dogmata nostra, & contrariorum dogmatum confutationem, fingere ac refingere cessabamus, donec invenissemus id, in quo animus tuto acquiesceret; & contra quod nulla occurreret difficultas, quæ non repelli ac redargui posse nobis videretur. Hoc pacto, & labore ac tædio incredibili, concinnavimus tandem, atq́ ad umbilicum, priusquam invicem discederemus, perduximus hoc Philosophiæ Naturalis Reformatæ opus; cujus tituli atq́ appellationis causam non est ut verbose exponamus, quum ipsa sese satis clare manifestet. Et primo quidem libro, quem nunc publico damus, ea tractantur, in quorum nonnullis jam ante nos quidam glaciem fregerunt, eandemq́ nobiscum sententiam tutati sunt: à quibus tamen haud ita multum nos adjutos, nihilq́ prorsus ex ijs huc esse transcriptum, comperiet quisquis nostra cum ipsorum scriptis contulerit. & sane nulli ipsorum ante inchoatum hoc opus, primiq́ haud prius quam magna ipsius parte jam perfecta, reliqui non nisi in fine, aut eo jam prorsus consummato, in manus nostras venerunt, aut à nobis inspecti fuerunt. In reliquis autem libris (quos isti submittemus, prout opportunitas dabitur) soli fere incedimus; & non modò diversum ab Aristotelico, sed & plane novum Philosophiæ genus introducimus: tam in secundo ac tertio, ubi de Materia Elementisque, & de Natura ac Proprietatibus Rerum; quàm in quarto, ubi de Generatione ac Caussis Generantibus, omniq́ Efficientium varietate; & in quinto quoq́, ubi de Anima ejusq́ Facultatibus agitur.

Quid nos moverit, Charissima Mater, ut ab Aristotele discessionem facientes, Novam hanc Physicam conderemus, quemq́ ea in re modum ac ordinem custodierimus, succinctè simul ac verè narravimus: cui orationi nostræ, ab omni fuco ac falsitate alienæ, fidem te adhibituram speramus; ac proinde etiam æquo animo laturam, quod relicta eâ, ad quam nos instituerat, Physices disciplinâ, Novam ac propriam excogitaveri-

verimus: quum planum fiat ex supradictis, quàm non leviter ac temere, & quàm deliberato consilio viam hanc institerimus. Quod siquis credere malit, ambitione aut novitatis pruritu nos ad hoc scribendi genus accessisse, is nihil aliud nisi propriam scævitatem ac κακοήθειαν prodet; qui postulet homines, toto vitæ ac morum genere à cunctis fallacijs procul remotos, mendacij reos agere in eo, quod sincere à se dictum profitentur, haud alijs ductus argumentis, quàm quæ prava suspicacitas ipsi suggesserit. Namq; etiamsi omnia nostra, & quæ contra Peripateticam Philosophiam afferimus, & quæ pro proprijs invehimus, everti atq; expugnari possent; non plus tamen inde sequeretur, nisi deceptos nos fuisse, ac dum alios erroris arguimus, ipsos in errore versari: quare quum nihil sit inter homines vulgatius, veniam id sane apud omnes æquos Iudices meretur. neq; aliud in omni hoc disputationum atq; disquirendæ Veritatis studio culpandum venit, quàm siqui aut sponte ac libenter errant (si modò tales ulli inveniuntur) aut stultissimis nugis adhærentes, Veritati inepte vel malitiose adversantur; eiq; etiam, ubi planissime convicti sunt, neq; solidi quicquam habent quod reponant, pertinaciter tamen reclamant: à quibus vitijs mores nostri quàm longissime abhorrent. quippe sicuti ingens hoc opus, immensumq; laborem, optimo animo, soloq; Veritatis propagandæ studio suscepimus: ita promtissime, quandocunq; meliora edocti fuerimus, manus dabimus; omnesq; errores, quorum coargui potuerimus, relinquemus ac ejurabimus: neq; unquam inhonesto noxioq; pudore à corrigendis nobis ac nostris absterrebimur. Qui autem primo statim aspectu, & ob idipsum quod Nova sunt, hæc condemnabunt; & ne audienda quidem, quia à Vetustis & tanto ævo receptis placitis desciscunt, pronuntiabunt (quales non defuturos certi sumus) eos nos commiseratione potius quàm responso dignos existimamus: quum omnium ingeniorum infelicissima sint, quæ Verum à Falso haud aliâ quàm longævitatis aut novitatis notâ secernere valent; ullam-ve Vetustatem Veritati præscribere posse autumant, aut opinionem quamcunq; ob id tantùm, quia recens est, repudiandam. Quippe nihil in rebus humanis est valde vetustũ: & quæ in ijs sunt vetustissima, aliquando recentia fuerunt.

SUM-

SUMMA LIBRI.

Divisus est primus hic liber in duo Capita, ac utrumq; Caput in quinas Sectiones; quarum Sectionum quæq; in plures Paragraphos est distincta. Ut autem compendio noscatur, quid hoc libro tractetur, inspiciantur Breviaria Paragraphorum, singulis Sectionibus præmissa: quod ut promtius fieri possit, indicamus hic loca, ubi quæq; incipit; appositis quoq; uniuscujusq; Titulis, unde statim ipsarum argumentum æstimari possit.

CAPITIS PRIMI

CAPITIS SECUNDI

Perlegi hunc librum *De Philosophiâ naturali reformatâ* à doctissimis *Gerardo & Arnoldo Botijs* fratribus magno judicio, & libertate verè philosophicâ conscriptum; In quo nihil reperio quo minus summâ cum utilitate imprimatur.

ED. PARRY S. T. D.
Reverendiss. in Christo Patri ac Domino D. Archiepiscop. Dublin. Sacellanus.

Jan. 18. 1640.
1641.

PHILOSOPHIA NATVRALIS REFORMATA.

CAP. I.

De Principijs & Causis ARISTOTELIS opinio, examinatur.

SECTIO PRIMA.

I. Substantia Naturalis, subjectum Physicæ. II. A Principiorum tractatione, Physica ordienda. III. Confusa Aristotelis tractatio de Principijs ac Causis. IV. Mirificæ ac frigidissimæ excusationes ab Aristotelicis allatæ, ad hunc Magistri errorem defendendum. V. Alij non excusant, sed callidè dissimulant hunc errorem. VI. Jam ante nos quidam notaverunt istum Aristotelis errorem; quorum justæ censuræ nequicquam se opponit Piccolomineus.

PHysicam disciplinam esse scientiam, quippe quæ in contemplatione tota occupatur, cùm & per se manifestum sit, & à multis fusè disputatum; non est ut nos huic disputationi immoremur, quippè quibus nihil minùs propositum est, quam aliorum dicta otiosè repetere. Cùm autem in omni scientia nihil prius cognosci debeat, quàm proprium cujusq; subjectum, quod-

Cap.I. nam sit Physicæ subjectum ante omnia constituendum est: quâ quidem de re multùm superioribus temporibus digladiati inter se sunt Peripatetici. nunc autem omnes in illam fere convenerunt sententiam, corpus naturale esse hujus scientiæ subjectum: Id quod & nobis non improbatur, dummodò ritè sumatur corporis vocabulum; néque ita anguste, quomodò à Peripateticis sumi solet. Reverà enim & Angeli sub eo comprehendi debent, & Mentes quoque humanæ, quæ proinde duplici jure cadunt sub considerationem Philosophi naturalis, quum & partes sint ac principia corporum naturalium, quatenùs hominem integrum unà cum corpore peculiariter dicto constituunt; & ipsæ quoque sunt corpora naturalia, in quantùm suam seorsim habent consistentiam, ac per sese considerantur. Certè & Angelos naturam habere, & Mentes (ac tanto magis Cœlum & sidera, de quibus multi inter Aristotelicos id negant) ex ijs, quæ de natura dicturi posteà sumus, manifestum fiet. Corpora autem dicimus & Angelos & Mentes, quia nullam extra solùm Deum credimus esse substantiam, quæ non suo modo sit corporea, suamq; habeat quantitatem, sive, quod idem est, dimensiones. Quodsi igitur ita ampla tribuatur corpori acceptio, tunc & ipsi assentimur, Corpus naturale esse hujus scientiæ subjectum. Sin verò ex more Peripati corporis vocabulum ad solas substantias sensibiles astringatur; tunc non possimus ijs accedere, qui corpus naturale assignant pro Physicæ subjecto; sed aliud generalius pro eo substituendum est, dicendumq; Scientiam hanc non Corpus naturale, sed Substantiam naturalem pro subjecto habere.

II. Quia autem, Naturale quid sit, nosci nequit, nisi cognoverimus, quid sit Natura; inde fit, ut Aristotelici pleriq; statim à Naturæ explicatione ordiendam esse Physicam tractationem censuerint. Contra autem Aristoteles à principiorum explanatione eam inchoavit, idq; ob eam rationem, quam in ipso operis principio proposuit, Quod ut in alijs scientijs contemplativis, ita in Physiologia etiam ab omnium primis & maximè communibus incipiendum sit. Et hoc

Cap.I.

nobis probatur magis. quùm principia ſint univerſaliora & communiora quàm natura; quippè quæ ſub principiorum ambitu comprehenditur, atq; ad illa ſe habet, uti ſpecies ad genus. Namq; & Natura eſt principium ejus rei, cujus natura eſt, ſicuti poſtea monſtrabimus; ac proinde Principium eſt Naturæ genus. Planè igitur perverſum, ac contra omnem bonæ methodi ordinem foret, à ſpeciei alicujus, ac non ab ipſius generis tractatione ordiri. Quod autem ad vulgatam illorum rationem pertinet, qui à Natura auſpicandum eſſe contendunt, ea certè nulla eſt. Quanquam enim concedamus, cognoſci perfectè non poſſe quid ſit Naturale, niſi cognito priùs, quid ſit Natura: ſufficit tamen Phyſicæ ſtudioſo, rudis illa ſui ſubjecti cognitio omnium animis inſita, quâ Naturale artificioſo opponitur, quaq; omnia creata vel generata, quatenùs talia, Naturalia dicuntur. Longè ſanè alia hîc eſt contemplativarum diſciplinarum, quàm factivarum ratio. Hæ enim in ipſo ſtatim limine pernoſcere ſuum ſubjectum debent, quod niſi fecerint, poſtea ubi id faciant, opportunitatem non habebunt: veluti in medicina niſi ante omnia doceatur corporis humani ſtructura, poſtea neq; in progreſſu Phyſiologiæ tradi illa opportunè poterit, nec in pathologia, neq; in methodo medendi. Aſt diſciplinæ ſpeculativæ cum non alium habeant ſcopum, quàm cognitionem ſui ſubjecti (quòd factivæ propterea tantum cognoſcunt, ut illo uti, vel in ipſum agere rectè noverint) non opus eſt ut in ipſo ſtatim veſtibulo tradatur accurata de ipſo doctrina, quod procedente inſtitutione fieri commodiùs poteſt. Nos igitur à Principijs incipiemus, idq; eo ordine, ut priùs Ariſtotelis ſuper ijs opinionem examinemus, poſtea quid nobis ipſis videatur, proponamus; quem ordinem ipſe etiam ſecutus eſt Ariſtoteles, quippè qui priùs veterum ſuper hoc negotio ſententias expenderit, quàm propriam aperiret; quos tamen nimis calumnioſè tractaſſe, non ſine cauſa pleriſq; videtur; quod ſuo loco pleniùs à nobis conſiderabitur: nunc ad ipſum veniamus.

III. Priùs autem de ipſo Principij vocabulo videndum;

Cap. I. quod cùm valdè sit ambiguum, & ad plurimas satis diversas adhibeatur significationes, quas & in exordio quinti Metaphysicorum ex professo, sed non omnes, enumerat, & in suis scriptis passim ac promiscuè usurpat longè plures; (qua de re dicetur à nobis inferiùs) oportuerat ante omnia positam hîc distinctionem, quo potissimum modo in Physiologia illud intelligendum sit, & quid à causa ac elemento differat: quod minimè fecit. Si tamen mens ipsius elicienda est è libris physicæ acroaseωs, dicendum; quòd causa illi fuerit generalior quam principium, ita ut hoc sub illa contineretur. Præcipua enim illa duo principia, Materiam & Formam, Causarum species facit; reliquas autem causas ab arctiore illa principij notione amovet; qua de re nemo dubitabit, qui primum Physicorum legerit, in cujus epilogo cùm posuerit hæc verba, Ὅτι μὲν οὖν εἰσὶν ἀρχαί, καὶ τίνες, καὶ πόσαι τὸν ἀριθμόν, διωρίσθω ἡμῖν οὕτως. *Quod igitur sint principia, & quæ, ac quot numero, ad hunc modum à nobis definitum esto,* satis declaravit, Efficientem & Finem, de quibus in sequenti libro agit, in isto autem verbum facit nullum, à principij notione se amovere, & ijs tantum, quæ illo libro posita ac pertractata sunt, Materiæ, Formæ & Privationi, appellationem hanc donare; quod & in clausula capitis septimi apertè profitetur, ubi hactenùs disputata in summam contrahens, concludit tria numero esse principia, Ἀλλὰ δὲ αἱ ἀρχαὶ τρεῖς, καὶ πῶς τρεῖς, καὶ τίς ὁ τρόπος αὐτῶν. *Sed quòd principia sint tria, ac quomodo tria, & quis modus ipsorum, &c.* Itaq; suus eum destituit conatus, qui cùm proposuisset à maximè universalibus incipiens, ad minùs universalia progredi, id nequaquam præstitit: quippe exorsus Physiologiam à Principijs, quam à Causis ordiri debuerat, cùm in Causarum complexu etiam Principia contineantur, ex ipsius doctrina. Non enim obest quòd Privationem, quam facit unam è Principijs, inter Causas nunquam reposuerit; cùm sub Materia eam quodammodo comprehendant cùm Aristotele omnes Peripatetici. itaq; in illud incidit vitium, quod fugiendum esse alibi ipse monuit, ut nisi maximè universalia prius dicantur,

a De Part. ca. 1. & 4.

tur,

tur, sæpiùs idem dicendum sit. nam qui primo hoc libro tot tantaq; de Materia & Forma dixisset; de ijs in secundo libro inter Causas agere de novo coactus fuit, cum illas faciat ubiq; Causarum species; in quam repetitionem otiosam, & plerisq; interpretibus magnæ perplexitatis autorem, nequaquam incidisset, si a Causis incœpisset, easq; ita divisisset, ut alijs principij ratio competeret, alijs minimè: quo facto integrum illi fuisset de utra vellet Causarum specie priùs tractare, vel de illa, cui genericam tantùm Causæ appellationem relinqueret, vel de ea, cui specificum Principiorum nomen imponeret. Cap. I.

IV. Hoc cùm non fecerit, maximam æstuationis occasionem sectatoribus suis objecit, qui animo non capiunt, cur quæ fecerat prius principia, ac sub isto nomine pertractaverat, postea inter Causas repetiverit; è qua difficultate ut se explicarent, geminum iter ingressi sunt, alij compendiosum & expeditum, ex toto illam dissimulando: alij longiùs & salebrosiùs, excusationes ac rationes investigando, cur ita sibi faciendum putaverit Aristoteles. De posterioribus est Zabarella, qui scribit, *Materiam & Formam ab Aristotele in primo Physicorum considerari, ut principia generationis corporis naturalis, in secundo ut principia motus & quietis, secundum quam considerationem competit eis nomen naturæ. Non enim omnibus corporibus naturalibus competere considerationem istorum principiorum, quatenùs corpus naturale ex ijs generetur & constet, quia cœlum Aristoteli ex his principijs genitum non sit, neq; ex ijs constet: ipsi tamen aptari illa posse, quatenùs in secundo libro considerantur; quia in ipso sit aliquod motus principium, formæ inferiorum analogum: itaq; totius naturalis philosophiæ verum initium sumendum esse à secundo libro physicorum: primum verò fuisse antepositum propter nostram faciliorem cognitionem, non quod re vera ad eos libros pertinuerit*: & similia repetit capite nono. Sed hæc excusatio, præterquàm quod alia multa continet non parùm absurda, in eo etiam vana deprehenditur, quòd præ- De Nat.scient. const. ca. 5.

Cap.I. supponit Aristotelem id de Cœlo sensisse, quod de eo sensit Averroes, nimirùm illud non ut nostratia hæc compositum esse ex Materiæ & Formæ, sed esse corpus simplex, in quo nulla talis compositio reperiatur. Hoc autem Aristoteles nuspiam in scriptis suis dixit, neq; hoc inter cœlestia ac nostratia corpora discrimen, quòd hæc composita sint è Materia & Forma, illa vero secus, ullibi proposuit; sed multis in locis planè contrarium dixit. Namq; primi de Cœlo, cap. 8. ex professo hac de re agens, demonstrare conatur, cœlum esse individuum, ac proinde ex materia & forma compositum, Ἐπεὶ οὖν ἐστὶν ὁ οὐρανὸς αἰσθητὸς, τῶν καθέκαστον ἂν εἴη· τὸ γὰρ αἰσθητὸν ἅπαν, ἐν τῇ ὕλῃ ὑπῆρχεν· ἕτερον ἄρα οὐδὲ ὁ οὐρανὸς, καὶ οὐρανὸς ἁπλῶς. καὶ τὸ μὲν, ὡς εἶδος καὶ μορφὴ, τὸ δ' ὡς τῇ ὕλῃ μεμιγμένον. *Quandoquidem igitur cœlum est sensibile, sequitur ut sit de numero individuorum. omnia enim sensibilia in materia existunt. aliud igitur est hoc cœlum, quam cœlum simpliciter : & hoc quidem [est] tanquàm Species & forma; illud autem tanquàm Materiæ mixtum.* Verum quidem est, hic voce Οὐρανοῦ non Cœlum tantum, sed totum mundum intelligi (quod pleriq; interpretes non animadvertunt) Attamen hæc ratio si ullum de toto mundo momentum habet; ejusdem quoq; roboris esse respectu ipsius cœli, apertum est. Quodsi Aristoteles aliter censuisset, alio quovis vocabulo potiùs, quam οὐρανοῦ, usus hic ad significandum mundum fuisset. Quod sicui hæc non satisfaciunt, is inspiciat secundi de Generatione & Corruptione nonum, ubi de solo cœlo agens, multo adhuc expressiùs eandem hanc ex materia & forma compositionem, quæ in nostratibus inveniatur, in ipso statuit, λεκτέον περὶ πάσης γενέσεως ὁμοίως, πόσαι τε, καὶ τίνες αὐτῆς αἱ ἀρχαί. εἰσὶν οὖν καὶ τὸν ἀριθμὸν ἴσαι, καὶ τῷ γένει αἱ αὐταὶ ὥσπερ ἐν τοῖς ἀϊδίοις καὶ πρώτοις· ἡ μὲν γάρ ἐστιν, ὡς ὕλη, ἡ δὲ ὡς μορφή. *Dicendum pariter de omni generatione, quot ac quæ sint ipsius principia. sunt igitur & numero æquales, & genere eædem, ac eæ quæ sunt in æternis & primis. una enim est,*

Cap. I.

est, ut Materia; altera autem, ut Forma. Qui locus adeò clarè continet Aristotelis super hac re sententiam, ut rectè Toletus in Commentarijs dicat, *Insigniter hunc locum facere contra Averroem, atq; Aristotelem hìc adeò manifestè materiam & formam eodem modo ponere in corporibus inferioribus & cœlestibus, ut nullam aliam expositionem patiatur, neq; ullo modo effugere possint Averroistæ, quin Aristoteles hoc loco ponat in cœlo intrinsecam compositionem ex materia & forma.* Quùm autem hisce in locis ex professo rem hanc tractet, magis inde mens ipsius petenda est, quam ex octavo Metaphysicorum, capite quarto, ubi aliud agens, & perfunctorie rem hanc attingens, non tamen asserit, cœlum carere materia, sed leviter de eo dubitat. Ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν μὲν, ἀϊδίων δὲ οὐσιῶν, ἄλλος λόγος· ἴσως γὰρ ἔνια οὐκ ἔχει ὕλην, ἢ οὐ τοιαύτην, ἀλλὰ μόνον κατὰ τόπον κινητήν. *Substantiarum autem quæ Naturales quidem sunt, sed æternæ, alia est ratio. fortassis enim quædam non habent materiam, aut non talem, sed duntaxat loco mobilem.* quibus verbis non tam materiam aufert à cœlo, quam ab ejus materia corruptibilitatem. neq; eum aliud sibi voluisse istis verbis, apertum est ex ejusdem libri capite primo, ubi cùm dixisset, omnes sensibiles substantias habere materiam, quæ materia sit subjectum omnium mutationum; & quæcunq; patiuntur substantialem illam mutationem generationis & corruptionis, etiam reliquas mutationes pati, nimirùm accretionem & imminutionem, alterationem & motum localem: subjungit, non tamen sequi, ut quæcunq; una duabusve istarum mutationum afficiuntur, obnoxia etiam sint mutationi substantiali. Καὶ ἀκολουθοῦσι δὴ ταύτῃ αἱ ἄλλαι μεταβολαί. τῶν δ' ἄλλων ἢ μιᾷ ἢ δυσὶν αὕτη οὐκ ἀκολουθεῖ. οὐ γὰρ ἀνάγκη, εἴ τι ἔχει ὕλην τοπικὴν, τοῦτο καὶ γεννητὴν, καὶ φθαρτὴν ἔχειν. *Et hanc quidem comitantur cæteræ mutationes. ast cæterarum vel unam vel duas hæc non [semper] comitatur. non enim necesse est, ut quod materiam habet localem, idem habeat etiam generabilem & corruptibilem.* quibus similia iterum scribit

12. Meta-

Cap. I.

12. Metaphys. 2. πάντα δ' ὕλην ἔχει, ὅσα μεταβάλλει, ἀλλ' ἑτέραν, καὶ τῶν ἀϊδίων ὅσα μὴ γεννητὰ, κινητὰ δὲ φορᾷ, ἀλλ' οὐ γεννητὴν, ἀλλὰ πόθεν ποῖ. *Materiam omnia habent; quæcunq; mutantur, licet diversam, etiam æterna illa, quæ non sunt generabilia, sed loco mobilia; non tamen generabilem, sed [mutabilem] de loco in locum.* planè igitur Aristoteli compositum esse cœlum ex Materia & forma isti quoq; loci, æquè ac illi priores, convincunt, cùm illi disertè materiam attribuat.; materia autem absq; forma subsistens, maximum sit in ipsius schola monstrum. Scimus quidem quomodo hæc Aristotelis testimonia eludant Averroes ac Averroistæ; dicentes ipsum cœli corpus vocari materiam, respectu Intelligentiæ motricis; aliaq; ad eundem modum. Sed hæc & planè fatua sunt, & ab Aristotelis mente prorsùs aliena; sicuti unusquisque, sine prejudicio istos aliosq; similes locos legens, fateri cogetur. ac proinde stare nullo modo potest excusatio illa à Zabarella allata; quippe quæ Aristoteli affingit ejusmodi sententiam, à qua ipse, quantùm ex ipsius scriptis apparet, fuit alienissimus. Multa autem adhuc alia ab alijs dicuntur, ad excusandum hunc Aristotelis errorem, cur de eadem re bis in duobus diversis unius operis libris docuerit, semel sub Principiorum, & rursus sub Causarum appellatione: cujus rei cùm veram originem, anteà à nobis traditam, ignoraverint, aut non perpenderint, mirum non est, si futilia admodùm omnes pariter protulerunt: quod sanè fecerunt alij non minus quàm Zabarella, quamvis alio atq; alio modo. Etenim Thomas dicit, agi in primo libro de principijs rerum naturalium, quæ essendi principia vocari solent; in secundo autem agi de principijs scientiæ naturalis, hoc est, de principijs cognoscendi, ut ex eo refert Zabarella capite 11. ejusdem libri, ubi admodùm verbosè etiam tractat, cur tractatio de causis in secundum Physicorum librum collata sit. Alia est ratio eorum, qui & Materiam & Formam aliam esse dicunt primam, aliam secundam; de illis agi ut de principijs, de hisce ut de cau-

sis;

fis ; ut latiùs videre est apud Velcurionem, qui istam opinionem amplectitur, & prolixiùs exequitur. Portius, referente Vicomercato, in priori rerum Principia, ut fiunt, in secundo, ut sunt, considerari existimat. Simplicius in secundo tradi propria substantialis mutationis; in primo de universali mutatione, tam substantiæ quàm accidentis, dictum esse. Philoponus, in primo præcipuè de Materia, parùm de Forma; in secundo præcipuè de Forma, parciùs de Materia agi. Cap.I. 1.Phys.ca. 14. & 15. 1 Princ. nat.3.

V. Plura afferri poterant, sed nos tædet infructuosæ operæ; itaq; ad alios nos convertimus, qui difficultatem hanc prorsus dissimularunt, inter quos sufficiat nominasse Conimbricenses & Vicomercatum. Illi enim proponentes Synopsim librorum Physicorum, dicunt in primo agi de tribus rerum Physicorum Principijs, Materia, Forma, & Privatione ; in secundo de Natura, & naturalium rerum Causis : ac postea deprædicant continuatam in Aristotelis Physiologia seriem, atq; omnium partium sese mutuò ac decenter excipientium, quasi in structuram unius corporis, conspirationem. Vicomercatus autem ait illum duobus istis libris totam de Principijs & Causis naturalibus tractationem esse persecutum, ita ut in priore de ijs egerit, quæ in re insunt, in altero etiam amplexus sit, quæ extra sunt posita, alia quædam de priore genere adjiciens, quæ libro primo fuerant prætErita; & hunc sequitur Magirus, qui Principia dividens in intrinseca & extrinseca, postquàm ad Causas pervenit, quas extrinsecorum Principiorum nomine designat, altum agit de Materia & Forma silentium. In fine proœmij. In procœmio, lib.1. 1 Princ.nat.3.

VI. Nihil igitur hi omnes viderunt; quod eo magis mirum, cum non defuerint ante nos, qui commissum ab Aristotele errorem detegentes, assererent Aristotelem pervertisse ordinem, quia communiora priùs sunt declaranda, Causæ autem declaratæ in secundo Physicorum, sint communiores Principijs declaratis in primo ; sicuti refertur à

Cap. I.

In Introd. c. 17

Piccolomineo: qui justissimæ huic censuræ putat se occurrere posse levissimis ratiunculis, quia in primo libro declarentur rerum Principia, ut fiunt; in secundo, ut sunt & cognoscuntur: prætereaq; Causam non esse simpliciter communiùs Principio, sed solum de pluribus dici. hæc autem nihili sunt, cum vana sit utraq; illa distinctio. absurdum enim dictu est, eadem principia aliter debere tradi, quatenùs per ea fit res, quam quatenus per ea est ac cognoscitur, cum hæc tria cohæreant indivulsè. Et Causam non esse priorem Principio, quomodo animal est priùs homine (hoc enim exemplum ponit Piccolomineus) nimis confidenter asseritur, cum æquè ac animal est genus hominis, ita Causa sit genus Principij, ex doctrina Aristotelis: quanquam revera aliter se res habet, ut posteà dicetur. Cæterum non alium in finem de Principijs, alium de Causis institutam esse ab Aristotele tractationem, manifestò apparet ex ipsius verbis; quippè quam in primo libro, acturus de Principijs, consilij sui rationem reddiderat, naturalem scientiam à Principijs inchoandam esse, quia τὸ εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίςασθαι συμβαίνει περὶ πάσας τὰς μεθόδους, ὧν εἰσὶν ἀρχαὶ, ἢ αἴτια, ἢ ςοιχεῖα, ἐκ τοῦ ταῦτα γνωρίζειν· Τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαςον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας, μέχρι τῶν ςοιχείων. *Cognitio & Scientia in omnibus Doctrinis, quæ habent Principia aut Causas, aut Elementa, provenit ex horum notitia. tunc enim nos unum quodq; nosse putamus, ubi noverimus primas causas, & prima principia, & usq; ad elementa:* eandem consimilibus verbis repetit in secundo, atq; tractationi de Causis præfationis vice præmittit: Επισκεπτέον περὶ τῶν αἰτίων, ποῖά τε καὶ πόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμόν· ἐπεὶ γὰρ τοῦ εἰδέναι χάριν τὰ φυσικὰ ἡ πραγματεία, εἰδέναι δὲ οὐ πρότερον οἰόμεθα ἕκαςον, πρὶν ἂν λάβωμεν τὸ διὰ τί περὶ ἕκαςον, τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ λαβεῖν τὴν πρώτην αἰτίαν, δῆλον ὅτι καὶ ἡμῖν τοῦτο ποιητέον, καὶ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, καὶ περὶ πάσης τῆς φυσικῆς μεταβολῆς, ὅπως εἰδότες αὐτῶν τὰς ἀρχὰς, ἀνά-

γειν

γειν εἰς αὐτὰς πειρώμεθα τῶν ζητουμένων ἕκαστον. *Considerandum de Causis, quales ac quot numero sint. quum enim hæc tractatio [instituta sit] gratia noscendi naturalia, ac non priùs nos aliquid novisse arbitremur, quàm perceperimus propter quid illud sit, hoc autem est percipere primam Causam; videlicèt nobis quoq; hoc faciendum est, tùm circa Generationem & Corruptionem, tùm circa omnem naturalem Mutationem: ut noscentes ipsarum Principia, unamquamq; quæstionem ad ea reducere conemur.* in quibus verbis fatali inconstantia vocabulum ἀρχὰς æquè generale facit ac ὕλα, & pro eodem sumit, quod & in primis illis primi libri verbis fecit, consensu plerorumq; interpretum; parvo errore, aut fortè nullo, nisi ipse magnum fecisset, duabus illis Causarum speciebus, Materiæ & Formæ, Principij nomen peculiariter ut proprium attribuendo. sed hoc passim in ipso animadvertere licet, quod de Platone observavit Laërtius, Ὀλ πολλάκις διαφέρουσιν ὀνόμασιν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένυ χρῆται· *quod sæpè diversis vocabulis ad eandem rem significandam utatur*: pro exemplo afferens Ideam, quam & εἶδος appellat, & γένος & παράδειγμα, & ἀρχὴν & αἴτιον. Hoc morbo, elegantiæ sermonis majorem curam gerendi, quàm exactæ rerum traditionis, nihil concessit præceptori suo Aristoteles: quippè qui variare sermonem malit, ac copiam ostentare, varia in eandem notionem vocabula usurpando, quàm idem sæpiùs repetendo, accuratiùs quidem sed incomptiùs res docere: quod interpretibus, minùs hoc perpendentibus, miros certè lusus creat; dum nescio quæ non mysteria inde sibi exsculpunt. sed hoc mittentes, ipsa ab Aristotele tradita Principia cujusmodi sint, sigillatim videamus.

SECTIO SECUNDA.

DE MATERIA PRIMA.

Materiam præexistentem requiri in omni generatione, cum Aristotele dixerunt veteres cuncti, quorum ipse super hac

præparatio. præ-paravi... faire provision de bois, de pierre, plâtre. provisionner.

Cap. I.

hac re sententiam nimis calumniosè detorquet. II. *De Materia prima Aristotelis opinio breviter exponitur.* III. *Materiam primam nullo argumento probat Aristoteles; Aristotelici tantùm uno, petito à mutatione substantiali; quod nullius est roboris, nisi positis Formis substantialibus.* IV. *Idem argumentum ampliùs refellitur: contra eos, qui Formas in uno composito ponunt.* V. *Contra eos, qui duntaxat unam; quia hoc posito, Nulla erit mixtio: & proinde, Non opus erit quatuor Elementis ad generationes, & consequenter, Perperam ab Aristotele reprehensi veteres, qui unum modo Elementum ponebant: ac, Vana omnia, quæ de Materia secunda dicuntur: & verùm, Quidvis fieri à quovis.* VI. *Quidvis fieri è quovis, posita Materia prima, & singularitate Formarum; ampliùs adhuc probatur.* VII. *Repetitur, & concluditur, Materiam primam non demonstrari per substantialem mutationem; si Formæ Elementorum in mixto maneant.* VIII. *A* μεταςοιχειώσεως *nequicquam probatur Materia, cum illa non fiat: quæ si fieret, omninò Materiam primam astrueret: contra Valesium.* IX. *Rami duo argumenta contra Materiam primam.* X. *Commentitiam esse Materiam primam, clamant innumerabiles de ea celeberrimorum Peripateticorum dissentientes, atque ex diametro sibi opposita, opiniones.*

Materiam aliquam præexistentem requiri in omni generatione, quæ apud nos fit (de Creatione enim alia res est, neq; de ea quicquam Aristoteles) quod ipse operosè quam laboriosè astruit in primo physicorum, libenter concedimus, & nemo sanus negaverit, ut non fuerit ipsi tantùm operæ ponendum in re omnium rerum certissima, ac quam nemo unquam in controversiam vocavit. certè Veteres ad unum omnes pro indubitato supposuerunt Physiologi, nihil ex nihilo fieri, aut in nihilum perire, neq; 1 Physic. 8. aliud sibi voluerunt, dicendo οὔτε γίνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν, οὔτε φθείρεσθαι, *nihil eorum, quæ sunt, generari, aut interire;*

Cap. I.

rire, quod nimis malignè in alium sensum detorquet Aristoteles, ac si simpliciter nihil nec oriri nec occidere putassent, omnémque generationem sustulissent; quod nemo tam amens ut afferat, nedùm ut id fecerint illi viri, οἱ πρῶτοι ζητήσαντες κατὰ φιλοσοφίαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν φύσιν τῶν ὄντων. *qui primi in philosophia quæsiverint veritatem & naturam entium*, quo encomio ipse eos afficit. Imò vel ex ipsius scriptis apparet, quid isto axiomate sibi voluerint. ita enim de eadem re scribit, 1 Metaphysic. 3. Ἐξ οὗ γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ ὄντα, καὶ ἐξ οὗ γίνεται πρῶτον, καὶ εἰς ὃ φθείρεται τελευταῖον, τῆς μὲν οὐσίας ὑπομενούσης, τοῖς δὲ πάθεσι μεταβαλλούσης, τοῦτο στοιχεῖον καὶ ταύτην τὴν ἀρχήν φασιν εἶναι τῶν ὄντων. Καὶ διὰ τοῦτο οὔτε γίνεσθαι οὐδὲν οἴονται, οὔτε ἀπόλλυσθαι, ὡς τῆς τοιαύτης φύσεως ἀεὶ σωζομένης. *Ex quo omnia entia sunt, & ex quo primo fiunt, ac in quod ultimum intereunt, ita ut substantia quidem permaneat, sed affectionum mutationem subeat; hoc dicunt esse Elementum atq; Principium entium. ac proinde neq; generari quicquam arbitrantur, neq; corrumpi, quum ista natura semper servetur.* Et quomodo illi negarent absolutè, quicquam aut fieri aut interire, quorum constat omnem disquisitionem de ortu rerum ac interitu fuisse, déque eorum modis ac causis investigandis; (περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς ὁ λόγος πᾶσιν αὐτοῖς, *omnium ipsorum pertractatio de generatione & interitu*, inquit ipse, in principio octavi physicorum) quod ipsum fecerunt non sine erroribus, sed non ita puerilibus, ac ijs affingit Aristoteles, & plerumq; minus magnis, quàm quos ipse commisit.

II. Certè de Materia plerosq; ipsorum sequaris minori cum periculo, quam Aristotelem cum sua illa Materia prima (quam tamen non ipse primus excogitavit, sed à Platone accepit, qui eadem fere omnia de ipsa opinatus est, ut è Timæo apparet) sentit autem, *Esse unam quandam atq; eandem omnium rerum Materiam, è quâ primâ omnia fiant*

Cap. I. *fiant, & in quam ultimam omnia resolvantur, cùm ipsa sit ortus expers & interitus; nullâ aliâ prædita differentiâ, nisi quam à Formis habet: per se enim esse omnis Formæ expertem, sed omnibus Formis recipiendis paritèr habilem, earumq; appetentem; nunquam autem in ulla sui parte vel ad temporis momentum per se solam subsistere, sed necessario semper sub aliqua Forma manere: esse enim ens potentiâ tantùm, non actu: imò esse puram potentiam, ita ut non possit à Deo produci (verba sunt Conimbricensium) aliqua substantia despicatior, quàm ipsa; proptereaq; cognitu difficillimam esse, ut quæ tota fugiat mentis nostræ captum: ipsam pati tantùm posse, omni agendi vi destitutam.* Hæc brevitèr est apud omnes Peripateticos recepta Aristotelis de Materia prima sententia, quam totidem ferè verbis ex ipsius scriptis excipias, præcipuè ex octavo Metaphysicorum, & primo Physicorum.

III. Talem nos Materiam nullam agnoscimus; eámque esse inane commentum, facile probare possumus; quanquam poteramus simplici negatione defungi, contra Aristotelem certè; qui *esse aliquam in omni generatione ac mutatione Materiam præexistentem*, in primo Physicorum probavit, rem nullius probationis indigentem, utpotè omnibus confessam: sed *eam Materiam esse in omnibus eandem, per se omnis Formæ expertem, atq; omnibus Formis suscipiendis idoneam*, neque ibi probavit, aut probare aggressus est, neque alibi usquam. Interpretes autem ejus probare illam satagunt, sed unico tantùm argumento, ducto à mutatione substantiali, quam solam esse medium, quo (1 De Materia prima. 5.) prima Materia ignota probetur existere, ex Averroe scribit Zabarella; idq; exemplo declarat Magirus: *Cibum converti in chylum, chylum in sanguinem, sanguinem in carnem, ossa, arterias, venas; eas rursus partes, intereunte homine, redire in sua principia, è quibus rursus herbæ oriantur, quibus bos pascatur; carne bovis vesci hominem, in cujus substantiam illa rursus mutetur. in hisce tot mutationibus cùm semper eadem maneat materia, subjectum illarum*

Cap. I.

rum vicissitudinum; necessario illam carere Forma propria substantiali, quia impossibile sit, duas Formas substantiales in una re concurrere. Sed hæc argumentatio statim corruet, nulliusq; esse momenti deprehendetur, si negaverimus id, quod in ea sibi sumunt, dari Formam substantialem. Hanc enim Hypothesin esse basin ac fundamentum istius ratiocinationis, præterquàm quod per se apparet, fatetur Suarez, qui præ cęteris Peripateticis diligenter hanc pro Materia prima probationem, à substantiali mutatione petitam, excolere aggressus est. totum autem super ista re sermonem ita claudit: *In his inferioribus substantijs, quoniam mutuò transmutabilia sint, rectè concluditur aliquod commune & primum subjectum. Vt autem concludatur, hoc subjectum esse verè materialem causam ipsiusmet substantiæ talium rerum, necesse est addere, illam mutuam transmutationem earum inter sese esse secundùm substantiam, & non tantùm secundùm accidentia; quia si in solis accidentibus transmutarentur, satis esset in eis dari primum subjectum talium accidentium, sive illud esset substantia simplex, sive composita, & sive esset unius rationis in omnibus, sive diversæ.* additq; *ad concludendum, quod detur materia prima, qualem Aristoteles posuit, probandum esse, quod corporum transmutatio substantialis sit, non accidentalis; quæ probatio in eo consistat, ut demonstretur dari Formas substantiales. Hæ enim si dentur, necessario dari materiam primam, qua sit subjectum earum, & cùm eis componat unam substantiam integram, quod est esse causam materialem substantiæ.* idémque repetit & in sequenti Sectione, §. 3. inquiens, *Si corpora generabilia non transmutantur substantialiter, nec differunt per substantiales Formas, sed per accidentia, aut diversos modos se habendi; reverà nulla datur materialis causa substantię, sed datur tantùm substantia simplex, quæ non est alia & alia essentialiter, sed una aliter & aliter se habens sub diversis accidentibus.* Nequaquàm igitur, confitente Suarezio, Materiam primam inferre licet ex mutationibus illis, quas cernimus in generationibus & corruptionibus rerum, nisi si dentur

Metaph. disp. 13. Sect. 1. §. 11.

Cap. I. dentur Formæ substantiales: quod etiam Fonseca non obscurè innuit, aiens, *inventionem primæ Materiæ sine inventione Formæ substantialis nequaquam posse absolvi.* 1 Metaph. 7. quæst. 1. sect. 2. Quùm autem nullas dari Formas nos in proxima sectione ostensuri simus, poteramus hac sola responsione esse contenti, ad diluendum hoc argumentum, quod unicum habent Aristotelici ad probandam Materiam primam.

IV. Verùm futilitas istius probationis tanta est, ut manente etiam illa de Formis substantialibus Hypothesi, everti tamen facillimè possit, & liquidò confici, aliarum quidem rerum mutationes nequaquàm id inferre quod ipsi volunt, & omnia tandem eo recidere, ut probetur Elementa inter se transmutari: quo non probato, reliquæ mutationes nihil planè eos juvent. Id ita se habere, quomodò nos dicimus, frustraq; aliarum substantiarum mutationes allegari, ad probandam ijs Materiam primam, patet ex ipsis Peripateticis, quorum magna pars & Elementorum Formas in similaribus, & ipsorum similarium Formas in magis compositis corporibus, ut stirpibus & animalibus, retinent. Et hæc planissimè est sententia Averroïs, tradita tùm alijs in locis, tùm 3. Phys. 31. quam non Fernelius modò approbat, sed & Aristotelici multi sequuntur. Imò hæc fuit ipsius Aristotelis sententia, partibus similaribus esse suas peculiares quibúsque Formas, à totius Forma diversas; quod tùm aliunde excipere licet, tùm è 1. Metaph. in fine, διὰ τὸν λόγον καὶ σάρκα εἶναι, καὶ ὀστοῦν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ὕλην. *propter Rationem sive Formam & carnem esse, & os, & reliquorum unumquodq́;, non autem propter Materiam.* Itaq; mutatio substantialis non probat Materiam primam, si licet in uno subjecto plures simul esse Formas; sicut isti volunt. namq; partes similares præter peculiares Formas, (ut tantisper ponamus Formas, & cum Peripateticis loquamur) quibus sibi est unaquæq; quod est, alteram insuper Formam habent, ipsam nimirùm Animam, per quam sunt partes viventis, & unum totum constituunt: & quomodo similaria

milaria in toto, ita Elementa in similaribus suas Formas retinent. Dicunt quidem illas Formas inferiores, quæ superiori aliqua Forma continentur, esse in potentia, non actu. sed hæc distinctio vana est; quia si dantur ullæ Formæ substantiales, non possunt illæ esse in subjecto aliter quam actu, sicuti infra hoc ipso in capite ostensuri sumus. namq; illud, *esse in potentia*, re vera nihil est aliud quam *non esse*. quarè cum dicant elementorum Formas in similaribus, & similarium in toto, manere; omninò dicunt, plures Formas esse in uno subjecto.

V. Et nè reliqui excipiant Peripatetici, sibi non eandem esse mentem, proptereàque apud se non valere illud argumentum à pluralitate Formarum in uno subjecto; dabimus rationes, ob quas & illis ita sentiendum sit, quomodo priores illi sentiunt. namq; nisi id statuatur, nihil erunt Mixta, nisi ipsa Materia prima cum peculiari istius Mixti Forma; & sic nè Mixta quidem appellare illa licebit, non magis quàm Elementa. nihil enim refert plura Elementa assumta fuisse ad tale aliquod corpus constituendum. desierunt enim esse plura, postquam exutis proprijs Formis, unam communem subierunt; proptereaq; vanissima erunt, quæcunq; de mixtione & temperamento à Peripateticis non minùs quàm à Medicis disputantur. si enim propterea dicendum est corpus esse mixtum, quia ex diversis conflatum est, & respiciendum est non ad unionem ipsius, licet vel maximè unum sit unâ Materiâ sub una Forma, sed ad multitudinem partium ejus, quæ olim, antequàm ad ipsum constituendum concurrerent, inter sese differebant, & in communi Materia diversas Formas obtinebant; nihil obest, quin ipsa quoque Elementa dicantur composita: quod exemplo Aëris facile declarari potest. Dicit Aristoteles, & cum eo omnes dicunt Peripatetici, Elementa invicem transmutari, non tamen proximè omnia. terram enim non abire in ignem, nisi priùs in aquam mutata fuerit, ex aqua in aërem, ut sic ex aëre demùm transeat in ignem. proximè enim inter sese immutari ultró ci-

Cap.I.

troq; terram & aquam, aquam & aërem, aërem & ignem. jam ponatur pars aliqua aëris, cujus tertia pars facta sit ex aqua, tertia ex igne, tertia præexstiterit. Hunc aërem oportebit appellare corpus mixtum, cùm ex diversis Elementis conflatus sit; aut si hoc falsum (quale profecto illud esse dicent omnes Peripatetici) falsum etiam corpora illa, quæ vulgo Mixta dicuntur, esse revera talia, cùm æquè atq; Elementa sint simplicia, & in una Materia unicam tantùm Formam obtineant, quam omnia pariter Elementa susceperint, suis pristinis Formis depositis; æquè ac aqua & ignis in aërem mutata, suam Formam cum aëris Forma commutarunt. nihil enim refert, Forma totius, in aliqua parte præexstiterit, an omnibus simul partibus de novo ingeneretur. Ex his porrò sequitur, nihil necesse esse, ut ponantur quatuor Elementa, ob rerum generationes, cùm illæ, ex consequentia hujus opinionis, quæ unicam tantùm in uno subjecto Formam ponit, peragi æquè feliciter possint, si unum tantùm sit Elementum, quam si quatuor; & fortasse felicius. non apparet enim, cur Principio generanti putemus esse difficilius, Formam illam, quam rei generandæ impertiri debet, introducere in massam ex unico Elemento desumtam, quam ex quatuor Elementis corrogatam: & si aliquid difficultatis habet veteris Formæ expulsio, promtius sit unicam, quam quatuor diversas eodem tempore expellere. propterea que causam nullam habuit Aristoteles, cur quaternarium Elementorum numerum tanto conatu assereret. Imò nullum omninò poni Elementum, saltem ob generationes, necesse esset, si Materia illa prima aut Formam aliquam propriam haberet, aut sine Forma subsistere posset. melius enim ac facilius esset ipsam immediate assumi, quam per Elementorum ambages quæri. sed quia negant alterutrum ipsorum fieri posse, ac contendunt Materiam tùm ex sese carere omni Formæ, tùm non nisi sub aliqua Forma subsistere posse; hoc quidem non urgebimus. Nihil tamen impedit, quominùs vera esse possit Veterum Physicorum, Thaletis, Anaximenis, Heracliti opinio, quorum quisque unum tantùm Elementum, sed alius aliud, pro universa rerum Materia

teria statuebant; non quod negarent plura uno esse Elementa, sed quod & reliqua tria, & omnia illa, quæ vulgò composita vocantur, ex uno illo, quod pro Basi habebat quisque, fieri existimarent. quos insectari, aut erroris insimulare non debuit Aristoteles (si vera est eadem hæc de Formarum in uno subjecto singularitate opinio) cum revera idem dicant atq; ipse, & illorum Elementum, sit ipsius Materia prima, non interest enim, habeat rerum Materia aliquam Formam propriam necnè, si novas semper asciscere Formas potest; quod utrique de sua Materia pariter affirmant. neque enim Thales dixisset, terram & aërem idem esse quod aquam, sed Materiam illorum esse ab aqua sumtam, quæ pristinam faciem nova specie commutasset, quomodò & Aristoteles diceret terram, aquam, aërem esse Materiam primam sub terræ, aquæ, aëris Forma. Et sic disertè testatur de Anaximene Cicero, quod cùm Aërem statueret Universalem rerum materiam, ex eo gigni dixerit Terram, Aquam, Ignem, è quibus porro omnia orirentur. taliaque de ijs & ipse Aristoteles testatur: de qua re alibi agetur. non pertinet autem ad rem, quod Veteres illi Formam nullam agnoverunt nisi accidentalem, quæ Aristoteli est substantialis. Hoc enim an illud statuas, nihilo seciùs procedit quod hîc volebamus, cum unico Elemento æquè feliciter expediri posse generationes rerum, quam cum quatuor, si illa suas in mixtis Formas amittunt, atque sub nova Forma in unum coalescunt. Inutile quoq; erit hoc pacto effugium, quo eludere solent eos, qui contra Materiam primam ita argumentantur, ut dicant, ea posita quidvis fieri è quovis. Hoc enim ita solvunt, ut dicant, res non fieri immediatè ex Materia prima, sed ex Materia secunda, quæ rei certæ ac determinatæ est accommodata, quapropter nequeat quodvis è quovis produci. Hæc responsio ex ipso petita est Aristotele, cujus hæc sint verba, Περὶ δὲ τῆς ὑλικῆς οὐσίας δεῖ μὴ λανθάνειν, ὅτι εἰ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντα πρώτου ἢ τῶν αὐτῶν ὡς πρώτων, ἢ ἡ αὐτὴ ὕλη ὡς ἀρχὴ τοῖς γιγνομένοις, ὅμως ἔστι τις οἰκεία ἑκάστου. *De Materiali causa sciendum est, quod etiamsi omnia*

Cap. I.

4. Academ.

Magirus l. 1. ca. 2.

8. Metap. 4.

Cap. I. *omnia ex eodem primo, aut iisdem ut primis, aut eadem Materia [sit] ut principium iis quæ generantur; cujusq; tamen est quædam [Materia] propria.* additq; exempla pituitæ & bilis, quarum illi pinguia & dulcia, huic amara aut alia quædam sint pro Materia proxima. itaque fieri ut multæ sint ejusdem rei materiæ, si proxima ejus Materia & ipsa habeat proximam Materiam, ut ita se habeat pingue ad dulce, quomodo dulce se habet ad pituitam; priores enim illas materias esse Materias πρὸ ὁδοῦ illi rei, in cujus proximam materiam successivè à prima Materia per illas pervenitur. idcircò quando de alicujus compositi Materia quæritur, non modo Materiam primam excludit, sed & Elementa quoque, jubens proximam cujusq; rei Materiam assignari. Δεῖ δὲ καὶ τὰ ἐγγύτατα αἴτια λέγειν, τίς ἡ ὕλη, μὴ πῦρ, ἢ γῆν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν. *Oportet autem & proximas causas afferre, [ubi quæritur] quæ sit materia; non ignem, aut terram, sed propriam [Materiam assignando.]* Hæc omnia sint verissima, quæ de secunda Materia hîc tradit Aristoteles, sed quæ defendi ex ipsius decretis nullo modo possunt, nisi statuatur Elementorum Formas in Mistis manere. tunc enim, cum varia admodùm esse possit ipsorum mixtio, & varia indè exurgere Materia secunda, apertum est quomodo res non nisi ex determinata Materia fieri possint: undè tamen sequitur id, quod nequaquàm admissuri sint Peripatetici, neq; salvis sui præceptoris dogmatis admittere possint, Unumquidq; esse tale quid non à Forma sola, sed & à Materia; quum tamen contrarium statuerit Aristoteles, διὰ τὸν λόγον καὶ σὰρξ καὶ ὁσοῦν ἐστι, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, καὶ οὐ διὰ τὴν ὕλην. in quam sententiam alibi quoque dixit, Materiam non facere differentiam, Ἡ δὲ ὕλη οὐ ποιεῖ διαφοράν. & sic Scaliger commentario ad quarti de Causis Plant. cap. 16. *Materia non variat Formam, sed à Forma variatur Materia.* Ast si Elementa in Mistis Formam suam sub potioris Formæ imperio deponunt, nihili sunt quæ de Materia secunda dicuntur, neque ulla talis inveniri potest, in qua plus hujus aut illius Elementi sit; quam Materiæ secundæ

c Metaph. 7.

10. Metaph. 9.

Cap. I.

cundæ velut ſpecificam differentiam tradit Scaliger. cum enim totum negotium dependeat à Forma, & unumquódque tale ſit non à Materia, quæ omnibus eadem & communis, ſed quia talem Formam in communi Materia nactum eſt ; nihil refert qualiſcunq; Materia ſecunda aſſumatur, cum novam Formam ſuſcipere non poſſit, niſi priſtina aboleatur ; qua abolita, nihil manet niſi Materia prima. & ſic non apparet, cur pituita nequeat ex amaro æquè ac ex dulci procreari. tùm amaritudo enim, tùm dulcedo, ut omnes aliæ qualitates, Formam ſequuntur (ut ipſi volunt) individuo nexu , proptereáque illa expulſa, manere ipſæ non valent. quod ſi ex dulci fit aliqua ſubſtantia nova itidem dulcis, non hoc fit, quia prior dulcedo remanſit, ſed quia nova Forma illam ſecum qualitatem adduxit, ex ipſorum doctrina. Itaq; nulla eſt neceſſaria Materia ſecunda in ullius rei generatione, cùm Agenti Cauſæ, Formæ datori, æquè facile eſſe debeat, opus ſuum facere, quæcunq; illi Materia detur. Ἐνδέχεται γὰρ (inquit ipſe 8. Metaphyſic. 4.) μιᾶς τῆς ὕλης οὔσης, ἕτερα γίνεσθαι διὰ τὴν κινοῦσαν αἰτίαν, οἷον ἐκ ξύλου καὶ κιβωτὸς καὶ κλίνη. *Fieri poteſt, ut ex eadem materia fiant res diverſa, propter Cauſam moventem: uti ex ligno & arca, & lectus.* nam facetum eſt quod velut in contrarium ibidem ſubjungit. Ἐνίων δ' ἕτερα ἡ ὕλη ἐξ ἀνάγκης, ἑτέρων ὄντων, οἷον πρίων οὐκ ἂν γένοιτο ἐκ ξύλου, οὐδ' ἐπὶ τῇ κινούσῃ αἰτίᾳ τοῦτο· οὐ γὰρ ποιήσει πρίονα ἐξ ἐρίου ἢ ξύλου. *Quorundam, quæ inter ſe diverſa ſunt, neceſſario diverſa eſt Materia. exempli gratia, è ligno ſerra fieri nequit, neq; hoc eſt in Cauſa Efficientis poteſtate. nemo enim ſerram è lana aut ligno facere poteſt :* nimis, inquimus, faceta eſt hæc comparatio, ut aliæ in iſtis Divinæ Philoſophiæ libris innumeræ. artifex enim ſerram facere nequit è ligno aut lana (mirùm cur non lutum quoque & nivem appoſuerit) quia naturales ipſorum qualitates immutare non poteſt, ſed quales in materia accepit , talibus contentus eſſe debet, cùm nihil ipſe afferat novi, niſi accidentalem duntaxat figuram, quæ eſſentiam rei nequaquàm immutat. aſt

Exerc. 61.

Cap. I. si ad figuræ illius introductionem, necessariò sequerentur omnes conditiones serræ requisitæ, posset artifex vel ex ligno serram fabricari, & ex lana quoque, modo prius compacta esset in unum corpus, sive textura ut in pannis, sive multa subactione, ut in pileis fieri solet. (ad has ineptias nos pertrahit θαυμασιωτάτη illa Princeps Philosophia) & ita demùm aptè cum Generante Artifex compararetur. Causa enim Generans (ut tritissimo inter ipsos axiomate vulgatum est) Formam conferens, omnia confert simul, quæ Formam consequuntur; quod decretum suum si perpendisset Aristoteles, non inficiatus esset, Quidvis posse generari ex Materia prima, exemplo à lanea serra petito. Manet igitur objectio, Posita Materia prima cum singularitate Formarum in uno composito, quidvis fieri è quovis; & nihili est illa responsio de Materia secunda: quod ampliùs adhuc probamus.

VI. Neque enim negant Materiæ adversarij, res fieri ex alijs rebus jam sua Forma præditis, hoc est ex Materia secunda; sed hoc dicunt, cum Materia omnibus Formis admittendis ex æquo apta sit, neque ulla Forma Materiæ adhæreat inseparabiliter, generatio autem nihil sit aliud, nisi novæ Formæ introductio; necessario sequitur quidvis fieri posse è quovis. nam illa Materiæ secundæ aptitudo, merum est figmentum. si enim ulla est, illa est à Forma. Materiam enim dicunt ad omnes pariter Formas propensionem habere, neque magis ad unam, quam

1 De Mat. 10. ad aliam. erit igitur illa aptitudo à Forma; quod sanè fatetur Zabarella, qui ex vulgata opinione cùm Materiæ geminam potentiam assignasset, alteram universalem, eamq; inseparabilem, quæ sit propensio Materiæ ad omnes Formas indistinctè; alteram particularem, qua magis hanc Formam respiciat quam illas; addit, eam fieri partim ab agente ita Materiam præparante ad hanc Formam recipiendam, ut non sit apta recipere alias (quod omninò vanum est) partim à Forma præsente, seu à qualitatibus eam insequentibus; idque confirmat (valdè quidem futiliter) exemplo

Cap. I.

emplo humani seminis, cum cujus Forma conjunctæ sint quædam qualitates, quæ Materiam reddunt magis aptam recipere Formam hominis, quàm Formam lapidis. ast hoc stare non potest cum ipsorum decretis, qui statuant omnia appetere sui conservationem. illæ enim Formæ appeterent sui interitum, siquidem substantiam, cui insunt, facerent aptam ad hostem suum, novam Formam, intromittendum; qua suscepta, ipsam aboleri sit necesse. & hæc absurditas, prolixè etiam & nervosè à magno viro Bassono disputata, major est quàm ut dilui à Peripateticis possit: Præterea cùm in omni mutatione substantiali aboleatur prior Forma, in cujus locum nova succedat; necesse est illam prioris Formæ abolitionem aut cum aliqua ipsius resistentia conjunctam esse, aut cum nulla. si hoc dicant, omninò manet quod dicebamus; quodvis fieri è quovis. sin illud, necesse esset contrarium evenire, ac nunc evenire videmus. vix enim ullum est animal, cui ipsa elementa sint pro cibo, sed herbis, frugibus, fructibus, lacte, melle, atq; aliorum animantium carnibus vescuntur, & magnam inde utilitatem percipiunt, ea nimirùm concoquendo, & in corporis sui substantiam convertendo; quod de elementis non fecerint. at debebant hęc citiùs & minore negotio posse concoquere, & in chylum ac sanguinem vertere; cùm par sit, vilissimas illas Formas, néque Materiæ firmiùs hærere, néque majori resistendi vi præditas esse, quam alias nobilissimas, quas Materia ægriùs ac valdè invita è complexu suo amittit, de priorum amissione non multum curans, ut consentaneum est trito inter illos ac cato axiomati, *Appetitum Materiæ respectu Formæ, quam nondum possidet, Appetitum desiderij; respectu ejus, qua fruitur, Appetitum complacentiæ nuncupari.* probabile enim est, majorem esse illam complacentiam (ut barbaræ ac ridiculæ phrasi nos tantisper accommodemus) quam percipit ex dignioris ac patriciæ Formæ præsentia, ac illa, quæ proveniat ex humilis atq; plebeiæ Formæ fruitione; nisi si, ut dicunt alibi, prorsus barda ac stupida res est illa Materia.

Lib. de Mat. art. 1. Int. 2.

Conimbr. l. 1. c. 9. quęst. 4.

VII. Sin

Cap.I.

VII. Sin verò & hanc difficultatem devitantes, & priores, suam cuiq; elemento in mixtis Formam relinquere malunt, cadit illud pro Materia prima Argumentum, à substantiali rerum mutatione petitum; etiamsi verum esset, quod in ipso supponitur, dari Formas substantiales. utut enim novas subindè Formas acquirunt illa atq; amittunt, nunquam tamen ad Materiam primam deveniunt, cum sub novis illis Formis, eadem semper elementa permaneant, suasq; proprias Formas retineant. nullum igitur ex mixtis, & substantiali ipsorum mutatione, potest pro Materia Aristotelica argumentum desumi.

VIII. Omnis igitur ipsorum spes in eo sita est, si decantatam illam inter ipsos μετασοιχείωσιν demonstrare valeant. illâ enim positâ, ultrò fatemur sequi, ut detur Materia prima Aristotelica. néque enim probare possumus Valesium, qui cum statuat & elementa non manere in mistis actu, sed potentia, & ipsa quoque inter se Elementa transmutari, Materiam tamen primam rejicit, utpotè *quæ nihil omninò sit, nisi Hypothesis ob rudiores conficta.* (De sacra Phil. c. 69.) *namq, verè & exactè simplicium nullam esse Materiam, sed factum esse illorum quodcunq, ex Materia, ut ignem ex aëre, non in Materia, ut sigillum in cera. itaq, fieri res singulas, etiam simplicissimas, ex Materia aliqua, unam verò eandemq, omnium nullam esse; néque necesse esse, ut quod ex alio fit, immanentem habeat Materiam. artificialibus quidem proprium esse, ut nihil nisi in quadam Materia fiat, ut lectus ex immanente ligno, sigillum ex cera; naturalibus non item. has enim ex se mutuo fieri, non ut immanentibus, velut lectulus è Nuce, sed ut desinentibus, velut mensa ex arca. propterea non opus esse, ponere primam Materiam rerum naturalium, sed fieri alias ex aliis.* & plurima adhuc addit in eandem sententiam, quæ nimis tædiosum foret huc omnia transcribere. est autem hæc opinio admodum mirabilis, & adeò subtilis, ut animo comprehendi non possit, nedum refutari, quomodò aliqua res fiat ex alia, néque tamen habeat in se illam Ma-

teriam,

teriam, quæ erat in priore, ex qua ipsa facta est. Valesio igitur omisso, dicimus, posita elementorum transmutatione, necessario etiam poni Materiam primam.

IX. Sed cum nugatoria tota sit & ad libitum conficta Elementorum mutua transmutatio (quod hic supponentes, posteà, in loco magis proprio, probatum dabimus) relinquitur ut explodenda sit, quæ hoc solo argumento probari poterat, Materia prima : ut nihil necesse sit nos contra illam uti argumentis Rami, qui illam impugnat ex eo, quod Aristoteles dixerat, finem Physicæ esse, τὸ φαινόμενον ἀεὶ κυρίως κατὰ τὴν αἴσθησιν, *id quod semper sensibus evidenter percipitur.* & physico propositum esse σῶμα αἰσθητόν, *corpus tactile*, quæ conditiones Materię primę, cujusmodi ab ipso describitur, haudquaquam competunt. Hæc quidem ratio firma est adversus eos, qui mordicus tenent ac tuentur, quidquid semel dixit Aristoteles ; sed non urget eos, qui hisce autoritatibus insuper habitis, velint de ipsa Materię Natura disputationem instituere. firmius est illud alterum, allatum è primo Phys. 4. Elementa corporum sensibilium esse corpora ; undè sequeretur Materiam primam, utpotè sensibilium corporum Elementum, esse sensibilem & corpoream, quorum tamen prius ab omnibus, alterum à plerisq; Aristotelicis ipsi denegatur.

X. Sed etiamsi nulla essent contra Materiam primam argumenta, poterat tamen ad detegendam istius commenti futilitatem abundè sufficere, ilias maximarum & inutilissimarum rixarum, quæ indè pullularunt, & circa ejus essentiam atq; naturam agitatæ inter Peripateticos semper fuerunt, ac hodièq; agitantur ; quas omnes comportare, Herculeus labor esset. satis erit, velut in gustum & specimen, paucas de plurimis in medium afferre ; & oppositas sibi ex diametro assertiones exhibere. Aiunt enim alij, alij negant, Materiam primam corpus esse, & corpoream Formam de substantiæ genere sibi congenitam obtinere ; Absolutè eam corpus non esse, nec esse posse ; nisi gene-

 ratio

Cap.I.

ratio prorsus tollatur. Materiam, tametsi corpus non est, nec corporis Formam obtinet, secundum se tamen, & ante receptionem Formæ, esse quantam, & habere tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, sed nullis certis terminis, nisi quos à Forma accipiat; Nullam esse in ea quantitatem coævam, sed omnes naturalium corporum quantitates insequi Formas, & à Formis tribui. Materiam esse secundum se puram potentiam, non actum, neque aliquid ex actu & potentia compositum; Esse rem actu existentem, neque existentiam suam à Forma mutuari, sed per essentiam, sibi propriam esse, id quod est, & ab alijs differre. Ingenitum esse Materiæ appetitum Formæ: Hunc appetitum nequaquam illi competere. Materiam semper moliri maleficium, atque novas Formas appetere; Eam præsentibus Formis jucundè perfrui atq; acquiescere. Materiam posse per se intelligi; Nequaquam aptam esse per se intelligi. Materiam ad compositi naturalis essentiam pertinere: Non esse partem quidditatis seu essentiæ compositi naturalis. Posse Materiam divinitùs absq; omni Forma existere: Non posse absq; Forma existere. Potentiam Materiæ esse absolutam, ab ejus essentia non distinctam, & de genere substantiæ; Esse relativam & de genere qualitatis, ac proinde accidens. Hæ aliæque ejusdem Farinæ circa Materiam primam quæstiones quamplurimæ Peripateticos exercent nullo fine, neq; vulgum modo, sed eminentissimos quosq; inter ipsos qui & cum alijs & inter sese quam acerrimè de ijs digladiantur, ut nescias misereri malis an ridere, tantùm fluctuum in Simpulo excitari videns, tantùmq; turbarum ac bellorum cieri pro re nihili ac commentitia; cum hi tanti animorum motus, ac tanta prœlia, possint comprimi jactu exigui pulveris, Nullam esse Materiam primam; quod si quis nobis, & nostris argumentis, credere non vult, censemus certamina ista prius componat, quam ad ipsius defensionem se accingat. ijs enim manentibus, valdè erit difficile, cuiquam sani cerebri persuadere, existere reverâ illam rem, in cujus natura tantoperè excutierunt atq; hallucinati sint consul-

consultissimi quiq; Peripateticæ disciplinæ interpretes. Cap.I.
Quippè qua in re tam pugnantia statuerunt, necesse est alteram saltem partem à Veritate toto cœlo aberrasse; probabile utramq; pari, quanquam dissimili, erroris indagine implicatam fuisse.

SECTIO TERTIA.

DE FORMA.

I. *Aristotelis Sententia de Forma; cujus ignorationem Veteribus exprobrat.* II. *Nullo argumento eam probat, sed similitudinibus tantùm, petitis à Formis accidentalibus.* III. *Error hic est magnus, ipsiq; multorum errorum Causa.* IV. *Imprudens passim sequitur Democriti à se damnatam opinionem, Formam esse accidens.* V. *Indè natum, quod Formam dicit esse extremitatem rei.* VI. *Locus Aristotelis è secundo de Generatione & Corruptione, ubi nonnulli interpretes aiunt eum probare Formam, excutitur.* VII. *Primum Peripateticorum argumentum, ad probandam Formam, ex ipsa rerum naturalium constitutione petitum. Materia prima ineptè adhibetur ad probandam Formam.* VIII. *Ex eo, quod in rebus detur aliquid plus quam Materia (in quo ipso probando, nonnulla falsa admiscet Peripatus) non sequitur dari Formam substantialem.* IX. *Forma nequicquàm asseritur ex specificis rerum proprietatibus. Formam inesse rebus, nec sensu nec intellectu deprehenditur.* X. *Nullum officium assignari potest, ob quod Formæ in rebus requirantur: specifica differentia non opus habent Formâ. nullius ponderis illa objectio, Sic fore ut omnia accidentaliter tantùm differrent.* XI. *Formam non requiri ad constituendam aut continendam rerum unitatem.* XII. *Sublatâ Formâ non tollitur generatio substantiarum.* XIII. *Facultates & operationes non probant Formam; præsertim cum ipsi Peripatetici fateantur, omnem actionem ab accidentibus*

peragi. XIV. *Figmentum illud*, Qualitates activas esse Formarum instrumenta, *excutitur.* XV. *Idem amplius impugnatur.* XVI. *Multa actiones, in quibus ne fingi quidem potest (etiamsi darentur Formæ) Formam cum qualitatibus concurrere ad agendum. Peripateticorum vani conatus, in solvenda hac difficultate, introducendo Instrumenta separata.* XVII. *Multi de ipsis Peripateticis fatentur, Accidentia principaliter operari. Pererij levitas hac in re.* XVIII. *Argumentum pro Forma, ab essentiali rerum unitate petitum, excutitur. quatenùs verum sit, ex pluribus entibus completis non posse ens verè unum constitui.* XIX. *Peripateticorum argumenta ad probandum, quod substantiæ naturales nequeant ex sola Materia & accidentibus constitui.* XX. *Ipsorum inanitas ostenditur: ac monstratur, unde fiat, ut cuiq; substantiæ sua certa accidentia insint.* XXI. *Falsum, ex subjecto, & accidentibus separabilibus, non posse fieri unum per se. Essentiæ variabilitas incassum hîc objicitur.* XXII. *Vanitas istius objectionis, Quod supposita, ex Materia & accidentibus conflata, neq; substantia sint, neq; accidens.* XXIII. *Argumenum pro Forma, ductum à temperamenti conservatione, inane.* XXIV. *Ejusdem momenti illud, à statu rerum secundum aut præter naturam.* XXV. *Argumentum pro Forma ex eo, quod per intensiorem unius facultatis operationem, alterius facultatis operatio imminuitur aut impeditur.* XXVI. *Respondetur illi.* XXVII. *Argumentum petitum à reductione rerum ad naturalem statum, perpenditur. Suarezij objectiones contra Qualitates Virtuales, profligantur.* XXVIII. *Aliud pro Forma argumentum, ab alterationibus desumtum, evertitur. undè nonnullorum accidentium inseparabilitas pendeat.* XXIX. *Ratiocinatio Aristotelicorum, Omnes res naturales esse ex Materia & Forma compositas, quia homo ex anima & corpore constat. brutorum & stirpium exemplum magis hîc quadraret, quàm hominis. Consequentia hæc nulla est, quum dissimillima sit*

Cap. I.

animarum conditio, quam quæ Formis assignatur: quare animæ perperam Formarum nomine donantur. XXX. *Corpora viventium non ita se habent ad animas, quomodo Materiam se habere ad Formas dicitur, ac proinde Materiæ nomine perperàm censentur.* XXXI. *Fatua assertio, Partes cadaveris non esse id, quod erant in corpore vivente, nisi æquivocè.* XXXII. *Rationes pro ea allata redarguuntur.* XXXIII. *E præcedentibus concluditur, futiliter inferri Formam substantialem ex eo, quod viventia ex anima & corpore constant. Suarezij super hoc negotio dicta sigillatim examinantur.* XXXIV. *Rationes contra Formam. prima, sumta à Formarum inhæsione; quum doceant Formam esse in subjecto, & tamen negent substantiæ convenire, ut subjecto insit.* XXXV. *Futilitas subterfugiorum, quibus utuntur Peripatetici, ut ex hac difficultate evadant.* XXXVI. *Aliud contra Formas argumentum ex eo, quod unam tantùm in quibuscunq; substantiis Formam specificam posse inesse statuitur; quam sententiam multa premunt absurda, undè non pauci Peripatetici plures uni rei Formas attribuerunt, quanquam cum hac evasione, quod una tantùm Forma inest actu, reliquæ verò in potentia.* XXXVII. *Absurditas istius evasionis.* XXXVIII. *Altera ratio contra illam.* XXIX. *Eadem evasio ampliùs premitur ex generali ipsius Peripati de Formis doctrina.* XL. *Tertia contra Formas difficultas, indè emergens, quod eas statuunt simplices, indivisibiles & quantitatis expertes. contra primum pugnat experientia de pluribus seminibus in unam stirpem coalescentibus.* XLI. *Quantitatem Formis absurdè adimunt Peripatetici, cum statuant, singulis Materiæ partibus singulas materialium Formarum partes respondere. inepta strophâ, Formas esse quantas per accidens.* XLII. *Formas cunctas materiales esse divisibiles, fatetur universa Peripatus, sed cum hac cavillatione, quod dividantur per accidens: cujus cavillationis vanitas ostenditur.* XLIII. *Simplicitas essentialis, quam Formis attribuunt*

buunt Peripatetici, redarguitur ex eo, quod tùm in stirpibus, tùm in animalibus, species miscentur. Nonnulli de ipsis Peripateticis concedunt in Formis compositionem è partibus heterogeneis. XLIV. *Aliud de Formis axioma, Eas non intendi nec remitti; convellitur, per multiplicem in multis speciebus varietatem.* XLV. *De stirpium degeneratione, atq; in aliam speciem mutatione.* XLVI. *Inextricabiles difficultates ex Peripateticorum de Formarum ortu doctrinâ orientes.* XLVII. *Formas naturales ex nihilo fieri, necessario dicendum Peripateticis, ut sibi ipsis consentanea loquantur. hinc autem porro sequitur, eas non esse substantias.* XLVIII. *Difficultas ista, quomodo Formæ & sint substantiæ, & tamen è nihilo fiant, solvitur, si dicantur à Deo creari; quod & dixerunt nonnulli. sed & veritas illis repugnat, & à maxima Peripateticorum parte rejiciuntur.* XLIX. *Alij Peripatetici hunc nodum, quod Formæ sint substantiæ, quanquam è nihilo fiant, mirabiliter solvunt, sibi ipsis apertissimè contradicendo, atq; aiendo, quod Formæ non fiant è nihilo, quia è Materiæ potentia educantur.* L. *Absurditas earum phrasium, quæ Forma dicitur fieri è subjecto, & è Materiæ potentia educi.* LI. *Ipse Scaliger hanc phrasin condemnat, quanquam non universim ad omnes generationes hoc extendit, sed ad æquivocas tantùm.* LII. *Impossibile ut aliquid & fiat ex nihilo, & tamen non ex nihilo fiat; quod de Forma hîc impudentissimè asserunt Peripatetici. Vanitas subterfugiorum, quod creatio non sit nisi per se subsistentium, eorumq; quæ independenter fiunt.* LIII. *Formæ cœlestes eandem Peripateticis habent à Materia dependentiam, ac aliæ Formæ; & tamen fatentur eas creatas, non è Materiæ potentia eductas.* LIV. *Immanis absurditas istius assertionis, qua simul Formas & fieri è nihilo, & non è nihilo fieri asseritur.* LV. *Alia monstruosior istius nodi, Quomodo Formæ substantiales ex nihilo fiant ab Agentibus naturalibus; solutio: quod non fiant omninò,*

aut non propriè fiant, sed consiant composito. LVI. *Aristotelis axioma, Solum compositum generari; super quo extructa est præcedens solutio.* LVII. *Falsum hoc est in compositis accidentalibus (ut vocant) & si vel maximè verum in ijs esset, ad Formas tamen substantiales transferri nullo modo posset.* LVIII. *Mirifica Aristolis in hoc negotio vertigo.* LIX. *Amplius exagitatur stultitia istius effati, quo sola composita fieri, ac propterea Formas non fieri, dicitur. Aristotelis incogitantia in usurpando aliena dogmata pro suis.* LX. *Quale sit, quod dicunt, Composita propriè fieri, & consequenter Formas impropriè fieri.* LXI. *Veritati magis consentaneum est, ut composita confieri, sive non primo fieri dicantur.* LXII. *Respondetur rationibus, quibus probare conantur, quod Composita primario generentur.* LXIII. *Conclusio eorum, quæ de difficultatibus, Formarum ortum comitantibus, disputata hactenùs sunt.* LXIV. *Alexandri & Cardani opiniones de Forma.* LXV. *Formæ in nihilum intereunt: quod ipsum est aliud contra eas argumentum.* LXVI. *Ineptissima tergiversatio, Composita primario interire, ac proindè Formas non interire nisi per accidens.* LXVII. *Ridicula Pererij assertio, Formas penitùs interire, & tamen in nihilum non redigi.* LXVIII. *Galenus Formam substantialem planè repudiavit. quid sit Galeno tota rei Substantia.* LXIX. *Veritatis, non carpendi studio, ab Aristotele in multis Galenus dissensit.* LXX. *Aristoteles ipse sua de Formis placita evertit, statuens eas extrinsecus advenire: quam rem & Scaliger interdùm fatetur.* LXXI. *Formæ separabiles multò probabiliùs potuissent defendi, quam quales Aristoteles confinxit.*

1 SEd nos jam missâ Materia prima, ad Formam, alterum Aristotelis Principium, progrediamur. De ea quid dicatur ab Aristotele & Aristotelicis, non potest cuiquam esse ignotum, Illam esse digniorem compositi substantialis

Cap.I.

stantialis partem, quæ naturam rei sive ipsam rem principaliter constituit, per quam unumquodq; est id quod est, & à qua omnis actio fluit. separari à Materia & per se subsistere nequaquam posse: nec generari, nec corrumpi ipsam, sed compositum: esse simplicissimam, proptereáque non paulatim nec per partes, sed in momento simul totam introduci. Hæc aliaq; plura de Forma Aristoteles, qui non uno in loco gloriatur, illam à se præcipuè in Philosophiam naturalem fuisse introductam, cum prisci illam, ut & finalem causam, attigissent nunquam, præter solum Empedoclem & Democritum, qui duo tamen non nisi parcissimè illam delibassent. ejus itaq; ignorationem Veteribus illis multorum magnorúmque errorum causam fuisse, qui non alia rerum Principia nisi materiale & effectivum considerabant. Locus, ubi hæc dicat, præ cæteris insignis est I. de Part. anim. cap. I. ubi cum multa dixisset de duobus Causæ generibus, τοῦ οὗ ἕνεκα, καὶ τοῦ ἐξ ἀνάγκης, *illo cujus gratia, & necessario*, hæc subjungit: Ὅτι μὲν οὖν δύο τρόποι τῆς αἰτίας, καὶ δεῖ λέγοντας τυγχάνειν μάλιστα μὲν ἀμφοῖν, εἰ δὲ μή, δῆλόν γε πειρᾶσθαι ποιεῖν (lege πειρᾶσθαί γε ποιεῖν, δῆλον) καὶ ὅτι πάντες τοῦτο μὴ λέγοντες, οὐδὲν ὡς εἰπεῖν περὶ φύσεως λέγουσι· ἀρχὴ γὰρ ἡ φύσις μᾶλλον τῆς ὕλης. ἐνιαχοῦ δὲ αὐτῇ καὶ Ἐμπεδοκλῆς περιπίπτει, ἀγόμενος ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν φύσιν καὶ τὴν οὐσίαν ἀναγκάζεται φάναι τὸν λόγον εἶναι. & paulo post, αἴτιον δὲ τοῦ μὴ ἐλθεῖν τοὺς προγενεστέρους ἐπὶ τὸν πρόπον τοῦτον, ὅτι τὸ τί ἦν εἶναι καὶ τὸ ὁρίσασθαι τὴν οὐσίαν οὐκ ἦν. ἀλλ' ἥψατο μὲν Δημόκριτος πρῶτος, ὡς οὐκ ἀναγκαίου δὲ τῇ φυσικῇ θεωρίᾳ. *Quod igitur duo sint causarum modi, & quod in differendo oporteat utramq; assequi, aut saltem conari id facere; manifestum est: uti &, quod omnes hoc non exponentes, nihil, ut sic dicamus, de Natura exponunt. Natura enim magis est Principium quam Materia. Alicubi autem & Empedocles in ipsam incurrit, ductus ab ipsa veritate, cogiturq; dicere, quod Ratio sit Natura & Essentia. Causa autem cur Antiquiores*

tiquiores non venerint ad hunc modum, ea est, quod Quidditates & Diffinitiones substantiarum non erant [in usu] Sed Democritus quidem primus hoc attigit, ita tamen ac si non esset necessarium ad physicam contemplationem. consimilia etiam legere est in principio quinti de Generatione Animalium. & 2. Physic. 2. quoque ait, Ἐπὶ μικρὸν γάρ τι μέρος ἐμπεδοκλῆν καὶ δημόκριτον τοῦ εἴδους καὶ τοῦ τί ἦν εἶναι ἅψασθαι. *Empedoclem & Democritum ex parva quadam parte attigisse Formam & Quidditatem.*

Cap.I.

II. Cum igitur ipse si non inventor, primus tamen excultor fuerit Formæ, oportuerat rem tanti momenti, quæ utramque faceret paginam in Naturali scientia, non positam simpliciter, sicut ipse posuit, sed demonstratam, quod neque fecit, neque facere usquam aggressus est; quod & de Materia prima ab ipso commissum esse, supra notabamus. Certè & in primo Physicor. qui sub Principiorum nomine de Materia, Forma & Privatione totus agit, & in secundo, ubi inter Causas Forma repetitur, & in Metaphysicis, quorum magna pars in speculationibus ad Formam pertinentibus occupata est, nè unicum quidem extat argumentum, quo Forma ista, qualis ab ipso introducta est, demonstretur, imò adeò confusè versatur in hoc negotio, ut passim, ubi de Forma agit substantiali, delabatur in mentionem illius Formæ, quę est quarta species qualitatis, ac Formæ artificialis (quæ & ipsa ad figuram plerumq; pertinet, interdum aliò, ut Forma domus, & Forma syllabæ) & quidem ita perverso modo, ut de his duabus Formis accidentalibus agat tanquàm de proprio disputationis suæ subjecto; de altera verò illa, qua de præcipuè, imò unicè agendum illi erat, vix paucula verba hic illic cursim inserat. itaque passim deludit lectorem suum, ea afferens exempla, quæ ad propositum nequaquàm faciunt. Neque modo Formas illas accidentales, sed quasvis etiam qualitates affert loco veræ Formæ, ut demonstret nimirùm, Substantias ex Materia & Forma compositas esse, sic 1. Physic. cùm dixisset, ἕκαστον δ᾽ λέγεται

Cap. I.

γεται κατὰ τὴν οὐσίαν, γίγνεται ἅπαν ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς, *Id quod singula dicuntur secundum essentiam, fiunt omnia è subjecto atque Forma,* id porro declarat bello hoc exemplo. Σύγκειται γὰρ ὁ μουσικὸς ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου καὶ μουσικοῦ τρόπον τινά. *namque homo musicus compositus quodamodo est ex homine & musico.* & plura ibidem ejusdem farinæ. Metaphysica autem talibus scatet. Scimus quidem quomodo Peripatetici excusent præceptorem suum, Ista exempla eo tantùm fine adduci, ut similitudine quadam declaretur, quomodo se habeat Forma ad Materiam; quo animo illa à se poni, ipse indicet Aristoteles 1. Phys. 7. ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκὸς, ἢ πρὸς κλίνην ξύλον, ἢ πρὸς ἄλλό τι τῶν ἐχόντων μορφὴν ἡ ὕλη, οὕτως αὕτη πρὸς οὐσίαν ἔχει καὶ τὸ τόδε τι. *quomodo enim æs ad statuam, aut lignum ad lectum, aut [quævis] Materia ad aliud quid eorum, quæ Formâ prædita sunt, se habet, ita hæc se habet ad essentiam, & ad esse hoc aliquid.* & in eandem ferè sententiam 8. Metaph. 2. Οὐσία μὲν οὖν οὐδὲν τούτων, οὐδὲ συνδυαζόμενον, ὅμως δὲ τὸ ἀνάλογον ἐν ἑκάστῳ καὶ ὡς ἐν ταῖς οὐσίαις, τὸ τῆς ὕλης κατηγορούμενον, αὐτὴ ἡ ἐνέργεια, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὁρισμοῖς μάλιστα. *Nihil quidem horum, neque id quod ex iis componitur, essentia est. proportio tamen in unoquoque [elucet.] & quomodo in substantiis Materiæ prædicatum est ipse Actus, ita ferè & in aliis definitionibus.* Sed absurdum est, in docenda ulla re, præsertim nova ac tanti momenti, præter nudas positiones afferre nihil pro omni demonstratione, nisi sola exempla.

III. Néque tamen hoc omne peccatum est hac in re Aristotelis. Aliud est longè gravius, quod similitudines usurpaverit adeò dissimiles, ut nihil ab iis ad ipsam rem, cui illustrandæ adhibentur, transferri possit. nam néque quomodo illæ sunt in Materia, nec quomodo unum cum Materia constituunt, ita substantialem Formam inesse Materiæ, aut unum cum illa efficere, unquam admiserit Aristoteles, aut Aristotelicorum quispiam, ut posteà latiùs

differetur.

Cap. I.

differetur. & tamen ac si par esset utrarumq; Formarum ratio, accidentalium ac substantialium, ita quædam illis solis propria, ad hasce quoque transtulit, nullo alio argumento, quam à comparatione sumpto. Huic enim fundamento superstruxit magna illa axiomatum mysteria, Formas non esse separabiles, & neq; generari neq; interire aut ipsas aut Materiam, sed compositum duntaxat; quia nimirùm ita se res habeat de Formis accidentalibus, neq; enim aut globositatem posse à globo separari, ut per se existat, néque simitatem à naso, néque Formam domus, nimirùm, *esse* ἀγγεῖον σκεπασικὸν χρημάτων καὶ σωμάτων, *receptaculum obtegens res & corpora*, à domo; & consequenter néque fieri ista accidentia, sed Materiam cum ipsis, hoc est compositum, ut globum æneum, nasum simum. Ast nihil facilius, quam vanitatem istarum similitudinum redarguere. etenim globositas & simitas accidentia sunt, & accidentium natura hæc est, non posse subsistere nisi in subjecto. ast Formam vult esse substantiam, & quidem longè digniorem Materia, ita ut hæc ad illam comparata, sit pauló plus quam nihil. substantiæ veró hoc proprium facit ubíque, non esse in subjecto: quæ prærogativa si competit Materiæ, quatenùs substantia est, multó magis competet Formæ, quæ substantia est longè nobilior. propterea q; nullâ prorsus consequentiâ concluditur, Formas substantiales non posse separari à Materia ac seorsim existere, néque fieri aut interire, quia neutrum cadat in Formas accidentales; Et tamen posterius illud nè de ijs quidem verum est, si rem exactè ponderemus. qui enim globum facit ex ære, omninó facit globositatem, & nihilo veriùs dixeris, æs factum esse globosum, quam globositatem factam esse in ære. & si rursus conflatur globus in quadratam aut alterius figuræ massam, non globus tantùm perierit, sed & globositas; imó si propriè loquendum sit, soli globositati, non item globo competit, ut perijsse dicatur. neq; enim credimus Averroi, dicenti Formas artificiosas nón habere generationem, nec corruptionem, quia sint accidentia. Namq; propter hoc ipsum, 12. Metaph. com. 14.

Cap.I.

quod ſunt Accidentia, utrumq; hoc in eas cadit; cum revera ſolis ſubſtantijs proprium ſit, nec generari abſolutè, (in hiſce quidem ordinarijs generationibus) nec corrumpi. & falſa igitur ex parte eſt illa ſimilitudo, & ſi vera eſſet cum maximè, haudquaquàm tamen quadrat, cum ex ipſius placitis longè alia ſit ſubſtantiarum quam accidentium ratio. Itaq; magnus error, quidcunq; accidentali Formæ competit, id ſtatim, abſq; ulla alia demonſtratione, ſubſtantiali accommodare: quem errorem ſuum alicubi, velut è profundo ſomno evigilans, ipſe quoque agnovit. ſic enim ſcribit 8. Metaph. 3. εἰ δ᾽ εἰσὶ τῶν φθαρτῶν αἱ οὐσίαι χωρισαὶ, οὐθένπω δῆλον· πλὴν ὅτι γε ἐνίων οὐκ ἐνδέχεται, δῆλον· ὅσα μὴ οἷόν τε παρὰ τὰ τινα εἶναι, οἷον οἰκίαν ἢ σκεῦος. ἴσως μὲν οὖν οὐσίαι εἰσὶν οὐδέτι αὐτὰ ταῦτα, οὔτε τι τῶν ἄλλων, ὅσα μὴ φύσει συνέστηκε. τὴν γὰρ φύσιν μόνην ἄν τις θείη, τὴν ἐν τοῖς φθαρτοῖς, οὐσίαν. *An corruptibilium eſſentiæ ſeparabiles ſint, nondum liquet. aſt quod nonnullorum* [*eſſentiæ*] *nequeant* [*eſſe ſeparabiles*] *manifeſtum eſt, videlicet eorum, quæ non poſſunt eſſe præter ipſa individua, ut vas aut ædificium. fortaſſis autem neq; hæc ipſa ſunt eſſentiæ, neq; quicquam aliorum, quæ non effecta ſunt per naturam. forſitan enim ſola natura, quæ eſt in corruptibilibus, eſſentia cenſenda eſt.*

IV. Sed Ariſtoteli hic uſu venit, quod & de modo viſionis, & de alijs pleriſque, ut alienis & à ſe damnatis opinionibus ſermonem magis accommodet quam ſuis. paſſim enim de Forma diſſerens, videtur non id ſpectaſſe, quod ipſe de ea ſtatuiſſet, ſed quod Democritus, qui non aliam agnovit quam accidentalem; quippè qui omnium eandem eſſe Materiam dicebat, ſola figura aut ſitu differentem, quod de eo teſtatur ipſe 1. Phyſ. 2. Καὶ εἰ ἀπείρους [τὰς ἀρχὰς τεθέον] ἢ οὕτως, ὡς Δημόκριτος, τὸ γένος ἓν, σχήματι δὲ ἢ εἴδει διαφερούσας, ἢ ἐναντίας. *Quod ſi Principia infinita ponenda ſunt, id vel ita faciendum eſt, quomodò Democritus fecit, qui ea ponebat genere una, figurâ verò aut ſpecie differentia vel contraria, &c.* & 8. Metaph. 2.

taph. 2. Λοιπὸν τὴν ὡς ἐνέργειαν οὐσίαν τῶν αἰσθητῶν εἰπεῖν, τίς ἐστι. Δημόκριτος μὲν οὖν τρεῖς διαφορὰς ἔοικεν οἰομένῳ εἶναι. τὸ μὲν γὰρ ὑποκείμενον σῶμα, τὴν ὕλην, ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, διαφέρειν δὲ ἢ ῥυσμῷ, ὅ ἐστι σχῆμα, ἢ τροπῇ, ὅ ἐστι θέσις, ἢ διαθιγῇ, ὅ ἐστι τάξις. *Reliquum est, eam sensibilium essentiam, quę est tanquam Actus, exponere, quęnam sit. Democritus certè videtur opinari tres [ipsius] differentias esse. namq; [censet] subjectum corpus, hoc est Materiam, unum atq; idem esse; differre autem vel Rusmo, hoc est figurâ, aut Trope, hoc est situ, aut Diathige, hoc est ordine.* Neque de alijs modo rebus, sed de ipsis quoque animalibus illum ita sensisse, ut non aliam in ijs Formam agnosceret, nisi figuram, ipsi objicit 1. Part. anim. 1. Εἰ μὲν οὖν τῷ σχήματι καὶ τῷ χρώματι ἕκαστόν ἐστι τῶν τε ζῴων καὶ τῶν μορίων, ὀρθῶς ἂν Δημόκριτος λέγοι. φαίνεται γὰρ οὕτως ὑπολαβεῖν, φησὶ γὰρ παντὶ δῆλον ἔιν οἷον [f. οἷος] τὴν μορφὴν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ὡς ὄντος αὐτοῦ τῷ τε σχήματι καὶ τῷ χρώματι. *Si igitur unumquodq; animal atq; membrorum est [id quod est] figurâ atq; colore; Democritus rectè dicit. Apparet enim, eum sic existimare. quippè inquit, cuivis manifestum esse, qualis Forma sit homo; tanquam [homo] sit [homo] figurâ atq; colore.* idq; reprehendit ibidem, quia cadaver habet eandem figuram, quàm homo vivus, neq; tamen est homo, non magis quàm manus lignea est manus, aut pictura medici est medicus. hanc tamen Democriteam ab ipso repudiatam opinionem multò magis sapit tota illa in Physicis ac Metaphysicis de Forma tractatio, quam ipsius propriam. alioqui non ita promptè ad Formas substantiarum transferret illa, quę Formis artificialibus ac figuris propria sunt.

Cap. I.

V. Quale etiam illud, Formam esse extremitatem rei. de figura enim hoc dicere liceat quodammodo, quanquam propriè loquendo nè illa quidem est extremitas rei, sed duntaxat (quod ipsum tamen non nimis accuratum dictu est) in extremitate, quo respectu dicebat Themistius, Artem

Apud Averr. 12. Metaph. com. 18.

Cap.I.

tem nihil agere in corpore, nisi in extremitatibus tantùm; nimirùm non de cunctis loquens artibus (falsum enim sic foret hoc ejus dictum) sed de iis tantùm, quorum opus est, certo modo subjectum suum figurare. Ast de Forma substantiali dicere, quod sit rei extremitas, absurdissimum certè est, ab ijs prolatum, qui toti Materiæ totam immistam esse prædicant. & tamen hoc non semel dixit Aristoteles. Insignis præ cæteris est hic locus è 4. Phys. 2. Ἐι δή ἔστιν ὁ τόπος τὸ πρῶτον περιέχον ἕκαστον τῶν σωμάτων, πέρας ἂν εἴη· ὥστε δόξειεν ἂν τὸ εἶδος, καὶ ἡ μορφὴ ἑκάστου, ὁ τόπος εἶναι, ᾧ ὁρίζεται τὸ μέγεθος, καὶ ἡ ὕλη τοῦ μεγέθους. τοῦτο γὰρ ἑκάστου πέρας. *Quod si locus est id, quod primum continet quævis corpora; extremitas est. itaq; videri potest, quod cujusq; species atq; forma sit locus, quo terminatur magnitudo, & Materia magnitudinis. hæc enim est cujusq; extremitas.* Hæc non de figura dici, sed de Forma Aristotelica, docet consimilis locus 3. Phys. 7. περιέχεται γὰρ ὡς ἡ ὕλη ἐντὸς, καὶ τὸ ἄπειρον. περιέχει δὲ τὸ εἶδος. *Namq; infinitum, itidem atq; Materia, intùs continetur. Forma autem continet.* & consentiunt interpretes; quorum tamen nonnulli concoquere hoc non possunt, inter quos est Themistius, qui commentario ad hunc locum, velut succensens præceptori, notat Formam, propriè loquendo, non esse terminum rei, nec superficiem, sed ejusdem rationem, & τὸ τί ἦν εἶναι; & excusat tamen, id aliquatenùs posse dici, inquantum Forma Materiam fusam diffluentemq; quasi coercet finibus, & intra certos limites revocat: quæ excusatio satis frigida est, etsi meliorem illâ dari nullam posse libenter concedimus.

VI. Et comparationes igitur ac similitudines, quibus pro Forma sua utitur Aristoteles, ejusmodi sunt, ut Substantialem esse Formam, nullo pacto ex ijs sequatur, sed potiùs contrarium omninò; & aliam tamen præter hasce demonstrationem nullam pro ea attulit. Nam quod Commentatores

mentatores nonnulli 2. de Generatione & Corruptione ad textus 39. 40. & 41. scribunt, Aristotelem ibi demonstrare Formam à Generatione Naturali; in eo falluntur. Versatur enim illic duntaxat in reprehendendo Empedocle qui quum omnem Substantiarum compositarum varietatem ex certa Elementorum inter se mixtione consurgere assereret, néque aliud præterea, quam Elementa sub certâ proportione commista, in compositis poneret; ait, ex ejus doctrina rationem generationis naturalis, & cur unumquodq; generet sibi simile, reddi non posse: quandoquidem néque ipsa elementa, néque hæc ipsorum mixtio atq; proportio, causa esse possint talis generationis: imò neq; Philia ac Neicos (Empedoclea principia effectiva) quippè quæ generalem duntaxat congregandi ac segregandi vim habeant. Interim suam hac in re doctrinam Empedocleæ obiter opponens, innuit, se isto incommodo non teneri, meliusq; causam generationis naturalis assignare posse; quoniam non, ut ille, in certâ Elementorum proportione, sed in Forma substantiali collocaret uniuscujusq; compositi essentiam atq; naturam; quæ Forma habeat etiam vim effectivam, seseq; propagare, atq; aliam sibi similem producere valeat: quo supposito, locum non habeat illa objectio, qua ipse hîc utitur contra Empedoclem, quî fiat nimirum, ut frumentum gignat frumentum, non oleam aut ossa. Quum igitur hîc nuda utatur assertione Aristoteles, ac simpliciter affirmet, à Forma substantiali pendere generationem naturalem; nimis perfunctoriè hunc locum inspexerunt, qui argumentum demonstrativum, à generatione naturali desumtum, pro Forma afferri hîc putant.

Et quomodo verum est, Aristotelem hic non adhibuisse Generationem Naturalem ad demonstrandam Formam; ita certum quoque est, eum, si id fecisset, operam lusurum fuisse, non modo ex rei veritate, sed vel ex confessione ipsorum Peripateticorum; quorum multi quum strenuè laboraverint in conquirendis pro Forma argumentis, vix tamen invenias, qui hoc argumentum attingat, aut Formam ex eo probari dicat, quod res naturales sibi similia gignant:

Cap. I.

gnant: & ipse Fonseca, diligentissimus Formarum propugnator, dicit eos, qui ex generatione Substantiarum probant Formas, quia scilicèt accidentia non possint substantiam generare, nisi ut instrumenta substantiæ; sumere id, quod probandum erat, nempè equum, ignem & cætera, quæ ab agentibus naturalibus gignuntur, habere aliquid substantiæ præter Materiam. *Nisi enim hoc ponatur* (inquit) *nihil concluditur.*

1 Metaph. 7. quæst. 3. sect. 5.

VII. Aristotelici autem hac in parte diligentiores præceptore suo fuerunt, & quod ab eo omissum viderunt, ipsi supplere conati sunt, non affirmando tantùm, dari Formas substantiales, sed & conquirendo argumenta, quibus eæ astruerentur. quanquàm sanè operam luserunt, uti in processu apparebit. Et quum multi in hoc laboraverint, reliquos diligentia facile superant Fonseca & Suarez, quorum ille omnia pro Forma argumenta ad quatuor summa capita redigit. Primum caput continere dicit rationes ex ipsa rerum naturalium constitutione ductas. *Res naturales* (inquit) *non sunt ipsa Materia prima duntaxat, sed aliquid aliud includunt: alioquin omnes essent ejusdem rationis & essentiæ, nullumque esset earum internum Principium, nulla generatio & corruptio, nulla proprietatum distinctio, quæ essentialem distinctionem sequitur: proinde qualibet aut omnes omnino proprietates haberet, aut nullam. at illud, quod prætereà includunt, nobilius est quàm Materia prima, quum ab eo proveniat non modo ipsarum distinctio, & Generationis absolutio, sed etiam omnis agendi facultas, proprietatum, varietas, & perfectionis ordo. ergo si Materia prima est substantia, quod omnes tanquam notissimum supponunt; multò magis id quod additur ad complendam rerum naturalium constitutionem, substantia erit. completur autem per Formam. datur ergo Forma substantialis.* Hisce verbis duo agit Fonseca. partim enim probare nititur, esse aliquid in substantijs, præter Materiam primam, partim, id quod Materiæ primæ superadditur, quoque ipsa completur, substantiam esse, non accidens. Sed multò paucio-

1 Metaph. 7. quæst. 3. sect. 2.

paucioribus verbis hæc probatio poterat absolvi. Si enim datur Materia prima, qualis in Peripato statuitur, quæ videlicet nuda sit potentia, ac substantia partialis, adeò imperfecta, ut per sese ipsa subsistere nullo modo possit, ac proindè alterius substantiæ partialis societate indigeat, qua actuetur, atq; existentiam accipiat; omninò perspicuum est, dari Formam substantialem: quum hæc inter sese convertantur. Quum igitur ejusmodi Materia prima, qualis supponitur, adeò sufficiat ad Formæ substantialis probationem, ut vel solo ejus nomine audito, necessario Forma substantialis unà concipiatur; supervacua hìc est mentio differentiarum specificarum, proprietatum, functionum, generationis & corruptionis. quippè satis est dictu, Quandoquidem Materia existere non potest, nisi per alteram substantiam partialem compleatur & actuetur; inevitabiliter sequi, quod detur Forma substantialis. namq; & nos libenter concedemus hanc consequentiam; & nemo, qui sanus sit ratiocinator, ipsi refragabitur. Verum quidem est, & Priscorum Philosophorum non paucos, & Galenum quoque, posuisse Materiam primam, seu unam omnibus rebus communem Materiam, neq; tamen Formas substantiales agnovisse: sed alia ipsorum erat ratio, quippè quorum Materia erat vera ac suopte marte subsistens substantia, non ejusmodi potentia (ut loquuntur Aristotelici) quæ nullam ex sese existentiam habeat, adeóque pauló plus sit quam nihil. Quum autem Materia communis, de qua hic Fonseca alijq; Peripatetici loquuntur, non sit talis, ac illa Galeni & Priscorum, sed genuina ac pura puta ipsorum Materia prima; omninò, ipsâ positâ, etiam poni Formam substantialem, ut diximus, necesse est, ac proindè Suarez, hoc argumentum tractans, consequenter loquitur, dicens, *Quum Materia sit potentia, id quod ei additur ad complendam essentiam rei, fore actum, quia potentia dicat essentialem ordinem ad actum. non posse autem illum actum, qui ad complendam rei essentiam Materiæ adjungitur, esse accidentalem, quia cum Materia sit substantialis potentia, non expleatur per actum accidentalem.* Sed enimverò Materia

Cap. I.

Disp. 15. sect. 1. §. 18. & 19.

Cap.I. Materia prima ejuſmodi, eſt hypotheſis, & quidem talis, cujus probatio à Forma præcipuè, imò in totum pendeat. quum enim dixerunt, quicquid dicere poſſunt Peripatetici, ad demonſtrandam Materiam primam; tandem ultrò fateri coguntur, omnia alia argumenta pro Materia prima eſſe invalida, niſi conſtet prius, dari Formas ſubſtantiales, neque aliundè quam per Formas ſubſtantiales eam idoneè probari poſse : ſicuti ipſorum ſuper hac re confeſſionem ſuprà expoſuimus. Quæ igitur hæc eſt argumentandi ratio, rei incertę atq; ignotæ fidem ex æquè incerta atq; ignota quęrere ? & Formas ſubſtantiales probare ex eo, quod ipſum probari haud aliter queat, niſi Formis ejuſmodi præſuppoſitis ? Sanè ludere hoc eſt potius, quam ſerio agere; meraq; ac nimis abſurda eſt principij petitio, Formas extruere ſuper Materia prima, quum ipſa Materia prima ſtare haud aliter poſſit, niſi ut à Formis ſuſtentetur. Quum nos igitur nullam agnoſcamus Materiam primam, ac multò minus talem, quæ nuda ſit potentia ſubſtantialis (quod ipſi de ſua Materia prima ſomniant) merito pro inani ac frivola repudiamus hanc pro Forma probationem, à Materia prima petitam : nihilq; minus admittimus, quam illud Suarezij; qui cùm dixiſſet, *Præcipuam rationem probandæ Formæ ſubſtantialis ſumendam eſſe ex ipſius fine, qui ſit, conſtituere ac complere eſſentiam entis naturalis*, ſubjungit, *hunc finem ſeu effectum eſſe abſolutè neceſſarium in rerum natura, quia alioqui in rebus corporeis nihil eſſet in ſua ſubſtantiali natura completum & perfectum.* Hæc enim neceſſitas non urget, niſi eos, quibus *Materia eſt valdè imperfectum ens* (uti ipſe loquitur ibidem) & qui pro vero recipiunt, quicquid de Materia prima Peripatus ſibi ſomniavit, apud eos autem, qui aliter ſtatuunt, fumo evanidius eſt, quicquid in hanc ſententiam dicitur. & hæc argumentatio, à rerum naturalium conſtitutione ducta, ad probandam Formam, prout ab ipſis inſtituitur, haud aliam vim habet aut ſenſum, quam ſi ſimpliciter dicerent, Res naturales conſtant ex Materia prima & Forma ſubſtanti-

ali;

Cap.I.

ali; ergo datur Forma substantialis: qui argumentandi modus ridiculus est, ac planè nullus. & tamen totidem ferè verbis hoc loquitur Pererius, inquiens Formam sic ostendi ex Compositione: *Res naturales substantiæ sunt compositæ: oportet igitur præter Materiam esse aliam partem componentem, quæ sit Substantia: hæc autem est Forma.* 6. Phys. 2.

VIII. Quod si verò omissâ Materiâ primâ, solum Materiæ nomen adhibeatur, nihil planè pro Forma facit, quicquid hîc à Fonseca congeritur de ijs, quæ Rebus naturalibus includuntur præter Materiam. ad summum enim nihil aliud probat, nisi dari in rebus non Materiam tantum, seu substantiam, sed & Accidentia Materiæ inhærentia; quod nullius probationis eget, utpote per se clarum, ac proindè à nemine sano inficiandum. Sed ex eo, quod dantur in rebus accidentia, argumentari, quod dentur Formæ substantiales; nulla est consequentia: de quo mox plura. Interim observandum, in ostendendo hoc ipso, quod in rebus naturalibus detur aliquid aliud quam Materia, haud pauca parùm solida, aut etiam falsa à Fonseca admisceri, dum videlicèt dicit, *Alioquin omnes futuras ejusdem rationis & essentiæ, nullumq; fore earum internum Principium, nullam proprietatum distinctionem, & proindè quamlibet aut omnes omninò proprietates habituram, aut nullas.* Etenim Elementa omnia non tam accidentibus inter se differunt, quam ipso substantiæ modo. etiamsi igitur accidentia diversa sortita sint, ac proindè accidentibus quoque inter se differunt; non tamen, si cunctis accidentibus nudari possent, ac nudarentur, propterea omnia ejusdem rationis & essentiæ futura essent; cum suus cuiq; Elemento sit peculiaris substantiæ modus, ab omni alia substantia diversus. & composita quoque, licet in eorum constitutione multò plus sibi vendicent accidentia, quam in Elementis; non tamen solis accidentibus invicem distinguuntur, quum Materialiter quoque inter se differant, utpotè ex diversa Materiæ seu Elementorum proportione conflata. Ac quum proprietates aliæ sint substantiales, sive

Cap. I. ipsi substantiarum essentiales modi, aliæ verò accidentales: etiamsi nihil in rebus esset, præter ipsam Materiam seu Substantiam, non tamen tolleretur omnis proprietatum distinctio, neque quævis res aut omnes omninò proprietates haberet, aut nullam; sed nihilò seciùs essentialibus proprietatibus substantiæ inter se differrent. quarè errat iterùm, quum mox dicit, *Ab eo, quod res includunt præter Materiam, provenire ipsarum distinctionem, & proprietatum varietatem:* quùm id nequaquàm universim, sed ex parte tantùm verum sit. Quod verò ait, in isto casu *nullum fore rerum internum Principium*; mirabilis admodùm est sententia. etenim Principia interna ipsis Peripateticis sunt, è quibus res constant, sicuti ipse Fonseca in comm. ad 1. Metaph. 7. Principium internum rei naturalis idem facit cum Elemento. quum itaque ipsa Materia sit internum Principium, quo pacto dici potest, Nullum fore rerum naturalium Principium internum, si è solâ Materia constent?

IX. Sed ut hæc, aliaq; in hanc sententiam inconsultius à Fonseca prolata omittamus, atq; rem ipsam videamus; neq; proprietates rerum, atq; specifica ipsarum distinctio, neq; generatio atque corruptio, neque facultates agendi (quæ tria capita hic à Fonseca adhibentur ad probandam Formam substantialem) quicquam omninò conducunt ad Formæ assertionem. Quantum ad primum; Pererius quidem id tanti facit, ut tria inde extruat argumenta. *Forma* 6. Phys. 2. *enim ostenditur*, inquit, *ex existentiâ rerum naturalium: quia res naturales existunt per se determinatæ ad aliquam speciem, quæ quidem existentia à substantia proficiscitur: at non ab Materia, quippe quæ aut nullam ex se habet existentiam, aut ea certè est indefinita: proficiscitur ergo à Formâ. Deinde ex distinctione: si enim non esset Forma substantialis, quum Materia prima sit una & communis omnium rerum, omnes res naturales eædem essent secundum substantiam & quidditatem, nec differrent aut genere aut specie. Præterea ex propria cujusq; rei natura. si enim nulla*

Cap. I.

nulla est Forma substantialis, quare, unde spectanda sit natura atq; esse cujusq; rei, &c. Sanè apparet magna argumentorum inopia Pererium laborasse, qui unam eandemq; rem in tres diversas rationes diducat. esse enim determinatum ad unam aliquam speciem, revera idem est, quod genere & specie ab alijs rebus differre: & eo ipso, quod aliquid determinatum est ad certam quandam speciem, ab omnibus aliarum specierum rebus, specie; ab ijs verò, quæ etiam diversi sunt generis, genere quoq; differt. Est porrò quævis res certæ speciei, & ab alijs rebus specificè distincta, non per aliud, quam per naturam suam atq; essentiam. quarè, ut diximus, non tres sunt hæ rationes, sed unica duntaxat. Sed specificæ rerum proprietates frustrà allegantur ad probandam Formam, quandoquidem sola Materia cum accidentibus sufficit ad specificas rerum differentias constituendas. & Elementa quidem ipso substantiæ modo præcipuè inter se differunt, (uti paulò ante quoq; diximus) ac diversarum inter se specierum sunt, non tam ob qualitates (quum & paucissimæ ijs insint, & nonnullæ earum sint diversis Elementis communes; ac ijs quoque amissis, ut quum aër aut aqua exuto nativo frigore calefacta sunt, nihilominus in specie sua perseverent) quam essentiali ipsarum substantiarum differentiâ. Eorum verò quæ ex Elementis fiunt, alia solâ certorum accidentium in Materiam introductione constituuntur (uti illæ substantiæ, quæ ex unico tantùm Elemento fiunt) alia verò partim certâ diversorum Elementorum, debitâ proportione inter se conjunctorum, Mixtione, partim certarum qualitatum in materiam illam, ex diversis substantijs conflatam, impositione. & prætereà in alijs etiam certa Materiæ dipositio ac figuratio, non tantùm commistio, requiritur; & diversarum quoq; substantiarum conjunctio atq; unio, non qualis illa est diversorum Elementorum, ad unius corporis constitutionem conflatorum, sed alterius generis; quomodo, verbi gratia, anima & corpus ad constituendam unam stirpem aut animantem consociantur: de quibus omnibus accuratiùs & latiùs alibi dicetur.

Cap. I.

dicetur. Hæc sunt vera rerum Elementa seu Principia interna, omnem specierum varietatem constituentia, quæ tùm in ipsos sensus incurrunt, tùm per firmissimas rationes, ex sensibus atq; manifestis experimentis ductas, demonstrantur: & ipsorum usus ac necessitas, & quid quæque in rerum constitutione faciant, indaganti perquàm clarè apparet. Forma autem substantialis (exceptis animabus, quas in Formarum classem referunt, quum nihil habeant cum illis commune, ut posteà conficiemus) néque alterutrò istorum κριτηρίων inesse rebus deprehenditur; neq; ullum ipsi officium assignari potest, ob quod ad rerum constitutionem requiratur. Sensibus non percipi certum est, & Peripatetici fatentur; ut Averroës. comm. ad 12. Metap. §. 14. Thomas tractatu de sens. & sensib. alijq; passim. Et quum neq; ipsa, neq; ullus ejus effectus in sensus cadat, intellectui nihil de ea constare potest; quandoquidem de nulla re (extra ea, quæ Fidei sunt, & divinâ nituntur autoritate) affirmare quippiam Ratiocinatio debet, nisi in quantum rebus sensu perceptis subnititur. *In sensibus enim* (uti rectè alicubi Scaliger dixit) *omne est omnium artium atq; scientiarum fundamentum.* Quanquam igitur largiamur Peripateticis, verum esse illud tantoperè apud ipsos tritum, *Formas comprehendi intellectu* (intellectu enim comprehendi valent non vera tantùm entia, sed monstruosissima etiam figmenta, ut poetarum Chimæræ & Harpyæ; & sic non difficile est assequi, quales sibi Formas substantiales finxerit Aristoteles, quomodò item Platonicas ideas, rem æquè fictitiam, nullo negotio imaginamur) non tamen largimur, intellectum ulla evidente ratione duci, ad Formas ejusdmodi in rebus agnoscendas. Et sanè non aliter ab Aristotelicis intelligi Formas, quam à nobis intelligantur, hoc est, eos duntaxat imaginari sibi illud, quod de Formis acceperunt ab Aristotele, planum est ex ipsorum doctrina, qui passim tradunt, ignotas sibi esse Formarum essentias, ac proindè vix posse à se assignari essentialem ullius rei definitionem, *quum omnis talis definitio debeat constare nominibus proprijs Materiæ ac For-*

Comm. in l.2. de Caus. plant. cap. 3.

Fons. 5. Dial. 5.

mæ

ma rei, quæ definitur. Apertam habemus super hac re Scaligeri confessionem, qui disputans contra Alexandrum, assignantem gravitatem pro Forma terræ, *Tuto gravitatem*, inquit, *esse terræ proprium accidens: Formæ autem essentiam latere nos, quemadmodum & alias multas, ac fortasse omnes. in magno enim periculo versamur ne ullam veram teneamus definitionem: ne nostra scientia repat humi per tenebras, circa sola accidentia.* quibus etiam concordat illud Exerc. 307. §. 12. *Nulla est Forma nobis nota plenè & planè. Formarum enim cognitio est rudis, confusa, nec nisi per* περιστάσεις. Et in eundem sensum Thomas, *Formæ substantiales sunt incognitæ nobis, quia insensiles. ideò per qualitates, quæ sunt principia immediata transmutationis, exprimuntur.* Itaque Albertus, dicens, *Formam omnem esse intelligibilem per se, & principium intelligendi aliud, quod est formatum per ipsam:* (quod non abludit ab illo Simplicij, *Eum, qui cognoverit Formam naturalem, cognoscere quoq; Materiam tali Formæ subjectam*, com. ad 2. Phys. 26.) non ad res ipsas respexit, sed ad conceptus illos imaginarios, ex Aristotelis de Materia prima ac Forma traditionibus ortos; quarum hæc quoq; una est, *Formam esse Principium non essendi tantum, sed & cognoscendi.* quod si verum est, fateantur Peripatetici, se nihil cognoscere, quum ipsas ~~Formarum~~ essentias non cognoscant (uti fatentur ipsi, quando verum loqui audent), ac per res sibi ignotas ad aliarum rerum ignotarum intellectionem pervenire non possint.

Cap. I.
Exerc. 101. sect. 14.
Comm. ad 1. de Gener. & Corr. text. 6.
1 Cœli, tract. 3. cap. 4.

X. Sed neq; ullum apparet Formarum officium, ob quod requirantur ad res constituendas; si inanissimum illud somnium de Materia prima, ejusq; potentialitate (ut sic dicamus) seponatur. Nam quod Suarez ait, *nisi datis Formas, non futuram multitudinem & varietatem specierum substantialium (in qua maximè consistit hujus universi corporei mirabilis dispositio & pulchritudo) quia omnia essent unius essentiæ, solumq; accidentaliter differrent:* vanissimum est, subtracto illo de Materia prima com-

Disp. 15. sect. 1. §. 18.

Cap.I. commento, cui ſoli hæc verba innituntur. Sed etiamſi omnia ex una eademq; conſtarent Materia, non tamen proptereà tolleretur ſpecierum varietas; quum alia atq; alia accidentia, in Materiam impoſita, poſſint alias atq; alias ſpecies conſtituere: ſicuti nunc quoq; videmus multa, quæ eandem habent Materiam, plurimùm inter ſe differre, ac diverſiſſimarum eſſe ſpecierum (exempli gratia, animas leonis & quercus) ob diverſa, quæ in eadem Materia ſortita ſunt, accidentia. Sanè illa objectio, *Sic fore, ut ſubſtantiæ non eſſentialiter, ſed accidentaliter inter ſe differant*, præterquàm quod in ſe inanis eſt, quum illa membra non ſint ita inter ſe oppoſita, ut invicem excludant, quandoquidem ipſa quoque accidentia, etiamſi non omnia, ad rerum eſſentiam pertinent; non efficit illud quod intenditur. Etiamſi enim daretur poſtulatum illud, *Sic fore ut res non eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter differant:* non plus hinc ſequitur, niſi omnem ſpecierum diſtinctionem fore accidentalem; quod longè aliud eſt, quàm omnem ſpecierum varietatem tolli. ſubſtantia enim non deſinit eſſe ſubſtantia, etſi accidentibus tantùm ab alia ſubſtantia differat: ac proptereà ſpecies ſubſtantiales non deſinent eſſe ſubſtantiales, etiamſi accidentibus duntaxat inter ſe diſtinguatur. itaq; prava utitur ratiocinatione Suarez, qui non contentus dicere, quod ſublatis Formis ſubſtantialibus, tollatur eſſentiale ſubſtantiarum diſcrimen (quod tamen ipſum non uno modo falſum eſt, uti vel ex ijs, quæ pauló ante diximus, apparet) prætereà infert, omnem hoc pacto tolli ſpecierum varietatem; id quod nullis machinamentis effici poteſt, ut indè conſequatur. Quare hoc quidem officium, quod Formas Subſtantiales propterea requirit, ut detur varietas ac multitudo ſpecierum ſubſtantialium, utq; illæ non accidentaliter tantùm, ſed & eſſentialiter diſtinguantur; inane eſt.

XI. Aliud præterea in rerum conſtitutione officium Formarum commenti ſunt nonnulli Peripatetici, ipſam ſcilicet Subſtantiarum unitatem, quæ à Forma pendeat. *Omne*

Cap. I.

Omne quod est (inquit Scaliger) *unum est non solum propter continuationem, ac privationem puræ contiguitatis, sed propter actum quoq́, cujus vi fit, ut illa partes unum fiant. Actum voco Formam, per quam fit, ut partes, quæ naturâ suâ atq́ aptitudine coire poterant ad unionem, unum actu sint.* & similiter alibi, *Sunt invenustissimi studiosorum, qui putant, ex multiplici Materia (hoc enim sunt Elementa) & ejus Formis coagmentatis, posse per se fieri Formam unam, quæ totius molis autor sit existendi, sine adventu externæ Formæ unius, qua totum illud in fide atq́ officio continuitatis atq́ unitatis contineatur. homo enim nihil alud quam mistum esset, unumq́, fortuitum, quod per accidens vocant philosophi.* Itidem & Fernelius, *Necesse est, totius compositi unam esse Formam simplicem, quæ à simplicium partium Formis diversa, illas in toto contineat.* Et putaverit aliquis, Aristotelem quoque hoc dixisse 8. Metaph. cap. ultimo, ubi hęc habentur: πάντων ὅσα πλείω μέρη ἔχει, καὶ μὴ ἔστιν οἷον σωρὸς τὸ πᾶν, ἀλλ᾽ ἔστι τι τὸ ὅλον παρὰ τὰ μόρια, ἔστι τι αἴτιον. *Omnium, quæ plures partes habent, ita ut universum non sit tanquam acervus, sed ut totum sit aliquid præter partes; est aliqua causa.* Reverà tamen de Formis suis ibi non agit Aristoteles, neq; hoc ijs officium ascribit, ut res in unitate contineant; sed duntaxat quærit (quæstionem sanè admodùm otiosam) de Definitionibus, quid nimirùm efficiat, ut illæ sint unum, quùm ex diversis partibus constent; id quod liquet tùm ex universo sermone, tùm ex ejus exordio, quod ita se habet. περὶ δὲ τῆς ἀπορίας τῆς εἰρημένης περί τε τοὺς ὁρισμοὺς, καὶ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, τί ἐστι τὸ αἴτιον τοῦ ἓν εἶναι: *de quæstione autem dicta, circa definitiones ac numeros; quæ sit causa ut unum sint,* &c. néque aliorsum hęc in commentarijs accepit Averroes. Sed neq; in ullo eorum locorum, quos pro se allegat Fernelius, quicquam tale ab Aristotele expresse dicitur, ac eum dicentem ipse facit: quanquam sanè primi de Anima quinto ejusmodi quid innuere videtur, aiens animam non habere partes, quia si haberet, necesse foret aliquid esse τὸ συνέχον καὶ

Exerc. 101. sect. 1.

Exerc. 307. sect. 20.

1 De Abd. c. 3.

Cap. I. *μίαν ποιῶν τὴν ψυχὴν, quod animam contineret, ac unam faceret.* Verùm hoc quidem parùm refert (nostri saltem respectu, & omnium eorum, qui similiter affecti sunt) dixerit hoc idem, quòd Scaliger & Fernelius dicunt, an non dixerit Aristoteles. Quantùm verò ad rem ipsam attinet; probatio hæc neque generalis est, quippe quæ ad Elementa non attinet (uti per se manifestum est) & præterea infirmitatem suam eo prodit, quod nihil valeat, nisi prius supponatur, dari Formas substantiales, nimirùm Formas illas partiales, quæ Formæ superioris moderamine in officio contineantur. Et tamen ne illis quidem, qui ponunt Formas illas partiales, & unicuiq; parti similari in animalibus ac plantis suam assignant peculiarem Formam, necesse est Formam illis superinducere superiorem, quæ illas velut invicem colliget. possunt enim dicere, quod dicit Suarez, *Esse Formas illas partiales, & aptas ut inter se uniantur ac continuentur, & ideo componere unam integram Formam totius, scilicet animam, quæ constet ex partibus heterogeneis, & ex earum inseparabili unione tota consurgat.* quo posito, sequitur id, quod ipse porro infert, *Absurdum esse, fingere aliam Formam totalem, superadditam his Formis partialibus, & omnes illas partes iterùm informantem.* Afferunt quidem & aliam rationem, quare compositis hoc vinculo opus sit; *Quia nimirùm non possint simplicia, maximè autem contraria, in unum coire & contineri; nisi arcto velut vinculo, fortius quid atq; valentius ipsa stringat & coerceat, ne divulsa dissipataq; mox distrahantur, & eò redeant, unde singula profecta sunt. Nisi enim quatuor illa* (inquit Scaliger) *rectorem habeant, temere ac sine modo metâq; ullâ jactabunt, & jactabuntur.* Sed cùm hæc innitantur vulgato illo somnio, quòd Elementa finguntur æternum inter se bellum gerere, semperq; mutuò agere & pati (cujus fictionis vanitatem in tractatu de Generatione & Corruptione, ubi de mixtione ac temperamentis prolixè agendum, evidenter confutabimus) non est ut verbosè ijs contradicamus. sicuti enim illi ultrò sibi sumunt illam hypothesin, quan-

Disp. 15. sect. 10. §. 31.

Fernel. ibid.

Exerc. 307. §. 20.

quàm

quàm nullis argumentis unquam confirmatam; ita nos eandem pari facilitate negamus, asserentes (id quod res est) nullas tales Elementis inter sese inimicitias ac discordias intercedere; neq; ita malè ijs inter se convenire, ut pacem omnem oderint, ac omni conatu, ubi ad corporis alicujus constitutionem in unum conducta sunt, iterum nitantur sejungi, nisi alicujus superioris imperio ac præsentia in officio contineantur. Nequaquam enim ita se rem habere, satis clarè apparet ex multarum stirpium cadaveribus, quæ egressâ animâ (quam ipsi volunt esse Formam) minimè vel statim, vel mox dilabuntur, sed per aliquot annos, imò per aliquot secula, eandem servant unitatem, quam habebant, dum vita fruerentur: id quod fieri non posset, si tam infida est Elementorum societas, ut nisi vi coacta durare unà non queant. Cap. I.

XII. Secundum hujus loci argumentum, quo ad probandum Formam Substantialem Fonseca utitur, est Generatio atq; Corruptio, quas nullas futuras ait, nisi dentur Formæ substantiales. Conimbricenses autem hoc explicatius sic proponunt: *Si Forma esset accidens, nulla esset generatio substantialis; siquidem Materia gigni non potest, inductio autem accidentium, non substantialis, sed accidentaria generatio est.* & totidem ferè verbis Pererius: *Si nulla est Forma substantialis, nulla item est generatio: etenim nec generatur Materia, nec productio accidentium est generatio, sed alteratio.* Ad quod nos respondemus, nullam (ordinariâ viâ, creatione sepositâ) dari Substantialem Mutationem seu Generationem, ita accipiendo hanc vocem, quomodo ipsi accipiunt, ut nimirùm Substantialis Mutatio seu Generatio sit illa, qua ipsius substantiæ, quæ generatur, aliqua pars substantialis de novo fit, quum non existeret prius. in quo sanè nulla est absurditas; neq; afferri quicquam potest, cur ad substantiæ generationem magis necessarium sit, ut aliqua ipsius pars, quam ut tota ex nihilo fiat. Hoc autem posterius, fatentibus Peripateticis, adeò non est necessarium, ut ne fieri quidem pos-

1. Physic. 9. quæst. 9. art. 2.

6. Physic. 2.

Cap.I.

ſit niſi divina virtute, ac propterea in generationibus ordinarijs locum habere non queat. Et quum ipſi Peripatetici ſint monſtri inſtar exibilaturi, ſi quis affirmet ſubſtantiales generationes ordinario modo fieri ita, ut Materia ipſarum non aſſumatur præexiſtens, ſed tùm demum de novo fiat; nimis certè audaces ſunt, qui ut ſubſtantiarum, generatio non accidentalis ſit, ſed ſubſtantialis, neceſſarium eſſe dicunt, ut altera ipſarum pars, longè illa ac longè nobilior quam Materia (ut quidem ipſi prædicant) tunc demum fiat, atq; initium ſui accipiat. Quanquam autem ſubſtantialis generatio, hoc quidem ſenſu, nulla datur, omnéſque ſubſtantiæ, ordinariâ viâ, novorum accidentium introductione fiant, propterea tamen non ſequitur (id quod temere inde conantur inferre Peripatetici) ſubſtantiarum generationem tolli. Aliud enim eſt, ſubſtantias generari; aliud, generari ita, ut aliqua ipſarum pars ſubſtantialis non præextiterit. Sanè ejuſmodi ſubſtantia, quæ maximè eſſentialiter & ſui ipſius ratione ab omni alia ſubſtantia differat (quomodo nimirum Elementa, ſeu corpora ſimplicia, differunt inter ſeſe) ex alia ſubſtantia fieri nequit; ac proinde aliter generari non poteſt, niſi generatione ſubſtantiali, qua videlicet ſubſtantiæ è nihilo producuntur. Ad generationem autem earum ſubſtantiarum, quæ ſolis accidentibus differunt ab alijs ſubſtantijs, ſufficit, ut ea accidentia, in quibus ipſorum natura conſiſtit, in Materiam præexiſtentem introducantur: quæ accidentium introductio ſicuti eſt accidentalis mutatio, reſpectu ſubſtantiæ, in qua fit; ita eſt Generatio, reſpectu ſubſtantiæ, quæ ex præexiſtente ſubſtantiâ ſic immutatâ conſurgit. Quod igitur illi aiunt, Sublatis Formis ſubſtantialibus, generationem nullam fore, quia accidentium introductio non ſit Generatio, ſed accidentalis mutatio; in eo nihil aliud quam ſuam ipſorum inſcitiam produnt: quum ipſa Mutatio accidentaria, ſit ſubſtantiæ generatio, quia nova ſubſtantia, ſeu novum individuum ſubſtantiale, per eam conſtituitur.

XIII. Tertium hujus loci argumentum ab operationibus

bus & facultatibus agendi Fonseca depromit. & à Con- Cap.I.
imbricensibus idem hoc sic proponitur: *Singulis rebus naturalibus aliqua propriæ & peculiares functiones conveniunt, ut homini ratiocinari, equo hinnire, igni calefacere: atq; ita cæteris. sed ejusmodi functiones oriri nequeunt à Materia, quæ nullam effectricem vim habet: oriuntur ergo à substantiali Forma.* Ibid. ut supr. & ita Averroes quoque multis in locis scribit, *Formæ indicium ab operationibus desumi.* Disp. 6. in solut. 6. dubij. 12. Metaph. §. 14. &c. Animadvertendum autem hic est, receptum illud axioma, quod Materiæ omnem denegat activitatem (haustum ab ipso Aristotele, qui 1. de Gener. & Corr. 7. ait, ἡ δὲ ὕλη ᾗ ὕλη, παθητικόν: *Materia, quatenus Materia, passibilis est*, & 2. de Gener. & Corr. 9. τῆς ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι: *Materiæ est, pati, & moveri*: qualia etiam alibi habet) non esse universim verum; quum ipsa etiam Materia quasdam per se operationes edat: qua de re alias dicetur. Ut verò nunc hoc omittamus, & quod illi de omni actione dicunt, de ijs tantùm actionibus, quæ non à Materia fiunt (quarum sanè numerus est longè maximus) intelligamus: gratis asseritur, quia operationes non proficiscantur ab ipsa Materia, propterea dandam esse Formam substantialem. non enim istuc inde sequitur, sed hoc duntaxat, Dari igitur in rebus aliquid præter ipsam Materiam, quod sit Principium effectivum istarum operationum. Hæc sanè consequentia evidens est, sed quod illud agendi Principium debeat esse substantia, non accidens; haudquaquàm apparet. Et sanè mirum est, quomodo per operationes Formam demonstrare instituant Peripatetici, quum ipsi omnes actiones acceptas referant Qualitatibus, videlicèt facultatibus agendi; quod acceperunt à præceptore suo, cujus sententia est, monente Julio Scaligero, *Nullam esse actionem Substantiarum sine qualitatibus*: Exerc. 111. id quod apertè ipse tradidit in tractatu de sensu & sensilibus, aiens, Nec aquam, nec ignem, nec ullam aliam rem agere quicquam, nisi quatenus certas obtinent qualitates. Ἡ μὲν οὖν Cap. 4.
πῦρ, καὶ ἡ γῆ, οὐδὲν πέφυκε ποιεῖν, ἢ πάσχειν, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν, ᾗ δ᾽ ὑπάρχει ἐν αὐτοῖς ἐναντιότης, ταύτῃ πάντα

Cap. I.

ποιεῖν καὶ πάσχειν : *Ignis quatenus est ignis, & terra quatenus est terra, nihil valet efficere, aut pati; uti neq; alia res ulla. quatenus autem insit iis contrarietas* [*id est, quatenus iis insunt contrariæ qualitates*] *eatenus omnia agunt & patiuntur.* Et in eandem sententiam Conimbricenses aiunt, *Nullam Substantiam creatam esse immediatum agendi Principium, aut sine instrumentaria accidentium ope operari.* ac Fonseca quoque, *Nullam substantiam esse activam, nisi per aliquam potentiam activam; quæ potentiæ activę in creaturis sint qualitates accidentariæ.* & rursus ibidem, *Omnem substantiam creatam, & activam, per qualitatem accidentariam agere, quicquid agit.* Estque recepta hæc inter Peripateticos opinio, cui nemo ipsorum contradicit, nisi quantum ad ipsam Formarum productionem, in qua Scotus, cum suis sectatoribus, nullum Accidentibus locum relinquit, volens eam ab ipsis Formis peragi: in qua tamen re dissentit ab ipso maxima pars Peripateticorum, qui hic quoque Accidentium operam adhibent. Sed hoc quidem ipsis inter se decidendum relinquimus, neque de hoc actionum genere quicquam præterea dicere volumus, quum nullas censeamus dari Formas, ac propterea neque Formarum productionem. Quum autem in ijs actionibus, quæ non fictitiæ (ut ista productio Formarum) sed veræ sunt actiones, omnes in universum consentiant Peripatetici, eas ab accidentibus seu qualitatibus fieri; mirari profectò licet, ut dicebamus, quomodo ob operationibus petant Formarum substantialium confirmationem. Fateri enim, operationem omnem ab Accidentibus edi, ac qualitates activas esse omnium functionum effectrices; & tamen arguere, quod actiones indicent esse in compositis Formam quandam substantialem, à qua ipsæ edantur; hominum est valde futiliter ratiocinantium. nullo enim modo hæc cohærent, Actiones fiunt à qualitatibus; ergo propter actiones opus est in compositis ponere Formam substantialem. imò prior positio potiùs destruit secundam, ut quoniam operationes ab activis qualitatibus peraguntur, superfluum sit, aliud effectivum earum

2 Phys. 7. quæ. 18. art. 2.

5. Metaph. 2. quæst. 6. sect. 3.

earum Principium in substantijs quærere, aut ponere: quare etiam Alexander ad illa Aristotelis verba, paulò ante allata, disertè notat, eo, quod actio tribuitur Qualitatibus, Formam ab agendo excludi, dicens, *ignem non edere actionem, quatenus ignis, sed quatenus calidus est, id est, non per Formam ignis, sed per calorem.* Cap. I.

XIV. Non ignoramus quidem, quo hic effugio utantur, dicentes nimirum, quanquàm actiones fiant à qualitatibus, qualitates tamen in operando non esse agentia primaria, sed instrumenta Formarum, quæ Formæ ipsæ sint Principales Actrices, quum *Accidentia in ipsarum virtute* (ita loqui solent) *operentur.* Sed hoc figmentum est inane, uti planissimè apparebit, sive rationes spectes, quibus illud confirmare tendunt, sive rem ipsam consideres. Rationes à Fonseca duæ afferuntur. prima est, *Accidentia habent* 5. Metaph. 2. quæst. 6. sect. 2. *esse suum à substantijs, ergò & agendi vim, quæ eorum entitatem sequitur. non sunt igitur prima activa, sed ipsæ Formę substantiales.* altera, *Actiones sunt singularium subsistentium: singularia autem subsistentia sunt substantiæ: proficiscuntur ergo actiones effectivè à substantijs: at non ratione Materiæ, quæ nullo modo activa, sed receptiva est: igitur ratione Formæ: est igitur Forma substantialis Principium, quo res naturales agunt.* Eædem rationes verbis paulo alijs sic à Conimbricensibus proponuntur: *Agere, una de præcipuis est rerum naturalium affectionibus,* 2. Phys. 7. quę. 18. art. 2. *adeo ut communi Philosophorum assensu dixerit Aristoteles, Unum quodq; suæ operationis causam esse. Par est igitur, ac naturę ordini consentaneum, ut actio in ipsa rerum substantia causam habeat, à qua dimanet: hæc autem substantia non potest esse Materiam quæ nullam effectricem vim possidet: est igitur Formam* 2. *Actio sequitur esse: ergo idem erit primarium essendi & agendi Principium. sed Forma substantialis est primarium ac principale Principium essendi, unde ab Aristotele dicitur ratio ipsa quidditatis. erit igitur prima origo, & quasi fons, è quo rei naturalis actio proficiscatur.* His utriq; adjungunt testimo-

nia

Cap.I.

nia Aristotelis, qui varijs in locis Formæ substantiali disertis verbis efficientiam attribuerit. Sed quid ille dixerit, nos quidem non moramur; neque in ulla re controversa curamus ipsius autoritatem. Ipsæ autem rationes sunt perquàm futiles. quod enim dicitur, actiones debere esse à Forma, quia actiones sint singularium subsistentium; eo nihil vanius cogitari potest. quippe ex eo, quòd unaquæq; substantia est causa suarum actionum (quod sanè verum est, & apertissimum) non sequitur, quòd aut se totâ, aut substantiali sui parte debeat eam causalitatem (ut sic dicamus) exercere. namq; etiam illa est substantiæ, seu singularis subsistentis actio, quam per aliquod accidens sibi naturaliter inhærens exercet: & quum omnis substantia sit ex Materia & accidentibus composita, accidentia non minus ad ipsius integritatem pertinent (præsertim in coporibus non primis, sed quæ ex primis sive Elementis conflata sunt) quam ipsa pars Materialis. & etiamsi non pertinerent, nihilominus tamen rectè dicatur efficere, quod à qualicunque ipsius accidente efficitur; quanquam non eo modo, quo ipsum accidens. Etenim actionum, quæ ab accidentibus eduntur, ipsa Accidentia sunt Causa *per se*: substantiæ autem, quibus ipsa inhærent, sunt earundem Causa *secundum quid.* quod & in actionibus, quæ à Materia fiunt, locum obtinet. namq; & harum actionum ipsa Materia est *Causa per se*; totum verò compositum, non aliter quam *secundum quid*: sicuti hæc libro quarto, ubi de Divisionibus Efficientium, latius explicabuntur. Ita igitur patet, quomodo Substantiæ sint Causæ earum actionum, quæ per qualitates ipsis inhærentes eduntur. quod siquis his non contentus, pertendat substantias debere esse suarum actionum Causas ea ipsa sui parte, quæ est substantialis; rationes dicti sui afferat prius, quàm expectet, ut fidem ipsi adhibeamus. Altera verò ratio, mera est Principij petitio, adversus eos, qui ipsas Formas negant, uti nos facimus, ac propterea nullius prorsus momenti, aut pluribus verbis impugnanda. eo ipso enim, quod Formam negamus, negamus etiam, quidquid de Forma prædicant

dicant

dicant aut fingunt Peripatetici. Sed præterea hæc ratio, Cap.I.
quomodo à Fonseca proponitur, adeo est ficulnea, ut nullam omninò vim habeat, etiamsi supponatur dari Formas. Etenim nemo Peripateticus unquam dixit, Formam esse accidentium ipsam comitantium efficientem aliter, nisi per emanationem; quam *nequaquam esse veram ac propriam efficientiam, sed remotam ac radicalem*, (uti loqui amant) confitentur. & hoc ipsum multo adhuc clarius explicat ipse Fonseca. Iis enim, qui ad confirmationem certæ opinionis, inter Peripateticos controversæ, proponunt ut rem notam ac confessam, *Formam substantialem cujusvis rei, esse Principium immediatè productivum illius passionum*: respondet, *Passionem propriam non effici à subjecto, sed ab eo agente, à quo subjectum efficitur; & qua actione ponitur subjectum in rerum natura, eadem consecutivè poni propriam ejus passionem*. quare sibi ipsi contradicit Fonseca, asserens accidentia habere esse suum à substantiis sive Formis. ab eo enim res habet esse suum, à quo effecta est. accidentia autem à suorum suppositorum Formis effecta esse, Fonseca inficiatur. Imò si hoc quoque supponeretur, non modo dari Formas, sed & esse eas accidentium ipsas comitantium effectrices, & quidem veras & proprias; ne sic quidem sequeretur, Formas esse principalia agentia earum actionum, quę per qualitates ab ipsis productas efficiantur: nisi si omnes efficientes sunt Causæ principales operationum, quas edunt res ab ipsis effectæ; aut nisi (quod idem est) omnes res in omnibus suis actionibus non sunt aliud quam instrumenta earum rerum, à quibus ipsæ productæ fuerunt: id quod nemo dixerit, neq; ipse Fonseca concesserit: qua de re mox iterum dicetur.

Suar. disp. 18. sect. 2. §. 22.

2. Metaph. 2. quæst. 6. sect. 5.

XV. Et ita quidem apparet, nihili esse eas rationes, quæ adhibentur ad probandum, quod Formę debeant esse Principalia agentia earum actionum, quæ à qualitatibus activis eduntur. Sed rem quoque ipsam, per se consideratam, esse valde absurdam, adeò quidem, ut repudianda

Cap. I. ſit, etiamſi darentur Formæ ſubſtantiales; facilè monſtrari poteſt. Notandum verò prius eſt, phraſin illam, qua accidentia dicunt operari in virtute ſubſtantiæ, duplicem habere apud ipſos explicationem; vel quod à ſubſtantijs ſive Formis ad accidentia derivetur virtus quædam, per quam ipſa operentur; vel duntaxat, quod accidentia ſint virtus inſtrumentaria Formarum principaliter operantium. Prius quidem, licet à multis Thomiſtis dicatur, non tamen ab ijs dicitur reſpectu omnium actionum, ſed tantummodo reſpectu generationis ſubſtantiæ, ſeu productionis Formæ; in qua tamen productione multi de ipſis Thomiſtis hunc agendi modum rejiciunt; & hic quoque, *accidentia operari in virtute ſubſtantiæ*, non aliud eſſe dicunt, niſi quod ſubſtantijs inſerviant pro inſtrumentis. Quum igitur prior modus neq; pertineat, ad eas actiones, de quibus nos hic agimus, ſcilicet productiones accidentium, & non modo ab alijs Peripateticis, ſed à plurimis ipſorum Thomiſtarum (in qua tamen ſecta natum ac educatum eſt hoc figmentum) pro improbo ac ridiculo explodatur: iſto omiſſo, de altero tantum modo tractabimus, quo per illa verba, quod nimirum Accidentia agant in virtute ſubſtantiæ, intelligitur, quod ſint Formarum principaliter operantium inſtrumenta. Nolumus nunc verboſè explicare, quid ſit Agens Principale, aut Inſtrumentarium; aut in quo ipſorum ratio conſiſtat: quia alius & oportunior dabitur prolixius de hoc agendi locus. Breviter tantum dicimus; nullum Agens ſubire inſtrumenti rationem, niſi quatenus ab alio ad agendum cietur: id quod tribus modis fieri poteſt, imperio vel hortatu, tacito inſtinctu, applicatione. primus modus locum non habet, niſi reſpectu agentium proæreticorum, idq; inter diverſa ſuppoſita. quod enim aliquem imperare ſibi ipſi, & cohortari ſeipſum dicimus, in eo vulgari magis loquendi uſui, quam philoſophicæ accurationi nos accommodamus. & ſi vel maxime concederemus, unam animæ facultatem in alteram habere aliquod imperandi aut hortandi jus; nemo tamen auſit aſſerere, ipſam animæ ſubſtantiam in facultates ſuas exercere ali-

quam

Cap.I.

quam jussionis aut exhortationis speciem. In ijs autem Agentibus, quæ non sunt Agentia libera, sed Necessaria (ut vocari solent) nullus locus est huic modo, uti per se liquet; neque eorum qualitates activæ possunt dici Formarum instrumenta ea ratione, quod ipsarum jussu aut hortatu operentur. Sed neq; secundus modus, nimirum instinctus, horum respectu admitti potest: quandoquidem instinctus, ille saltem, de quo nos loquimur (qui est latens quædam impulsio ad agendum) spectat solummodo ad viventia, neq; viventia omnia, sed animalia duntaxat. in ijs autem, sicuti intellectu facile est, quomodò & ipsa ab aliqua vi superiore, ut Deo vel Angelis; & nonnullæ ipsorum facultates animales una ab altera hoc modo cieantur; ita imaginari difficile est, quomodo ipsa animæ substantia facultates suas ad istum modum impellere possit. De tertio autem modo, qui est applicatio, quiq; fit duobus modis (vel admovendo agens ad patiens, vel patiens ad agens) evidentissimum est, quod per eum Formæ nequeant esse Agens primarium respectu qualitatum activarum; quippe quę neq; patiens qualitatibus, neq; qualitates patienti admovere valent. Quum igitur neq; Anima (quam illi pro Forma habent) neq; aliæ Formæ (si darentur) fingi queant ullo istorum trium modorum facultates suas ciere ad agendum, neq; ullus alius ciendi modus detur, & omninò sit de Ratione Causæ primariæ, ut Causam eam, quæ ipsius instrumentum dicitur, ad agendum cieat; apparet vanum esse illud commentum (etiam suppositis Formis substantialibus) quod Qualitates activas dicit esse Formarum instrumenta in actionibus suis obeundis.

XVI. Et hoc ipsum amplius etiamnum demonstratur ijs exemplis, in quibus ita agunt Qualitates, ut fingi non possit, Formam cum ijs ad agendum concurrere. Etenim ipsi illi, qui dicunt Qualitates esse instrumenta Formarum, fatentur, non omnia accidentia à Forma subjecti, cui insunt, dirigi ad agendum, sed naturalia tantùm, seu quæ rei secundum naturam suam habenti insunt. ast calor in aqua

 fervida,

Cap.I.

fervida, ferro candenti, & similibus, non calefacit tantùm, sed & urit, nequaquam à Forma ferri aut aquæ adjutus. Formæ enim illæ sunt quam maximè alienæ à calore, istarum actionum auctore, utpote contrariæ qualitatis, nimirùm frigoris, conciliatrices subjectis suis, ex recepto inter omnes Peripateticos axiomate, quo propria cujusq; rei accidentia Formam sequi, atq; ab ea fluere dicuntur. Non possunt igitur Formæ, quæ naturaliter frigus trahunt comitem, & proinde calori sunt inimicæ, concurrere cum calore, ad actionem ullam edendam. Et cum in hujusmodi subjectis calor suo marte ac proprijs viribus agat quodcunq; agit; non est cur dubitetur, quin & in proprio subjecto existens, totus suæ spontis sit in agendo, neq; Formæ concursu indigeat. merito autem ad alias quoque omnes Qualitates activas id transferatur, quod de calore est manifestum. Reluctantur quidem illi, qui hanc de instrumentaria Qualitatum operatione sententiam fovent: & quanquam negare non audent, quod illa Accidentia, quæ insunt in tali subjecto, cujus Forma iis penitus adversetur, nequaquam dici possint per concursum istius Formæ operari; aliquid tamen comminiscuntur, quo sese extricent ex hisce angustijs. Sed incassum sese fatigant, magnisq; sese induunt absurditatibus, dum nituntur istam objectionem solvere. Mirabili enim audacia, quam opem invenire non possunt in Forma ejus subjecti, cui calor inest, eum petunt à Forma istius suppositi, à quo calor ille in aquam est introductus. quippe aiunt Conimbricenses, *calorem aquæ calidæ ita calefacere, ut non propriâ, sed ignis virtute agat. Formam enim substantialem ignis esse principale Principium activum, à quo in aquam calor defluxit, quodq; in eo calore, ut in sua virtute operatur. deniq; ipsum ignem esse præcipuum agens, qui mediate mediatione suppositi, sed immediatione virtutis, eam calefactionem exhibet.* Et non Conimbricenses tantum, sed multi quoque alij Peripatetici hanc fovent absurditatem, unde etiam nata inter illos est illa instrumenti divisio in conjunctum & separatum, quam ita inter alios explicat Toletus,

8. Phys.7. quæ. 18. art.4.

Cap. I.

Toletus, ut dicat, *Instrumentum conjunctum esse, quod moveri non potest, nisi actu moveatur à principali agente, ut calamus ad scribendum, calor ignis ad calefaciendum. Separatum verò, quod quamvis alterius operatur virtute, tamen potest absq; illius præsentia operari, ut virtus seminis productiva, ut calor in aqua ab igne productus, qui & ab igne separatus calefacit, & hujusmodi alia.* Ad hunc autem de instrumento sepatato errorem (uti ad alios plerosque) prævivit ijs ipse Aristoteles, cujus hoc est commentum, semen animalium & plantarum, esse parentum instrumentum, uti apparet è secundi de Generatione animalium primo; idq; adeò receptum est in Peripato, ut vix invenias in ea, qui dubitet, quin semen sit ac rite dicatur Instrumentum generantis. Si autem hoc verum est, omnino statuenda sunt instrumenta separata, quomodo ipsi ea statuunt; neq; pejori jure calor in aqua productus dicatur instrumentum ignis, qui eum produxit, quam virtus seminis, instrumentum genitoris. Sed nos totum hoc de instrumento separato negotium, quomodo ab ipsis explicatur, pro figmento mero habemus. Nolumus de nomine ipso pugnare, neq; cum eo litigabimus, qui voluerit instrumenta quædam appellare separata. Quum enim instrumentorum alia sint proæretica, alia alterius naturæ; proæretica, quæ jussu, aliove consimili modo diriguntur, possunt separatorum appellatione donari, ad distinctionem eorum, quæ per appellationem diriguntur, quanquam sane neq; omnia non proæretica instrumenta ita applicantur à primario agente, ut ipsa moveantur; sed sæpe contingit, ut ipsis manentibus quietis, ipsa res, in quam agere debent, ipsis applicetur ab agente principali; quæ res infra accuratius explicabitur. Quando autem aliqua istorum instrumentorum ita operantur, ut non ipsa ad patiens, sed patiens ad ipsa moveatur; tunc & ipsa poterunt quodammodo instrumentorum separatorum nomen sustinere, quippe quæ ab agente principali abjuncta sunt, neq; ullam habent cum eo connexionem. Hoc igitur modo explicata ista Instrumentorum divisio in conjuncta & separata, poterit

2 Phys. qu. 7.

Cap. I. tolerari; quanquam sanè utilitatem sic quoque aut perexiguam habet, aut nullam. Quæ vero ipsi invehunt instrumenta separata, omnino sunt repudianda. Instrumento enim (quod nemo negaverit, nisi qui omnem loquendi legem velit pervertere) aliquod saltem debet cum eo, cujus instrumentum dicitur, intercedere commercium. at hisce instrumentis separatis, quæ vocant, adeo nihil est negotij cum Causis illis primarijs, quas indigetant; ut nihil ipsorum intersit, etiamsi plane abolitæ sint, ac de rerum natura sublatæ; neque propterea quicquam in suo agendi modo sint mutaturæ: uti in exemplis supra allatis manifestum est. aqua enim fervens & ferrum candens nihilo secius calefacient, etiamsi ignis, à quo ipsa calorem acceperunt, sit extinctus. Quodsi igitur aliquid dicere volunt, nihil ijs in promtu est, ob quod instrumenta separata à se vocata afficiant instrumentorum nomine, nisi quia ab ijs Causis, quibus ea dicunt inservire pro instrumentis, producta sunt. Sed hoc dicendo, in aliam rursus non parvam absurditatem devolvuntur. Namque si calor aquæ, verbi gratia, dicendus est instrumentum ignis, qui eum produxit, ob hoc ipsum quòd eum produxit; nihil obstat, quin eodem jure omnes qualitates activæ dicantur instrumenta eorum Efficientium, à quibus ipsæ productæ sunt. & sic ipsius quoque ignis calor non erit instrumentum istius ignis, à quo aqua calefacta est, sed alterius ignis, ejus nimirum, qui hunc ignem generavit. Par est enim utrobique ratio. Namq; etiamsi verum foret, calorem esse naturalem illi substantiæ, quæ cum accensa est, ignis dicitur; aquæ autem præter aut contra naturam (quod tamen dubitatione non caret, sicuti ex ijs, quæ de igne disputabuntur libro sequenti, apparebit) attamen ne sic quidem possent cùm ulla probabilitate invehere hoc discrimen, ut alias qualitates dicerent esse virtutes ipsarum substantiarum, in quibus insunt, alias verò substantiarum, à quibus productæ sunt: sed ad minimum eo redigentur, ut fateantur, in illis substantijs, ubi qualitates sunt præter naturam, illas esse instrumentum Efficientium duntaxat; in ijs

verò

vero, ubi naturaliter insunt, eas quidem suarum Formarum, quas comitantur, instrumentum esse; sed tamen & illarum, à quibus procreatæ sunt. Si enim adversaria aquæ Forma, non potest arcere Formam ignis, quominus imperium exerceat in calorem ipsi introductum, multo minus id faciet illa Forma, quæ sociabiliter atq; amice cum Forma productrice conspirat. Ast hoc, quòd omnes Qualitates activæ sint Instrumentum eorum Efficientium, à quibus in sua subjecta introductæ sunt, adeo est absurdum, ut neminem inter Peripateticos inventurus sis, qui id asserere audeat; etiamsi nonnulli eorum de Gravitate & Levitate (quæ non sunt quidem Qualitates Activæ, sed ab ijs pro talibus habentur) permiserunt sibi in tantum delirare, ut auderent statuere, gravitatem & levitatem, qua corpora naturaliter ferri dicunt in sua loca, esse quidem Efficiens proximum illius motus; principaliter tamen hunc motum generanti, qui Formam, & mediante illa gravitatem, à qua motus resultat, indidit, tribuendum esse; ita ut non moveant nisi ut instrumentum generantis, & vice ejus: sicuti hac de re scribit Suarezius, qui & ipse fovet hanc sententiam: sicuti neq; alienus est ab eo figmento, quòd calor aquæ calefactæ sit instrumentum ignis qui eam calefecit, ut è sequente Paragrapho constat. Quod ipsi ac socijs ipsius tunc credemus, cum nobis ostenderint, qua ratione potius hæc qualitas activa debeat dici Instrumentum generantis, quam aliæ pleræq;, quarum actionem ipse negat, in eodem Paragrapho 27. posse generanti adscribi.

Cap. I.

XVII. Atq; ex his omnibus satis apparet, positis etiam Formis, nihili esse ea, quæ dicuntur ad ostendendum, quòd Qualitates non sint Primaria seu Principalia Agentia suarum operationum, sed instrumentaria. Et hoc adeo clarum est, ut propterea multi de ipsis Peripateticis figmentum illud de instrumentaria Qualitatum actione repudiarint. namq; ut vetustiores (quorum multi hoc fecerunt) omittam, Suarezius existimat, Multa accidentia sine concursu Forma-

rum

Cap. I.

rum operari, & propria virtute; ac proinde esse principales suarum actionum Causas; uti ex Disputationis decimæoctavæ sectione quinta ac sexta apparet: & Pererius quoq; defendit, Formas nec mediate nec immediate operari, sed quicquid agant Accidentia, id ab ijs tanquam à Primarijs agentibus proficisci. Quandoquidem igitur omnium consensione Actiones eduntur ab Accidentibus; & illud quod de Formarum cum Accidentibus concursu ad operandum dicitur, figmentum merum esse deprehenditur, adeo quidem, ut à magna ipsorum Aristotelicorum parte repudietur: valde futilis est argumentatio, quæ adhibetur ad probandam ex Actionibus Formam Substantialem. quare etiam Suarezius, dum hunc pro Forma locum, qui à rerum constitutione petitur, tractat, nullam facit Actionum sive Functionum mentionem. Namq; Pererium sane mirari licet, qui cum nullas Formæ (ut diximus) in operando partes relinquat, totumq; negotium Accidentibus vendicet: nihilominus tamen huic argumento, quod à functionibus ducitur, locum fecit inter reliqua, quæ affert ad probandam Formam substantialem. ita enim scribit: *Postea ex operationibus [ostenditur Forma.] singulæ enim res proprium habent motum & operationem, ut magnes vim trahendi ferrum, qua vis manat à substantia rei: non quidem à Materia, siquidem ea vim tantùm habet patiendi; & hujusmodi vis ac facultas esset in cunctis rebus naturalibus, in quibus est Materia, nec ab accidentibus. nam quod ipsa agant præfinito & accommodate ad suam cujusq; rei speciem, non habent ex se, sed à substantia specifica, cujus sunt instrumenta.* atq; eadem levitate in proœmio libri sexti ait, *Formam esse fontem omnium actionum, ac motuum naturalium, & admirabilium operum architectricem; accidentia autem esse velut instrumenta quædam ad actiones Formæ obeundas.* & rursus ejusdem libri toto capite decimo septimo ita de Forma loquitur, acsi ipsa sola esset omnium rerum principalis effectrix, ac disertis verbis dicit, *Omnem actionem esse à Forma.* quæ sane incogitantia summa est, & intolerabilis, ut eo in loco, ubi hanc

Lib. 8. Phys. inde à cap. 10.

6. Phys. 3.

quæſtionem, *an accidentia ſint primaria agentia, vel inſtrumentaria*, ex profeſſo tractat, negativam partem amplectatur, formaſq; prorſus ab agendo excludat; alibi verò ita loquatur, ac ſi certum eſſet ac confeſſum, Formam principales in agendo partes tenere, atq; accidentibus uti pro inſtrumentis; & argumentum quoq; hinc petat, ad Formarum confirmationem. Quum enim hæc inter ſe directò pugnent; tuendo utrumq; ſimul, apertiſſima ſeipſum involvit contradictione: id quod ſicuti in ſe eſt abſurdiſſimum, & viris doctis planè indignum, ita ſæpius ijs evenire cernimus, qui Peripati ſomnijs ſeſe addixerunt; quippe quibus ita male cum veritate convenit, ut melior ac firma ipſorum defendendorum ratio iniri vix poſſit. Cap. I.

XVIII. Secundum pro Formarum aſſertione locum derivat Fonſeca ab unitate rerum naturalium, alio nimirum modo, quam de qua ſupra paragrapho undecimo egimus. Ait enim, *Quum unaquæq; res naturalis ſit unius eſſentiæ, & unum ens ſimpliciter; non poſſe eas conſtare ex Materia & accidentibus: quia & Materia, ſi non perficitur in genere ſubſtantiæ per Formam Subſtantialem, ſit ens completum; & accidentia itidem entia completa, cum propriè & directò ad certa prædicamenta pertineant. aſt ex pluribus entibus completis non conſtitui ullam veram eſſentiam & naturam, quantumcunq; illa in ordinem redigantur & coaptentur.* Ad quæ nos reſpondemus: ſicuti verum eſt, unamquamq; rem naturalem eſſe ſimpliciter unam, atq; unius eſſentiæ; ita falſum eſſe, quod ejuſmodi entia non poſſint ex pluribus entibus completis conſtitui: niſi ſi vocem *Completi* in arcta admodum ſignificatione accipias, intelligendo nimirum per *Entia completa* ejuſmodi Individua, quæ ad nullam ulteriorem compoſitionem deſtinata, ſibi ipſis ſunt hoc, quicquid ſunt, ac ſuperioris ſubſtantiæ partes fieri reſpuunt: cujuſmodi Individua ſunt Animalia, & ſtirpes. etiamſi enim multarum ſtirpium partes in unum corpus cum alia ſtirpe coaleſcere apta nata ſunt; non putamus tamen dari ullam ſtirpem, quæ integra cum

1. Metaph. 7. quæſt. 3. ſect. 3.

Cap.I. alia integra coagmentari poſſit ad tertiam ſtirpem, cujus ipſæ non niſi partes ſint, conſtituendam. certe Viſcum & Polypodium arboribus, quibus innaſcuntur, pro ſolo tantum utuntur, neque magis unum cum ijs faciunt, quam Hedera cum ijs arboribus, ac muris, quos ſcandit, quibuſq; ſe per immiſſas ſubinde novas radices illigat. & ſi qua ex pluribus ſeminibus unica planta naſcitur (quod multi aſſerunt) non illic integræ ſtirpes uniuntur, ſed ſtirpium duntaxat rudimenta. De hiſce igitur Entibus Completis, animalium ſcilicet ac ſtirpium individuis, verum eſt, ex pluribus eorum non conſtitui unam eſſentiam. Quodſi autem in latiori ſignificatione ſumatur vox *Completi* (quomodo nimirum à Fonſeca hic ſumitur) omnino falſum eſt, è pluribus entibus completis non poſſe conſtitui ens verè unum. namq; & eſſentiales animalium aliorumq; animatorum partes, corpus, & anima, ſunt ſibi quæq; ens completum (quippe quæ ſuam ſibi habent eſſentiam, neq; eam inter ſeſe in totum, vel ex parte commodant, aut mutuantur) ac tamen individua veriſſimè una conſtituunt: & ipſa rurſus animatorum corpora, uti & aliæ ſubſtantiæ inanimes, quamquam eorum unumquodq; ſint ens verè unum, conſtituuntur è concurſu variorum Elementorum; quę Elementa per ſeſe conſiderata, omnino ſunt entia completa. Quodſi jam ex diverſis ſubſtantijs completis una atq; unius eſſentiæ ſubſtantia conſtitui poteſt: multo magis id fieri poterit ex ſubjecto & accidentibus, quum præſertim accidentia ſubſiſtere per ſe nullo modo queant, ſed in hoc ordinata ſint, ut ſubjectis inhæreant, & vel ijs inſint, vel ne ſint quidem omnino: ut mirum non ſit, ſi cum ſubſtantijs concurrant ad unam rem conſtituendam, cum quibus tam arcto nexu hærent, ut pereundum ijs ſit, ſi quando earum conſortium relinquere coguntur. & ſicuti hæc ratio valida eſt pro ijs Accidentibus, quæ vera ſunt entia per ſe, (cujuſmodi ſunt ſolæ Qualitates) ita multo magis obtinet pro ijs, quæ nullam ſeparatam habent eſſentiam, ſed totum hoc, quod ſunt, ſunt ſubſtantiarum, utpote quarum non ſunt niſi modi. Si autem

vel

vel maxime verum esset, id quod hic urget Fonseca, ex subjecto & Accidentibus non constitui essentiam unam, non nos magis, qui Formam tollimus, premeret hoc incommodum, quam ipsum aliosque, qui eam ponunt: quandoquidem ex hac doctrina neque calor ignis unum ens per se constituet cum suo subjecto, neq; facultates animæ cum ipsa anima. Quodsi vero ipsi absurdum non putant, ut unum per accidens constituatur ex subjecto, & ijs accidentibus, quæ adeo sunt essentialia, ut substantię, ad quas pertinent, non modo consistere sine ijs ac nomen suum sustinere non possint, sed ne animo quidem aut imaginatione concipi: non est cur nobis vitio vertant, quod ea tradimus, è quibus sequatur, quod res naturales non sint unum per se, sed unum per accidens. ipsi enim æque huic criminationi sunt obnoxij cum suis Formis, à quibus non plus lucrantur, nisi ut res naturales faciant unas per se ex altera duntaxat parte, nimirum substantiali (quod & nobis æque contingit, tum in Elementis, tum in ijs substantijs, quæ ex unico duntaxat Elemento, introductione certarum qualitatum, factæ sunt) non verò totas, quippe qui ab illa unitate excludunt omnia accidentia, quorum tamen plurima ad ipsam rerum integritatem atq; essentiam pertinent. quomodo enim ad rei essentiam non pertineat ea pars, sine qua existere ipsa nequaquam potest? Sane ipsis velint nolint fatendum hoc est, ac proinde vel inviti condemnare coguntur tritum illud inter ipsos axioma, qua totam rei essentiam atq; naturam ita soli Formæ transcribunt, ut nullam plane accidentium videantur rationem habere: qua re insulsius nihil fieri potest, etiamsi verum foret, dari Formas substantiales; nisi fortè dicere audeant, ignem posse esse ignem absq; calore, & mentem humanam posse esse rationalem absq; intellectu & ratione. Ut autem hæc concludamus, sciendum errorem ejus effati, quod ex pluribus entibus completis negat posse conflari unam veram essentiam, atque unum ens per se, in eo consistere, quod unitas atq; essentia vera sumatur pro unitate & essentia simplici, ac cum

Cap. I. ea confundatur, acsi hæc plane eadem essent, neq; quicquam inter se differrent; quum tamen plurimum inter ea intersit. Sane istius axiomatis fabricatores decepit unitas numeralis, non in rebus considerata, sed in sese, ut est numerus duntaxat, atq; ens intentionale, ut vocant. talis enim unitas omnem respuit compositionem, ac ne esse quidem potest, nisi ut sit simplex. ast unitatis naturalis longe alia est ratio. quippe hac unitate esse aliquid unum potest, quod ex partibus diversis, & iis quidem valde inter se differentibus, coagmentatum est. quanquam autem talis res non sit simpliciter una, ac proinde neque simplicis essentiæ, suam tamen habet veram essentiam, estq; verissime una, non minus quam illæ res, quæ cum omnis sint compositionis expertes, unitatem atque essentiam habent simpliciter unam; cujusmodi non modo sunt qualitates pleræq;, sed & Elementa absq; qualitatibus suis considerata. & sicuti de unitate atq; essentia simplici certum est, eam non posse inveniri in rebus, quæ ex diversis entibus completis sint conflatæ, ita alteri unitati atq; essentiæ adeo non officit, ex pluribus entibus constitui, ut potius necessarium ipsi sit, atq; ad eam efficiendam planissime requiratur. neq; ulterius verum est, ex diversis entibus non posse unam veram essentiam constitui, nisi ubi illa ita inter se conjunguntur, ut nulla reali ac physica unione inter se devinciantur: id quod nequaquam locum habet in illa copulatione, qua anima & corpus ad constituendam animantem vel stirpem, aut diversa Elementa, ad constituendum corpus aliquod naturale, inter se ac cum suis accidentibus consociantur. Et sic cadit illa Fonsecæ argumentatio, *Si semel admittatur constitutio verarum essentiarum ex entibus completis, fore ut cuiq; liceat nullo negotio quamplurimas rerum essentias conficere, multis eorum conjunctis, & ordine collocatis:* non enim quævis variorum entium collocatio & conjunctio sufficit, ut novum inde ens naturale exurgat; sed conjunctionem eam esse physicam ac realem, ut diximus, necesse est. qualis conjunctio quum non contineat milites in exercitu,

multoq;

multoq; minus omnia quæ ſunt in mundo (quæ exempla illic à Fonſeca afferuntur) propterea non ſunt partes unius phyſicæ entitatis, neq; unam veram eſſentiam conſtituunt.

XIX. Porro multa adhuc alia in hujus loci tractatione congerit Fonſeca, quibus putat probari, quod res naturales nequeant ex Materia tantum & accidentibus, abſque Forma ſubſtantiali, conſtare. *Si eſſentiæ rerum naturalium* (inquit) *conſtant Materia & accidentibus, aut quælibet accidentia ſunt ſatis ad earum conſtitutionem, aut requiruntur certa & determinata.* Quòd quælibet ſint ſatis, nemo unquam ita deliravit qui diceret: quare vanum ſumit laborem Fonſeca, contra hoc diſputando. Alteram autem & veriorem ſententiam, quæ Res naturales conficit ex Materia & determinatis accidentibus, ita impugnat, ut argutetur, accidentia illa aut inſeparabilia ſtatuenda, aut ſeparabilia. non poſſe ſtatui inſeparabilia, inde arguit, quia Materia ſit indifferens ad omnia, excepta duntaxat quantitate interminata, ex qua cùm Materia non poſſit ulla rerum naturalium varietas confici. Sed neq; licere accidentia illa facere ſeparabilia, concludit ob duo incommoda. prius eſt; quia eſſentia, quæ ex eis cum Materia conſtabit, non erit una, niſi per accidens, & ratione ſubjecti, quæ unitas non ſit ſatis, ut ex ea colligas unam eſſentiam, ex ſubjecto & Formis conflatam. alterum eſt; quia cum hæc conjunctio variabilis ſit, variabilis quoq; futura ſit eſſentia, quæ ex ea conſtituetur, neq; habitura ullum fixum perfectionis gradum. verbi causâ, ſi ignis conſtet ex Materia & calore actuali, aut ſiccitate, aut deniq; raritate; quum hæc magis & minus accipiant, fore quoque ignem modo magis ignem, modo minus: quod dici non poſſit. Hiſce demum adjungit, quod ſi ex Materia & accidentibus, ſive uno ſive pluribus, conſtet aliqua vera eſſentia; quum omnis vera eſſentia ſit vel ſubſtantia, vel accidens; ejuſmodi quoq; eſſentiam fore ſubſtantiam, vel accidens. atqui non fore accidens, quippe quæ & in ſubjecto non inerit; & ex ſubſtantia conſtabit; neque item

Cap.I. substantiam, ut quæ constabit ex accidente, atq; ab eo speciem accipiet, tanquam à propria Forma. nullam igitur essentiam ex Materia & accidente, aut accidentibus constare posse; quia alioquin oporteret, contra communem omnium sententiam, & ipsam quoque rationem, ponere medium quoddam genus inter substantiam & accidens, quod nec substantia sit, nec accidens, sed quippiam ex utroq; constitutum. id quod si verum sit; hoc solum genus rerum naturalium poni debere, quippe ad quod Materiam & accidentia reducere oporteat, tanquam partes ad totum, nullamq; jam materialem substantiam, aut accidens, fore ens completum: quæ omnia sint absurdissima.

Præter hæc aliam adhuc rationem huc spectantem habent Conimbricenses, à Fonseca omissam, vel non satis declaratam. *Quæro*, aiunt, *cur isthæc potius accidentia in hac Materia, quam illa conspiciantur? cur igni potius calor quam frigus competat? cur aërem levitas, non gravitas sequatur? Cum igitur hujus rei Causa ad Materiam referri non possit, plane sequitur talium accidentium originem ad Formam substantialem, uti ad ipsorum fontem, referendam esse.* & similiter Pererius, *Si tollas Formam substantialem, nulla potest reddi Causa, cur aliqua accidentia sint reliquorum propria, neq; cur certa accidentia in certis rebus uniantur & copulentur. nam Materia ipsa una est atq; indifferens ad omnia accidentia. horum quodlibet per se non requirit talem unionem. quid ergo est, quod eam hoc vel alio modo & gradu requirat, si tollatur Forma substantialis?* Etiam Suarez proponit hanc rationem, sed ita ut eam permisceat cum illa Fonsecæ, qua dicit, Substantias non posse constare ex Materia & accidentibus separabilibus. quia essentia talis non esset una, nisi per accidens, & ratione subjecti. sic enim scribit: *Quum in uno ente naturali multæ proprietates conjungantur, hæc multitudo & varietas proprietatum requirit unam Formam, in qua omnes uniantur: alioqnin essent mere accidentaliter congregatæ in eodem subjecto, & unâ omnino sublatâ, non propterea recederet alia. at oppositum constat experientia.* ergo

1 Phys. 9. quæ. 30. art. 2.

6. Phys. 2.

Disp. 15. sect. 1. §. 14.

ergo signum est, talia accidentia in tali numero, pondere, & mensura, in tali subjecto & ente requisita, non habere illam connexionem respectu solius primi subjecti, seu Materiæ primæ, sed respectu alicujus compositi, quod ratione Formæ illum accidentium inter se ordinem requirit.

XX. Hæ objectiones quam nullius sint momenti, planum fiet ex veræ sententiæ declaratione, quam postea in libro de Natura ampliter executuri, hic paucis breviter comprehendemus. Principio rerum, quum Universum hoc Deus fabricaret, ac decrevisset apud se, quot ac quales Rerum species aut ipse tunc facere, aut ab alijs postea fieri vellet, unicuiq; speciei suas certas attribuit conditiones, in quibus ipsius integritas ac perfectio consisteret. & quum aliæ quidem species mansuræ semper essent, absq; ulla individuorum vicissitudine, aliæ verò perpetuas oriendi atq; intereundi vices in suis individuis experturæ; utriusq; quidem generis substantias omnibus conditionibus, à se ipso pro unaquaq; specie destinatis, ornavit; pro alteris verò curam quoq; gessit, ut Agentia illa, quæ novas ejusmodi substantias postea generatura essent, cunctos eosdem characteres (nisi alicunde impedirentur) ijs imprimerent: sicuti & pro illis speciebus, quarum nulla individua istis sex dierum operibus ipse molitus est, ita providit, ut Effectores illi, à quibus suo tempore essent producendæ, omnibus eas debitis notis, à sese unicuiq; ipsarum assignatis, insignirent. Hæc igitur specifica perfectio, ab ipso Deo constituta, in Causa est, cur talia atq; talia Accidentia in quaque specie reperiantur; ut proinde supervacuum sit, fingere Formas substantiales; ad quas eorum origo tanquam ad fontem referenda sit, & quarum ratione composita illam accidentium congregationem atq; connexionem requirant. Imò si vel maxime darentur Formæ, nihilosecius tamen maneret illa Conimbricensium quæstio, *Cur isthæc potius accidentia quam illa in hac Materia conspiciantur? cur igni calor potius quam frigus competat?* namq; si respondeant, tales Formas talium.

Cap.I.

lium accidentium comitatum ſibi depoſcere; quæremus porro, qui fiat, ut hæc aut illa Forma hujuſmodi ſibi accidentia poſtulet, & non alia. neq; aliquid habebunt quod reſpondeant (ſi modo non velint inſanire) niſi quia Deus hæc ita ordinavit, ac certis Formis certa accidentia attribuit: quo pacto in idem nobiſcum recident, atq; certum in quaq; ſpecie accidentium numerum haud alij rei, quam Divinæ inſtitutioni primitus ferent acceptum; cui inſtitutioni obtemperantes genitores (in hiſce nimirum rebus, quæ generari ſolent) tali Formæ à ſe productæ talia accidentia adjungant. Ita ſane, quanquam ſomniare ſolent, proprietates rerum à Formis emanare, non tamen docent, ipſam primam accidentium productionem à Forma fieri, ſed ab eodem Effectore, à quo Forma producatur; unde pervulgatum illud, *Dans Formam, dat omnia quæ Formam conſequuntur*. Sicuti igitur illi dicunt, unicuiq; generanti præfinitum eſſe, ut cum tali Forma producat talia accidentia; ita nos ſimpliciter dicimus, præſtitutum eſſe generantibus, quibus accidentibus fœtus ſuos debeant adornare: in quo nulla abſurditas oſtendi poteſt, neq; verbum dici, cur Generanti difficilius eſſe debeat, præſcriptas ſibi à Deo leges ſervare in ſubjecto ſuo debitis notis excolendo, ſi hoc tantum agat, quam ſi Formam quoque ſubſtantialem præterea producat. à Forma enim (etiamſi darentur Formę) potius gravaretur ipſius penſum, quam ut ullum ipſi effectionis ſuæ adjumentum inde accederet, quum neq; parentem ſuum admonere Forma poſſet officij ſui in productione fratrum ſuorum ſeu pediſſequorum, videlicet accidentium ſibi (ut loquuntur) connaturalium; neq; laborem ipſi ſuum commodare, atq; operas cum ipſo partiri. quippe ipſi docent, Formas accidentibus eſſe natû poſteriores, & priuſquam Forma introducatur, apparari Materiam ad ipſius ſuſceptionem, introductione ſcilicet accidentium ſecuturæ Formæ congruentium: quam præviam alterationem interdum quoq; Generationis nomine afficiunt (quum proprie per generationem non ſoleant intelligere niſi ipſam Formæ introductionem, quæ momento

to fiat) eaq; à Scaligero Generatio præparatoria nuncupatur, in comment. ad Theophraſti ſecundum de Cauſis, *Eſt in generatione (non illa momentanea , quæ eſt introductio Formæ, ſed præparatoria) nihil alíud quam conflictus pugnantium Qualitatum, quoad unum fiant.* & quanquam nonnulli ipſorum ita delirant, ut dicant omnes illas qualitates, quibus Materia ad Formæ ſuſceptionem fuerit diſpoſita, ipſo momento, quo Forma accedit, vaneſcere, aliaſq; novas, prioribus conſimiles, ſubito oriri; tamen hi abſurditatis à multis ſuorum ſociorum damnantur, & receptiſsimo inter ipſos Ariſtotelis ſcito manifeſte repugnant, quo ſtatuitur, nullam alterationem fieri in momento, ſive in inſtanti (ut vocant) ſed aliquod temporis ſpatium requiri ad eam perficiendam : quo poſito, fieri non poteſt ut eodem momento, quo Forma producitur, accidentia Formæ conſectaria producantur; ſicuti neq; poſt Formæ introductionem locum eſſe ulli tali alterationi ipſi fatentur, utpote qui doceant, quod *ſicuti ante generationem, id eſt momentum illud, quo introducta Formâ res eſt id quod eſt, multi fiunt motus; ita Formâ introductâ fiat quies ſive ſtatus.* Formæ itaq; (ut ad rem redeamus) nihil conferrent Cauſæ generanti, ad productionem accidentium ſpecificorum, etiamſi eſſent aliquæ Formæ : neq; Cauſa, cur in hoc vel illo ſubjecto hæc vel illa accidentia naturaliter reperiantur, ad ipſas Formas, ſed ad Genitores, convenienter Divinæ injunctioni, ac facultatibus ab ipſo acceptis, operantes, eſſet referenda; æque ac nunc à nobis, qui Formam tollimus, refertur.

Cap.I.

Scal.comm. ad 1. Cauſ. 12.

XXI. Quod verò Fonſeca ait, Si accidentia ſtatuantur ſeparabilia (ut revera ſunt, & ſtatui debent) non poſſe ex ijs & ſubjecto fieri unam eſſentiam per ſe; in eo decipitur. Partium enim inſeparabilitas nequaquam requiritur ad rei veram unitatem, ſed duntaxat ad ipſius perpetuitatem atq; æternitatem. homo enim, cujus anima ac corpus eſſent inſeparabiles, ſeu qui à morte eſſet immunis (quomodo Elias & Enochus ab ea fuerunt immunes) non

Cap. I. eſſet magis unus ac verus homo quam nos qui morti ſuccumbimus. & ipſi Peripatetici ſtatuunt ex Materia & Formâ fieri eſſentiam veriſſime unam, quum tamen iſta eſſe ſepararablia fateantur. Quantum verò attinet ad eſſentiæ variabilitatem (quod alterum à ſeparabilitate accidentium derivat incommodum Fonſeca) eam nos ultro fatemur, quippe qui pro inani condemnemus illud Peripateticorum axioma, *Subſtantiam non recipere magis & minus*, nimirum ita late ſumtum, quomodo ab ipſis ſumi ſolet. quippe eodem redit, ac ſi dicerent, omnes ſubſtantias in ſummo perfectionis gradu ſemper eſſe conſtitutas, neq; poſse unquam aut ſeipſis, aut alijs ejuſdem generis eſse imperfectiores: id quod aperte falſum eſt. Pleraq; enim aut omnes ſubſtantiæ partibus conſtant, alijs quidem adeo eſſentialibus, ut aliquâ ipſarum ſublatâ, & ipſas perire ſit neceſſe; alijs vero ad integritatem quidem ipſarum & ſpecificæ naturæ perfectionem requiſitis, non tamen adeo neceſſarijs, quin ipſis ſublatis ipſæ manere nihilominus queant. Iam ſicuti priorum partium reſpectu Subſtantiæ non poſſunt eſſe magis aut minus ſubſtantiæ, hoc eſt perfectiores aut imperfectiores (quum earum partium nullum diſpendium patiantur, atq; aut habere illas debeant, aut ne eſſe quidem omnino) ita quoad poſteriores certiſſimo patiuntur illam majoris aut minoris perfectionis viciſſitudinem: & ſi quis ignis eſt alio igne calidior, eſt etiam magis ignis, ſive perfectior ignis, quàm ille minus calidus. Quodſi negare hæc velint Ariſtotelici, atq; axioma ſuum, quo ſubſtantias non ſuſcipere magis & minus ſtatuunt, tueri; neceſse eſt omnes de mundo morbos, mutilationes, atque debilitates tollant. Neq; tamen ex hoc, quod ſubſtantiæ obnoxiæ ſunt imperfectioni, eſſentiamq; habere poſsunt magis aut minus integram, ſequitur, (quod inde infert Fonſeca) nullum futurum fixum gradum perfectionis eſsentiarum. certus enim ac fixus eſt cuiq; ſpeciei gradus perfectionis, iſq; ſemper idem manet ac invariabilis, etiamſi vel aliqua vel omnia individua, alia quidem magis, alia verò minus, ab ea declinent. illa enim in individuis perfectionis atq; imperfe-

Cap.I.

perfectionis variabilitas non tollit certitudinem perfectionis ipsi speciei præstitutæ. Et hic latet origo erroris Aristotelicorum atq; Aristotelis, qui id, quod ipsi speciei debetur, ab eo, quod in ipsis speciei individuis invenitur, nescierunt distinguere; & quia illic nihil aut addi aut detrahi potest, hic quoque nihil posse addi detrahive existimarunt: in quo non minus imperite faciunt, quam si quis in quovis Oratore inesse diceret omnes illas conditiones, quas in perfecto oratore vel Cicero vel Quintilianus desideravit. Multæ sane Causæ dantur, quæ Causas generantes impedire valent ac solent, quominus in efformando partu suo omnia ad specificæ perfectionis normam exigere ac perficere queant: & si vel maxime genitores suum officium fecerint, omniaq; fœtui suo, quæ conferri poterant ac debebant, contulerint; incurrentes tamen postmodum injuriæ de nativa perfectione non parum detrahere, eamq; multum imminuere solent: quibus rebus fit, ut, quę speciei debetur perfectio, non semper in ipsis individuis deprehendatur; quæ individua proinde dicenda sunt minus perfecta, quam illa, quæ omnia ad specificam perfectionem pertinentia plene sortita sunt.

XXII. Porro illud, quod postremo loco addit Fonseca: Supposita illa, ex Materia & accidentibus conflata, neque substantiam meram futuram, neq; accidens, sed aliquid inter utrumq; medium, & ex utroq; constitutum: hoc totum ipsi concedimus; neq; ullum inde absurdum (uti ipse putat, ac declamat) sequitur: & si sequeretur, non nobis magis hæreret, quam Peripateticis, inter quos nemo adhuc inventus fuit, qui substantiam meram (hoc est, quæ ex sola Materia & Forma constaret, omnium accidentium expers) inveniri diceret. & præterea fateri coguntur, pleraq; accidentia adeo esse ad constitutionem substantiarum necessaria, ut sine ijs consistere substantiæ nullo modo queant (sicuti paulo ante quoq; dicebamus) quare effugere non possunt, quin concedant (nisi in animum induxerunt plane fatuari) tales res esse ex substantia & accidenti-

Cap.I. bus compositas, non compositione per accidens (uti cavillari solent) sed verâ ac per se: & sic locum contra eos habebunt omnia illa, quæ ijs, apud quos ex Materia & accidentibus, absq; Forma substantiali, componuntur res naturales, hic à Fonseca objiciuntur. Et quanquam adeo stomachetur adversus eos, qui Materiam & accidentia reducant ad res naturales, tanquam partes ad totum, idq; pro absurdissimo rejiciat: nihil tamen dicit, unde tam severæ ipsius censuræ fides ac autoritas concilietur, ac proinde non videmus, quidni nobis liceat contrariam ipsius opinionem, ac totam hanc declamationem, æque severiter repudiare, ac pro absurda condemnare. Namq; quod videtur vereri, ne hoc pacto tollatur recepta illa divisio, qua Entia in Substantiam & Accidentia distinguuntur; itemq; ne Substantia & Accidens sint entia completa: in eo fallitur. Etenim & divisio illa nihilosecius manet, recte intelligendo vocem Entis, non pro re seorsim ac per se existente (quippe sic nullum ens creatum vel substantia mera est, vel accidens, omniaq; entia sunt ex substantia & accidentibus conflata) sed quæ existentiam suam habeat in natura rerum, etiamsi nunquam sola, sed alteri semper conjuncta reperiatur. Et quanquam substantia nuspiam sine accidente, neq; accidentia extra substantiam inveniantur; hoc tamen non impedit, quominus & substantia, & accidentia (quæ quidem accidentia sint absoluta) possint entia completa suo modo appellari; quandoquidem non dubitant Peripatetici, quin compositum ex potentia & actu substantiali, sive ex Materia & Forma conflatum, sit ens completum, etiamsi fateantur tale ens nudum ac per se, & nullis accidentibus conjugatum, nullibi reperiri. Quod si per Entia completa intelligantur non ea, quæ sint aliquid reale, suamque veram essentiam habeant; sed quæ per se subsistant, neq; alterius rei partes, sed sibimet tota sint: tunc ultro fatemur, neq; substantiam Materialem (ut ipse vocat) néq; Accidentia entium completorum nomine donanda. Quanquam autem res naturales, ex substantia materiali & accidentibus compo-

sitas,

Cap. I.

sitas, soleamus simpliciter Substantias indigetare; hoc non facimus, quia illarum rerum essentiam in sola substantia putemus constare; sed quia & substantia pars rei est præcipua, quantum quidem ad existentiam; & quia alio commodo nomine, ad designandam rem ex substantia materiali & accidentibus compositam, caremus; neq; ullum, ex tali hujus nominis usurpatione, erroris periculum provenire potest, nisi apud eos, qui ultro decipi desiderent.

XXIII. Tertius Fonsecæ locus, ad demonstrandam Formam, fundatur in rerum naturalium conservatione. *Cernimus* (inquit) *qualitates contrarias ad certam quandam temperiem redactas, naturaliter in Mixtis conservari. ejus autem stabilitatis ac naturalitatis Causa non sunt ipsæ Qualitates, quippe quum natura sua repugnent mutuo; non item Materia prima, quum sit indifferens ad quemlibet earum statum; nec deniq; Causa externa duntaxat, quia is status non esset à natura rei. igitur aliqua Causa interna danda est, cujus ratione illæ naturaliter unitæ sint, & stabili consensione connexa, quod aliud esse nequit, quam Forma substantialis, aut natura aliqua ex ea constans.* & hoc multo magis evinci putat ex ijs Mixtis, in quibus una aliqua Qualitas, aut duæ Qualitates, reliquas magno intensionis excessu superent, quæ inæqualitas quum brevioris durationis Causa esse debuerit, plurimæ tamen harum rerum multo diutius conserventur, quam in quibus major temperies cernitur. Ab una igitur aliqua natura id provenire, quæ primis qualitatibus prior sit, & consequenter ab aliqua substantiali Forma, cui ejusmodi qualitatum status congruat. Hæc argumentatio quantum polleat (etiam supposita vulgari de Temperamentis doctrina) monstrabit pro nobis Suarez, qui eo in loco, ubi Formæ defensionem tractat, omnesq; rationes eo facientes diligentissime conquirit, fatetur hanc confirmationem (quæ nimirum Formam asserit ex eo, quod accidentia contraria in mistis ad certos gradus redacta, ita conserventur) nul-

1. Metaph. 7. qu. quæst. 3. sect. 4.

Cap.I.

Disp. 15. sect. 1. §. 14.

lam omnino vim habere: *quia quatuor primæ qualitates ad eam temperiem redactæ, in qua possint simul esse in eodem subjecto, non indigeant alia interna Causa vel Principio, ut in eo perpetuò conserventur in eodem statu, sed sola remotione extrinseci agentis corrumpentis; quia illæ qualitates in eodem gradu constitutæ, nec sint propriè contrariæ, neq; possint habere inter se actionem: & si habere eam possent, non posset Forma substantialis eam impedire, aut conciliare.* Itaque concludit, *Ex hac conservatione temperamenti, ex contrariis qualitatibus constantis, præcise sumta, non inferri Formam substantialem*; sed eatenus tantum id valere, quatenus aliqua qualitas, quæ extrinsecus vel aucta vel imminuta fuerat, redit ad priorem proportionem, remoto externo agente: quod tamen nullum novum sit argumentum, sed coincidat cum illo de reductione rei ad naturalem statum: quod argumentum ab ipso Fonseca seorsum proponitur, & à nobis mox examinabitur. Præter autem hanc Suarezij responsionem, aliam meliorem nobis suppeditat ipsa veritas quæ planè abdicat, ac pro inani figmento condemnat, quicquid Hippocrates prius & Aristoteles, ac deinde Galenus (longe hac in re magistros suos supergressus) de temperamentis, ex quatuor Primarum, ut vocant, Qualitatum certa proportione exurgentibus, imaginati fuerunt: sicuti alio magis opportuno hujus operis loco prolixe, favente Divinâ gratia, docebimus.

XXIV. Prædictis de Temperamento subjungit Fonseca, *Quod quum morbus adversetur naturali statui animalium, sanitas vero eidem conveniens sit, (quibus affectionibus aliæ quoq; in cæteris rebus, quæ gignuntur & intereunt, proportione respondeant) & hæ contrariæ affectiones ex varietate primarum quatuor qualitatum nascantur; igitur natura aliqua lateat sub primis quatuor qualitatibus, cui affectio altera consentanea sit, altera dissentanea, præsertim quum sint admodum variæ in diversis rebus, & quæ uni congruit, alteri adversa sit. Cum igitur ea natura nec*

sola

Cap. I.

sola Materia sit, nec Materia cum quantitate, aut qualitate aliqua priori primis quatuor, non dubium esse quin constet ex Materia & Forma substantiali. Sed profecto ne tenuissimum quidem consequentiæ vestigium est in hac argumentatione, neq; ullo modo ex eo, quod morbus adversatur naturali statui, & sanitas eidem congruit, inferri potest Forma substantialis, neq; eam fingere opus est, ut sit cui status ille naturalis, aut præter naturam, congruat aut adversetur. Hoc enim est ipsa res, seu totum illud, quod ex Materia & accidentibus constat, quæ accidentia, si debito modo se habeant, tunc illa res recte valere dicitur, atq; naturaliter se habere, quippe constituta in eo statu, qui isti speciei, ac proinde singulis speciei individuis, debetur. sin vero accidentia abeant à præscripto, necesse est illam rem male habere, quippe quæ non fruitur eo statu, qui ipsi naturaliter competit, quomodo etiam in substantijs artificiosis, quæ ex Materia certis accidentibus affecta constant, non quærendum est aliquid aliud, cui conveniat aut adversetur recte vel secus se habere, præter rem ipsam, quæ ex subjecto ejusq; accidentibus consurgat. Et hoc quidem planius est, quam ut plura verba de eo fieri debeant: quare etiam Suarez silentio plane præterijt hoc argumentum, utpote in quo non modo vim ullam probationis, sed neq; speciem quidem videret.

XXV. Quartus & ultimus probationum locus Fonsecæ desumitur ab Actionibus, non quidem omnibus simpliciter (quippe id jam prius in primo capite fecerat, & nos ibi id excussimus) sed peculiaribus quibusdam, ijsq; duorum tantum generum. Prioris generis facit actiones Pontentiarum sive Facultatum, de quibus sic infit; *Experimur res naturales ita sæpe occupatus esse in operatione unius facultatis, ut simul exercere nequeant operationes aliarum, præsentibus etiam objectis, veluti quum quis ita intentus est in rem, quam oculis cernit, aut animo volvit, ut alta etiam voce clamantem non audiat, interdumq; ita fit totus in ea re occupatus, ut neq; calor ipse stomachi quicquam pane*

Cap.I. *pene operis faciat. In actione etiam & passione corporum inanimatorum sæpe fit, ut agens in superando externo contrario ita occupetur, ut interim non possit eam sui partem, quæ à contrario vincitur, simul tueri, donec externum contrarium ita superet, ut suis jam partibus in pristinum statum reducendis operam dare possit. Hoc autem quid aliud est, quam dari in unaquaq; re naturali Materiam, atq; Formam aliquam omnibus facultatibus priorem, ijsq; omnibus mira quadam ratione præsidentem, perq; eas operantem, cujus vires & applicatio cum finitæ sint, si per unam facultatem alicui operi valde se applicet, sæpe nequeat per eandem, aut etiam per alias, in aliud opus incumbere.* Deinde addit, Id quod in viventibus fieri dixit, non posse concursui spirituum principaliter tribui; quia etiamsi necesse est, ut quum illi frequentes confluunt ad unum membrum, alia deserant, tamen, nisi una Forma detur omnibus facultatibus natura prior, & quæ in suo ordine prima concurrat ad omnes rei actiones, ratio sæpe reddi non queat, cur ejusmodi spiritus, & quasi actionum ministri, non æque subserviant omnibus potentijs, sed alia membra deserant, ut alijs accurrant. Hoc argumentum magni facit etiam Suarez. *Experimur*, inquit, *rem aliquam habentem plures operandi facultates, dum intense per unam operatur, impediri ne per aliam operari possit, aut ne cum tanto conatu. ergo signum est, illas facultates esse subordinatas eidem Formæ, quæ per eas principaliter operetur. nam si nullam subordinationem inter se haberent, neq; cum aliquo communi Principio, qualibet earum haberet suam operationem independenter ab alia, neq; esset ulla ratio, cur conatus unius impediret conatum alterius, magis quam si essent in diversis subjectis. At vero ex subordinatione ad eandem Formam redditur optima ratio, quia illa cum sit finita virtutis, dum intense applicatur ad unam operationem, distrahitur ab altera, & tanto conatu potest uni incumbere, ut ibi exhauriatur ejus virtus.* Attamen quod Fonseca non in potentijs tantum animæ, sed & in inanimatis quærit hujus rei probationem, in eo ab ipso dissentit, ac ostendit,

Disp. 15. sect. 1. §. 14.

dit, iſtam ab inanimatis confirmationem nullius eſſe roboris, ac proinde rejiciendam. *Antecedens*, inquit, *ab aliquibus declaratur in rebus ſeu Agentibus naturalibus, quæ dum intenſe agunt ad vincendum contrarium, ſeſe non poſſunt omnino tueri, quin aliqua ex parte vincantur, vel patiantur à contrario. Veruntamen hac experientia de repaſſione agentium naturalium non provenit ex ſubordinatione plurium facultatum ad unam Formam, ſed ex eo quod res non eſt ſemper æque potens ad reſiſtendum, ac eſt ad agendum. Unde etiam ferrum calidiſſimum, dum calefacit aquam, ab ea repatitur, quamvis Forma ferri nihil prorſus ad illam actionem conferat: imo ibi non intercedunt operationes diverſarum facultatum, ſed actio unius qualitatis, ſcilicet caloris, & actio eidem aliqua ex parte contraria, quæ ex eo provenit, quòd calor non eſt tam potens ad reſiſtendum, quam ad agendum. Quocirca in rebus inanimatis vix credo inveniri poſſe experimentum aliquod, quo illud antecedens probetur; quia in actionibus accidentalibus, quæ à vitâ non procedunt, non videtur proxime intercedere aliquis concurſus Formæ ſubſtantialis, ratione cujus remittatur actio unius facultatis ex conatu alterius.* Ita Suarez contra alteram hujus à Fonſeca allati argumenti partem; quæ cum ſufficienter hiſce profligetur, nos aliud ad eam reſponſum non quæremus aut dabimus, hoc Suareziano contenti. Porro quod ad facultates animæ pertinet, in ijs rem eſſe planiſſimam putat Suarez, non minus quam ipſe Fonſeca. itaq; ſic pergit: *In viventibus autem, præſertim in nobis, experimur manifeſte hujuſmodi effectum, interdum enim interior cogitatio attenta impedit, ne res etiam præſentes videamus, imo & actionem nutritivæ partis impedire ſolet diuturna meditatio,* & hiſce ſubjungit de concurſu ſpirituum ſimilia fere ac Fonſeca, interq; alia dicit, *Ipſum concurſum ſpirituum ad unam facultatem magis quam ad aliam, eſſe ſignum unius Formę utentis ipſis ſpiritibus & facultatibus ad duas actiones: quia aliàs nulla eſſet ratio, cur ſpiritus magis ad unam facultatem conflueret quam ad aliam.* Et eandem hanc quæſtionem

Cap.I.

Cap.I. etiam alibi, nimirum disp. 18. sect. 5. (quanquam alium in finem) tractat Suarez. summa autem eorum, quæ ibi ad ab ipso dicuntur, hæc est: *Quod actiones vitales tam intimo modo fiant, ut ab ipso primo Principio vitæ, quod est Anima, procedere videantur, hinc probari, quia ex nimia intentione ad opus unius facultatis, impeditur opus alterius (sicuti si nimis attente homo aliquid inspiciat, non audit loquentem) & attentio intellectus impedit operationem sensus (sicuti oculus, licet præsentem habeat imaginem, non videt, si anima ad illam non attendat) imo etiam opera nutritivæ partis impedit, vel suspendit; cujus rei nulla foret ratio, si unaquæque facultas sola per se ipsam haberet suam operationem. namque multiplicatis virtutibus, si una ab altera non pendet, neque ambæ ab uno tertio (cujus virtus, dum utrique applicatur, minuatur in singulis) nihil esse cur earum operationes non possint simul exerceri æque perfectè. Posse etiam desumi argumentum à connexione operationum: nam dum intellectus intelligit, voluntatem exercitari ad amandum. hoc autem ideo esse, quia eadem anima per utramque potentiam actu operetur: nam solam veluti habitualem radicationem, sive remotam dimanationem ab eadem anima, non satis futuram ad hanc actualem causalitatem, seu motionem & exercitationem, si unaquæque operatio à sua sola potentia actualiter prodiret, sine connexione in aliquo communi Principio.*

XXVI. Hæ Fonsecæ & Suarezij rationes, allatæ ad probandum, quod ipsa animæ substantia facultatibus suis cooperetur, quàm non sint validæ, apparebit ex nostra responsione, quam præcipue dirigemus ad posteriorem Suarezij locum è Disputatione decima octava, quandoquidem ibi rem hanc plenius tractat quam Fonseca, vel ipse in altero loco. Principio autem libenter concedimus, quod de spiritibus contendunt. tantum enim ab eo absumus, ut eorum discursum faciamus principalem præsentis negotij Causam, ut ipsi nullum plane hic locum relinquamus. quippe vulgatam Aristotelicorum ac Galenicorum

rum doctrinam de spiritibus, qui velut animæ vehiculum Cap.I.
sint, eamq; suo interventu corpori connectant, omnino repudiamus, neq; ullos tales spiritus agnoscimus: cujus nostræ sententiæ suo loco idoneas rationes reddemus. De cætero autem sic respondemus. si *substantia animæ, dum intense applicatur ad unam facultatem atq; operationem, distrahitur ab altera*, hoc aliter fieri non potest, nisi ut plus de substantia animæ præsto sit illi potentiæ, cujus attentior operatio alterius potentiæ operationem obscurat. Ast istius assertionis absurditas tanta est, ut seipsam, vel nobis tacentibus, abunde refutet. Non enim potentiæ sunt res per sese subsistentes, atq; aliquo loci spatio invicem disparatæ, ad quas anima modò accedat, modo ab ijs recedat, ita ut quanto magis uni appropinquat, tantò longinquius ab altero abeat. Sed neq; concesserint Peripatetici, ita distincte in anima inhærere potentias, ut suum cuiq; certum spatium sit attributum, quod ordinarie occupent, sed ita ut idem vel dilatetur, vel contrahatur, siquando vel hujus potentiæ, vel illius operationem anima attentius exercet; ita ut tot animæ partes, quot alicui potentiæ, cujus actio contentius editur, accedunt, totidem alteri subtrahantur ac decrescant. Ast præter hos duos modos ne fingi quidem alius potest, quo anima modò plus, modò minus de sua substantia huic aut illi potentiæ accommodet. Quodsi non hoc voluerunt, neq; hujusmodi animæ applicationem intelligunt, sed Metaphoricam; necesse est alterum duorum dicant, aut virtutem aliquam ab anima emanare in facultates, cujus virtutis ratione facultates ad agendum cieantur, atq; in agendo juventur; aut ipsam per se animam edere peculiarem actionem, quæ actio jungatur actioni facultatis, eiq; cooperetur, ita ut omnes actiones vitales è duabus quasi partibus constent, èq; duabus actionibus sint conflatæ, quarum altera sit actio facultatis, altera verò ipsius substantiæ animæ. Ast utrumvis horum dicant, summa seipsos absurditate involvent. Namq; & illa virtus emanans ab ipsis Peripateticis rejicitur pro ridiculo commento; & ne Thomistæ quidem

M 2 (quorum

Cap. I.

(quorum nonnulli eam soli fovent) alibi locum ipsi faciunt, quam in substantiæ generatione, sive Formæ productione: uti supra quoque dicebamus. & actiones facultatum per se mancas esse ac mutilas, quare supplemento indigeant, quo hic earum defectus expleatur, nimirum ipsius animæ cooperatione, non minus manifestariæ est futilitatis. Sin verò per animæ applicationem ad facultates & influxum ac cooperationem, intelligunt tantummodò, Facultates ab animæ substantia moveri & excitari ad agendum (quod potius sensisse videtur Suarez, ut colligi potest ex his ejus verbis, Disp. 18. sect. 7. §. 3. *Potentiæ animæ ad actiones vitales, merito dici possunt instrumenta conjuncta Animæ, quatenus illi subordinantur sicut principali Formæ, ut sine actuali influxu, & quasi motione illius, suas operationes efficere non possint*) monstrandum illis superest, quo pacto animæ substantia facultates sibi inhærentes ciere ad agendum valeat. Id quod si facere nequeunt, veniam nobis dabunt, ut quomodo ipsi opinantur, facultates ab anima instingui ad agendum, indeq; fieri, ut plures operationes simul exerceri attente non possint, quia anima nequeat plures eodem tempore facultates æque potenter ad munera sua obeunda concitare; ita nos opinemur, potius proficisci à tacita quadam inter ipsas facultates conspiratione atq; conjunctione, quód unius facultatis intentior operatio alterius operationem præpediat; quia nimirum Deus ita istas facultates instituerit, atq; inter se coordinaverit, ut non possint plures simul summa cum attentione exerceri, à quo etiam naturali consensu, vel connexione, aut quomodocunq; appellare libet, pendeat, quod una facultas ab alia excitetur ad agendum. solam enim habitualem in eadem anima radicationem (ut Suarez loquitur) non esse satis ut una facultas ab altera excitetur ad agendum, ultro concedimus. Et quanquam exemplum à Suarezio positum non probamus (intellectum enim & voluntatem non putamus esse duas distinctas facultates, sed unam sub diversis respectibus consideratam; qua de re alibi plura) pro certo tamen habemus, dari illam facultatum

cultatum connexionem, qua una ab altera ad agendum impellatur. Sane tacita hæc impulsio miro quodam fit & inenarabili modo, cujus tamen vestigia sparsa sunt per totam rerum naturam; in qua cum videamus plurimas actiones, quæ in eo consistunt, ut virtutes dissitorum corporum inter se agant (quarum actionum, etiamsi ipsæ sint certissimæ, rationem tamen nemo satis explicaverit) quid mirum est, si unius ejusdemq; corporis virtutes eam sortitæ sunt conditionem, ut invicem ciere queant? Quanquam autem explicare non possumus, quomodo facultas altera alteram impellat, & quare duæ simul facultates intente operari non valeant; non tamen propterea potior est adversariorum opinio, quandoquidem neq; ipsi declarare valent, quomodo animæ substantia facultates moveat ad agendum, & quare duas simul facultates æque perfecte movere nequeat; quamobrem hoc quidem respectu nihilo probabiliora illi dicunt, quam nos dicimus. Aliunde tamen potiorem esse nostram sententiam, ex ijs apparebit, quæ postea de Anima docebimus, videlicet duas distinctas esse in homine animas, unam mortalem, corpori addictam, ejusq; commodis inservientem, & sensuum ac motuum autorem; alteram verò immortalem, intellectu ac ratione præditam. ast hoc posito (quod ponendum esse, firmis argumentis evincemus) omnino necessarium est, rem ita se habere, ac nos dicimus. Non modo enim animæ mortalis facultates inter sese, sed & Mentis facultates cum nonnullis alterius animæ facultatibus habent hanc, quam dicebamus, connexionem, easq; ad agendum ciere valent: ubi non potest ille instinctus, quo facultas ad operandum excitatur, ad animæ substantiam referri (quum ne imaginari quidem possimus, quomodo substantia unius animæ in alterius animæ potentias hoc jus exerceat) sed omnino inter ipsas facultates est collocandus. Porro etiamsi totum hoc, quod hic intendunt Fonseca ac Suarez de animæ cooperatione cum suis potentijs, ipsis concederetur, nihil tamen inde lucrarentur ad Formæ demonstrationem. Siquid enim utilitatis ijs hic ab animabus pro-

Cap. I.

venire potest, id non ab ipsarum cum facultatibus suis cooperatione, sed ab ipsis directo sumere debebant; ut quandoquidem animas in Formarum numerum redigere solent, & nos fatemur animas (ac proinde aliquas Formas, ex eorum loquendi more) dari, inde porro inferant, reliquas quoq; dari Formas substantiales. Quodsi autem hæc argumentatio nihil ipsos juvat, atq; inanis deprehenditur (uti sane facit: quod infra contra Suarezium demonstrabimus) multo minus ipsos juvabit, quicquid de animæ operationibus atq; cooperationibus dicere valent. Namq; si vel maxime verum esset, facultates animæ non esse sui martis in agendo, sed indigere concursu ipsius substantiæ animæ ad operationes suas obeundas, non tamen inde sequeretur, dari Formas substantiales (quæ enim hæc est ratiocinationis species, Anima cooperatur facultatibus suis; ergo dantur Formæ substantiales) sed hoc duntaxat, Quod cum aliæ qualitates activæ verissime sint Principia principalia suarum actionum, *quia ex vi illius perfectionis solius, quam habent ex sua specie vel entitate, eliciunt tales actiones* (sicuti hac de re loquitur Suarez) potentiæ animæ non sint nisi Principia instrumentaria suarum operationum, quum ab ipsa animæ substantia, tanquam à primario agente, ad operandum cieantur: id quod nihil plane facit ad propositum, atq; ad probandas Formas substantiales.

Disp. 18. sect. 6. §. 4.

XXVII. Aliud Actionum genus, quibus ad afferendam Formam substantialem hic utitur Fonseca, est reductio rerum ad naturalem statum, ut cum aqua calefacta recuperat nativum frigus, remoto calefaciente: id quod non nisi à Forma substantiali fieri posse asseverat. Et hoc argumentum Suàrez quoq; multis prosequitur. Quod autem Formæ hoc debeat ascribi, inde inferunt, quia neq; Principium externum ejus rei Causa esse potest, neq; aliud Principium internum. Non defuerunt quidem, qui Principio externo hoc referrent acceptum; sed eos errare & ipsi monstrare conantur, & nos libenter concedimus. Quod autem haud aliud Principium internum, quam For-

Disp. 15. sect. 1. inde à §. 8.

mam

mam, hujus rei Causam statui posse dicunt; in eo haud quaquam ipsis accedimus. Sane reliquas omnes de Principijs internis opiniones (varij enim varia hic dixerunt, uti apud ipsos videre est, & nos infra alia occasione paulo latius exponemus) unanimiter cum ipsis rejicimus: sed Qualitatem Virtualem irrito conatu ab ipsis impugnari dicimus, propterea; nihil impedire, quominus ipsi hujus reductionis Causa attribuatur. Per Qualitatem autem Virtualem (ut recepto hic, quanquam minus probo, vocabulo utamur) intelligitur Qualitas ejusmodi, quę alteram diversi ordinis Qualitatem in suo subjecto producere valeat. Contra hanc Qualitatem quatuor à Suarezio argumenta proferuntur. Primum est, Quia repugnet, dari in Elementis Qualitates aliquas priores primis; quum teste Aristotele primæ Elementorum Qualitates, sint formalis calor, frigiditas, &c. Alterum, Quia illa Qualitas immediate & per se non sentitur, sed ex hoc effectu naturalis emanationis dignoscitur; quare nullo fundamento dicatur, illud internum Principium esse Qualitatem accidentalem, & non Formam substantialem. Tertium, Illud Principium esse primum actum Materiæ, complentem cum illa hoc ens naturale, quod aquam appellamus: ergo esse actum substantialem, & non accidentalem. Quartum, Quod si frigori in aqua respondeat Qualitas virtualis, seu frigus virtuale; debere etiam humiditati, densitati, & alijs proprietatibus, respondere totidem Qualitates Virtuales (quia etiam in hisce aqua immutata à naturali statu, statim ad eum redit, simul ac contrarium agens recesserit) quod natura abhorreat, ac omnino superfluum sit: ac proinde ponendam esse unam Formam substantialem, in qua omnes illæ proprietates radicentur ac colligentur. His objectionibus satisfacere, perquam est proclive. sane adeo sunt infirmæ, ut duas aut tres primas indignas duxerit Fonseca, quarum mentionem faceret: Quantum enim ad primum, id nuda innititur Aristotelis aliorúmque, qui in hac re cum ipso senserunt, autoritate, quæ contra veritatem valere nihil quicquam debet. Non enim ex eo, quod Aristoteles

Cap.I. ſtoteles alijq; Calorem, Frigus, Humiditatem, & Siccitatem, appellaverunt Qualitates Primas, ſequitur, alias qualitates hiſce priores non dari, ſed ab ijs agnitas non fuiſſe, id quod duntaxat ipſorum ignorantiam arguit: quam ne nimium miremur, faciunt alia multa ac graviſſima peccata, in negotio Qualitatum ab ijs commiſſa, inter quæ haud poſtremum eſt, quòd in decantatiſſimo illo Quaternario duo reposuerunt, quæ neq; Qualitates Primæ ſint dicendæ, neq; ſecundæ, neq; Qualitates omnino; humiditatem inquimus & ſiccitatem, quas in Qualitatum cenſum perperam referri, alibi oſtendemus. & ipſum quoque illud *Primarum* nomen hiſce qualitatibus (etiam ijs, quæ re vera ſunt Qualitates, Calori & Frigori) temere admodum impoſitum fuiſſe, ſuo loco planum faciemus. Quamobrem frivola prorſus hæc eſt ratio, quæ Qualitates virtuales ideo rejicit, quia Ariſtoteles alijq; Calorem, Frigus, &c. dixerunt Qualitates primas. Secundum argumentum æque contra Formam retorqueri poteſt, ac contra Qualitatem Virtualem intenditur. Namq; & illa immediate ac per ſe non ſentitur (uti clarum eſt, atq; omnes Peripatetici unanimiter fatentur) & ex hoc tantum effectu conjectura ejus capitur. namq; cætera omnia, unde ea aſtruitur, plane nihili ſunt, uti ex ſupra dictis apparuit, & ex poſtea dicendis amplius apparebit. quare nobis liceat, contrario modo, quàm ipſe facit, concludere, Quod nullo fundamento dicatur, illud internum Principium eſſe Formam ſubſtantialem, & non Qualitatem accidentalem. Tertium verò argumentum reſipit Peripateticum ſomnium de potentialitate (ut vocant) Materiæ, quæ nullam à ſe exiſtentiam habeat, neq; ſubſiſtere omnino valeat, niſi aliunde actuetur. quod ſi quis hoc de Materia ſomnium fovens, dicit Virtuale frigus eſſe id, quo Materia prima actuetur ad hoc ſubſtantiæ genus, quod aquam vocamus, conſtituendum; contra eam fortaſſe valeat hæc argumentatio, negans ejuſmodi Materiam poſſe ab accidente actuari. Sed nos & totum hoc de Materia prima ejuſq; actuatione commentum rejicimus; & nullo modo dicimus, aquam ab iſta quali-

qualitate habere ut aqua ſit; quum eſſentialis Elementorum differentia, qua & ipſa in certo ſubſtantiæ genere collocantur, & ab omnibus alijs Elementis atq; ſubſtantijs diſtinguntur, non tam in ullis accidentibus, quam in ſubſtantiali ipſorum parte ſita ſit: uti ſupra quoque monuimus. quare nullam plane vim habet hoc quoque argumentum. Sed neq; majoris ponderis eſt quartum: quippe & abſurdum magnopere non foret, plures qualitates Virtuales in uno Elemento ſtatuere, ſi res id ita requireret; neq; tamen id facere neceſſarium eſt. vix enim plures quàm duæ aut tres in univerſum ſunt Qualitates, quæ in ſuis ſubjectis reſpondentes ſibi habeant Qualitates Virtuales; & harum non niſi una in ullo Elemento reperitur, videlicet frigus. calor enim nulli Elemento naturaliter competit, ſicuti alias docebimus. Multa autem eorum, quæ vulgo pro Qualitatibus Elementorum habentur, non ſunt Qualitates, aut accidentia omnino, ſed modi ſubſtantiales, unde neque amitti poſſunt, ac proinde non indigent Principio, à quo reſtituantur. Siqua autem alia accidentia Elementis naturaliter inſunt, aut ne recuperare quidem ea ſuâ ſponte poſſunt ſemel amiſſa; aut ſi queunt, nullo ad id peculiari Principio indigent: quæ omnia ex particulari Elementorum hiſtoriâ, ſuis locis in hoc opere pertractandâ, fient manifeſta. Et ſic quartum quoq; Suarezij argumentum enervavimus, quum virtualium qualitatum eâ in uno ſubjecto multitudo (quam ipſe criminatur) nulla ſit metuenda, etiamſi aquæ reductionem ad naturale frigus, aliaſq; conſimiles reductiones, Qualitatibus Virtualibus referamus acceptas. Quum itaq; appareat, ea quæ contra Qualitates Virtuales dicuntur, ne minimi quidem eſſe momenti, concidit hoc quoq; pro Forma argumentum, à reductione rerum ad naturalem ſtatum petitum, quippe quum liceat illam reductionem alteri Cauſæ referre acceptam, ut proinde nulla neceſſitas urgeat, aut probabilitas ſuadeat, ob eam ponere Formas ſubſtantiales.

XXVIII. Huic de Reductione argumento aliud velut

Cap. I.

Ipsius consectarium subjungit Suarez, unde itidem probet Formam substantialem: quia nimirum alteratio in rebus inanimatis (ac multo evidentius in animatis) alias sit pura, ac maneat intra latitudinem mutationis substantialis, ita ut res alteratæ maneant integræ, vel fere integræ in substantia sua, & facile ad priorem statum revertantur, si actio contrarij cesset; sicuti videmus in aqua & ferro calefactis: interdum vero ita procedat, ut omnimoda transmutatio rei fiat, ac passum illud, quamvis removeatur agens, nunquam possit ad pristinum statum redire. Hanc autem majorem mutationem non posse esse aliam, nisi quia ipsum substantiale compositum dissolvitur, recedente Forma substantiali. Ultimam subsumtionem (ut vocat) ita probare instituit: Quia si tota substantia rei semper æque maneret integra, quantumcunq; procederet alteratio, ipsa de se semper haberet eandem habitudinem ad accidentia. ergo vel semper post quamcunq; alterationem maneret quieta sub quibuscunq; accidentibus, quantum esset ex se, & remoto contrario agente; vel certe remotis ijsdem agentibus semper rediret ad eadem accidentia. Hisce porro aliud adtexit, de inseparabilitate nonnullorum accidentium. Quædam enim accidentia a quibusdam subjectis adeo esse inseparabilia, ut si illa auferantur, vel nimium diminuantur, omnimoda transmutatio fiat in subjectis, ita ut non possint per intrinsecam vim ad pristinum statum redire. ergo illam inseparabilitatem provenire ex connexione talium accidentium cum aliquo Principio interno talium rerum. quod cum nequeat esse Materia prima (quia respectu illius nullum accidens est inseparabile, ex his, quæ per alterationem possunt acquiri vel amitti) neq; aliquod accidens; sistendum necessario esse in aliqua Forma, quæ sit prima respectu accidentium inseparabilium, illam ergo esse Formam substantialem, non accidentalem, cum constituat propriam essentiam, cui proprietates accidentales connaturaliter & inseparabiliter insunt. Quantum ad posteriorem hujus argumentationis partem, illi de novo respondere non est necesse, quum sufficiat huc accommodare

dare ea, quæ ſupra paragrapho vigeſimo diſputavimus, Cap. I.
oſtendendo, proprietates rerum non arguere aliquod internum Principium ſubſtantiale, quod eas hoc vel alio modo & gradu requirat, ſed ſufficere ſpecificam naturam & perfectionem ab ipſo Deo inſtitutam, cujus ratione ſua certa accidentia in certis ſubjectis requirantur. Sane ab eadem Cauſa, à qua proficiſcitur, ut ſua certa naturaliter cuiq; rei ſint accidentia, fit etiam, ut alia Accidentia ſint ſeparabilia, alia vero ſecus. Quanquam enim omnia accidentia, quæ alteratione acquiri vel amitti poſſunt, ſint ſeparabilia ratione Materiæ; ipſa tamen ſpecifica rei natura facit, ut nonnulla ipſorum ſint inſeparabilia; non ut omnino à ſubjecto ſuo ſeparari non poſſint, ſed ut nequeant ſeparari à re, ipſâ ſalvâ manente. Quod enim præcipuum eſt ad eſſentiam rei conſtituendam, illud tolli abſq; rei pernicie non poteſt. Quum igitur res manere nequeat, naturâ ſuâ amiſſâ; & natura ipſa ſubſiſtere nequeat, ac nomen ſuum tueri, ſi id, quod in ea præcipuum eſt, perierit; hinc fit, ut accidentia quædam ſint inſeparabilia, id eſt, ejuſmodi, quæ auferri, niſi ut res ipſa, cujus pars ſunt, pereat, non poſſunt: quum alia accidentia minus principalia abeſſe citra rei exitium queant. quod declarari quodammodo poteſt exemplo corporum organicorum, quæ nonnullarum quidem partium jacturam ſuſtinent, ijſq; mutilata ſubſiſtere tamen valent; nonnullæ verò partes ſi auferantur, ipſius corporis ratio deſtruitur, neq; ſubſiſtere id amplius poteſt, aut officium ſuum implere: quod latius à nobis exponitur ſequentis capitis ſectione ſecunda, paragrapho decimo octavo. Quod igitur Accidentia nonnulla ſunt inſeparabilia, id non indicat, latere ſub ijs Formam aliquam ſubſtantialem, cum qua connexionem habeant, ſed ipſa eſſe præcipua in eſſentia talis naturæ conſtituenda, quæ natura proinde ijs ablatis ſubſiſtere nequeat; quare ipſorum amiſſione rem ipſam, cujus erant, deſtrui neceſſe ſit. Et doceri hoc amplius poteſt exemplis animarum mortalium (quales ſunt illæ brutorum & ſtirpium, & inferior hominum anima) quarum unaquæq; ſuis certis facultatibus eſt inſtructa,

Cap.I.

& ijs amissis, pro anima censeri nequaquam potest, neq; tamen hic fingere licet Formam aliquam substantialem, cujus ratione illæ facultates suis subjectis insint (quum ipsas has animas pleriq; Peripatetici, & duas saltem ipsarum species, brutorum, ac stirpium, omnes unanimiter habeant pro Formis, in quibus proinde aliæ Formæ inesse minime queant) sed ipsa speciei ratio sufficit, quæ nimirum requirit, ad animæ alicujus constitutionem, ut hæc vel illa accidentia in proprio subjecto concurrant; sicuti ipsius animalis vel stirpis specifica ratio postulat, ut talis anima (nimirum è tali subjecto ac talibus accidentibus conflata) tali corpori jungatur. Sicuti autem in animabus res clara est, accidentia ipsarum, quanquam ratione subjecti sint separabilia, esse tamen inseparabilia, non ratione alicujus interni Principij substantialis, cui proxime connectantur, ac cujus ratione ipsi subjecto, cui inhærent, & cum quo juncta animam constituunt, committantur & colligentur, sed quia ipsa specifica ratio illud exigit; (sicuti ipsi Peripatetici hoc, velint nolint, fateri coguntur) ita de alijs quoq; rebus, accidentia inseparabilia fortitis, res sese habet; ut nimirum accidentium illa inseparabilitas proveniat non ab ipsorum connexione cum aliqua Forma substantiali, sed à specifica ratione ipsius rei, quæ ex illis accidentibus suo subjecto unitis consurgit. Quantum vero ad alteram hujus argumenti partem, quæ Formas substantiales arguit ex eo, quod nonnullis alterationibus conjungitur ipsius rei corruptio; & ipsa nihilo melior est aut validior. Namq; quod nonnullæ Alterationes conjunctam habeant majorem rei mutationem, adeo ut ipsum substantiale compositum dissolvatur, facile probatu est, atq; adeo superfluum, quum id per se sit manifestum. Quod verò illa compositi dissolutio fiat recedente Forma substantiali, sive quod illa dissolutio nihil sit aliud quam ipsa Formæ recessio, néque hinc sequitur, neq; ab ipso Suarezio probatur. Quippe probatio subsumtionis non plus infert, nisi totam rei substantiam in hujusmodi mutationibus non manere integram, id quod libenter concedimus: sed hoc

Formas

Formæ substantiali nihil prorsus suffragatur. Namque si certum esset, dari Formam substantialem, eamq; esse reductionis autorem; tunc recte concluderetur, in majoribus hisce mutationibus recedere Formam, idque non aliunde modò, sed & ex reductionis defectu probaretur. ast apud eos, qui negant Formam, & proinde negant quoq; reductionem ab ea fieri, nullo modo procedit hæc argumentatio, quæ in majoribus hisce mutationibus vult recedere Formam, idq; probat ex eo, quòd post eas reductio non fiat. Namq; positis etiam ijs, quæ nos ponimus, tum de Substantiarum generatione & corruptione, tum de Reductionis Caussis, abunde explicari potest, quomodo per ejusmodi mutationes & intereat compositum, & pristina accidentia, per alterationem corruptivam amissa, recuperare non possit. Quod enim non est amplius, alterari certe non potest vel ab alio, vel à semet ipso: estq; futilitati proximum, quærere Caussam, quare res, quæ interijt, restituere sibi ipsi pristinum aliquod accidens non possit, quum clarum sit rem, quæ dissoluta est, atq esse desijt, non modo non agere amplius, sed neq; pati posse, ac consequenter non tantum à seipsâ, sed ab alio quoq; non posse alterari, & vel amissa accidentia, vel alia ulla adipisci, nisi ut de novo prius ipsa generetur. Totam igitur rei substantiam in majoribus istis mutationibus non manere integram, Suarezio assentimur. quòd verò illa substantiæ dissolutio fiat per Formæ Substantialis ablationem, neq; nos credimus, & Suarezius haudquaquam probat, imò nec probare aggreditur, quum tamen hoc solum ipsi hic fuerit probandum; quandoquidem alterum illud non est controversum, proptereaq; haud indiget probationis.

XXIX. Enumeratis hactenus atq; examinatis argumentis unum adhuc auctarij loco superaddit Fonseca, quod agmen claudat, ex ipsa fidei doctrina, ut ait, petitum. *Confirmat*, inquit, *assertionem hanc* (scilicet, dari Formas substantiales) *orthodoxa fides, cum docet; primum, animam humanam esse immortalem, existentemq́, post separationem à corpore, unde sequitur esse substantiam: deinde, esse veram*

ac essentialem hominis Formam. Quum igitur homo cum ceteris animalibus, & animalia cum viventibus, & viventia cum non viventibus genere conveniant; efficitur, ut quemadmodum species humana completur per Formam substantialem, ita compleantur cetera entia naturalia. Hoc argumentum apud Suarezium obtinet primum locum inter omnia, quæ pro Forma substantiali affert, & multo verbosius ab ipso explicatur. Ratiocinatio ipsius in summam contracta hæc est. *Anima humana* (inquit) *substantia est, quia per se manet separata a corpore: & est vera Forma corporis. non enim potest esse substantia assistens, aut extrinsece movens corpus. alias non vivificaret illud, neq; ex præsentia & conjunctione ejus penderent opera vitæ; neq; deniq; esset ipse homo qui intelligeret, sed quædam alia substantia illi assistens. Constat ergo homo corpore ut Materia, & anima rationali ut Formæ. Hominis autem compositio ex Materia & Forma substantiali, ostendit esse in rebus naturalibus subjectum quoddam substantiale, naturâ suâ aptum ut informetur actu aliquo substantiali. Præterea, ex eadem hominis compositione colligitur, aggregationem plurium Formarum accidentalium in simplici subjecto substantiali non satis esse ad constitutionem rei naturalis. nam in homine sunt illæ facultates & Formæ accidentales, plures fortasse ac perfectiores quàm in aliis naturalibus rebus, & tamen non sufficiunt ad constitutionem alicujus naturalis entis completi, sed præterea requiritur Forma, quę velut præsit omnibus illis facultatibus & accidentibus, & in qua illa velut radicem & unitatem habeant: quare eadem ratione in aliis quoq; entibus naturalibus Forma est necessaria. Tertio, quum idem modus generationis & corruptionis sit in aliis rebus, qui est in homine (excepta differentia in perfectione & subsistentia Formæ humanæ) sequitur, ut quomodo generatio & corruptio hominis non consistit in acquisitione vel amissione aliquorum accidentium, sed in unione vel disjunctione animæ rationalis, substantialiter informantis corpus humanum; eodem modo fiat generatio & corruptio aliorum quoq; entium naturalium. Deniq;*

Disp. 15. sect. 1. §. 6.

Cap. I.

omnia indicia & signa substantialis compositionis, quæ in homine cogitari possunt, sunt in alijs entibus naturalibus, & præsertim in animantibus. Hoc argumentum & falsa nititur hypothesi; & si ea vel maxime vera esset, nihilominus tamen ipsum haudquaquam procederet. Sane præter Mentem seu Intellectum aliam quoq; in homine animam reperiri, & sic hominem non ex anima & corpore, sed ex corpore & duabus animabus constare, firmis rationibus suo loco demonstrabimus. Sed ut concederetur, unicam duntaxat homini animam esse, eumq; ex Mente tantum & corpore constare; non tamen inde recte inferretur, similem quoque esse brutorum animantium è duabus diversis substantijs compositionem, earumq; animam itidem esse substantialem; quum longe diversa sit conditio Mentis, & reliquarum animarum, & præcipua ratio, qua probatur animam humanam esse substantiam, nimirum ipsius immortalitas atq; separabilitas à corpore, in reliquis animabus desit, ex ipsorum Peripateticorum confessione. Verum hoc quidem urgere nolumus, neq; hanc inconsequentiam pluribus coarguere, quandoquidem rem ipsam, quæ hic intenditur, quantum ad animalia bruta, fatemur; nimirum & constare ea ex anima & corpore, & animam ipsorum esse substantiam: neq; de brutis solummodo, sed & de stirpibus, atq; omnibus in universum viventibus tantundem concedimus. ac proinde, siquid pro Formarum assertione valet hominis ex anima & corpore compositio, multo magis valebit illa brutorum & stirpium, quum pervulgata illa de Formis somnia multo magis quadrent in hasce animas, quam in Mentem: quamobrem longe probabilius ex brutorum & stirpium compositione ex anima & corpore, quam ex illa hominis, inferretur, reliquas quoq; substantias vitæ expertes simili quodam modo duabus diversis substantijs constare, atq; ex Materia & Forma compositas esse. Verum enimvero illam ex anima & corpore compositionem dissimillimam esse illi, qua Materia potentialis informetur actu substantiali, & ex duabus substantijs incompletis (ut loqui solent) fiat substantia non una tantum

Cap.I. tum, ſed & ſimplex, ſeu quibuſcunq; alijs verbis illam protritam ex potentia & actu ſubſtantiali compoſitionem exprimere placet ; facile oſtendi poteſt. Etenim animæ, etiamſi vim ſuam in totum corpus ſpargunt, non tamen ſubſtantiâ ſuâ illud totum penetrant, ac quaquaverſus pervadunt, ſed certis in corpore ſpacijs circumſcribuntur, certiſq; receptaculis continentur. præterea creſcente corpore & ipſæ creſcunt ; & corpore jam perfectam molem adepto, ipſæ tamen continuas incrementi ac decrementi vices experiuntur, quippe quibus & quotidie aliqua, & nonnullis occaſionibus permagna pars decedit, & factum damnum convenienti alimento rurſus reſarcitur. Super hiſce compoſitæ ita ſunt è ſubjecto & accidentibus, ut Materiam omnes ſortitæ ſint communem, nullâq; alia re niſi ſolis qualitatibus inter ſe diſtinguantur : quare etiam ablatis per mortem aliove caſu qualitatibus ſpecificis, ſubſtantia tamen ipſa manet, aptaq; eſt è qua aliæ rurſus animæ generentur, congruis accidentibus in ipſam introductis. Hæc omnia ita ſe habere, ut dicimus, planum faciemus, quando ad Animæ tractationem deventum erit. aſt cum Formarum naturâ (qualem ſibi fingunt Peripatetici) hæc è directo pugnant : quandoquidem ſtatuunt Formas penitus Materiæ ſe inſinuare, nullamq; vel minimam ejus particulam inveniri, cui Forma non inſideat, ac ſeſe circumfundat, vel potius infundat. non enim ita hæc duo coagmentant, ut contigua tantum ſint ac cohæreant, ſed ut plane indiſcreta, uno eodemq; ſpatio includantur, ac penitus in unum coaluerint. Sed & Formas neq; augeri dicunt, neq; imminui, ſed ab ortu rei uſq; ad ejus interitum eaſdem ſine ulla variatione perdurare : ſimpliciſſimaſq; eſſe ipſas prædicant, omniſq; compoſitionis expertes ; quare etiam intereunte compoſito Formas penitus deleri neq; quicquam ipſarum manere aſſerunt, & accidentia Formæ conſectaria non in ipſis Formis, ſed in Materia informata aut in compoſito ratione Materiæ, collocant. Aſt hoc poſtremum Animabus non quadrat, non modo ſecundum nos & Veritatem, ſed & ſecundum ipſos, qui fatentur animæ facultates ipſi ani-

mæ

mæ inhærere; quare etiam fateantur necesse est, animam esse aliquid ex substantia & accidentibus compositum. Cap. I.
Namq; Scotus, qui tum ad vitandum hoc incommodum, tum ob alias quasdam febriculosas ratiunculas, statuit, *potentias non esse qualitates, neq; quid reale, distinctum essentialiter ab ipsa anima substantia, sed esse idem cum illa, seu ipsammet animæ substantiam, quæ cum varias operationes respiciat, varijs etiam nominibus appellari soleat, quæ dicantur potentiæ animæ, quum idem re sint, quod ipsa animæ substantia:* nugari judicatur à maxima ipsorum Peripateticorum parte. & non minus nova est in illa schola Zabarellæ opinio, perquam sane monstrosa, asserentis, *potentias animæ provenire quidem ab anima, ut à Principio & origine, non tamen in ea recipi ut in subjecto, sed in corpore animato:* quum pleriq; omnes Aristotelici statuant, id quod res est, facultates animæ in ipsa anima inhærere. 2. Senten. dist. 16. De facult. animæ, cap. 4.

Quandoquidem igitur animabus tanta intercedit dissimilitudo cum Formis (quales quidem eas sibi effingunt Peripatetici) frustra omnino viventium ex anima & corpore compositio adhibetur ad probandum, quod reliquæ quoque res naturales debeant ex Materia & Forma constare: quum animabus perperam indatur Formarum nomen, ideoque etiam non recte dicatur, viventia ex Materia & Forma constare.

XXX. Sicuti autem hoc jam declaravimus quantum ad animam, ita proclive est, idem quoq; respectu Materiæ planum facere: atque ostendere, quod sicuti anima prave in Formarum classem redigitur, quum Formæ conditiones ipsi haudquaquam competant; ita etiam corpora viventium futiliter comparantur cum Materia, siquidem hæc corpora nequaquam ita se habent ad animas suas, quomodo Materiam se habere ad Formam peripatus pronuntiat. Etenim ut alia omittamus, Materiam non habere ullam per se existentiam, semperq; necessario esse sub aliqua Forma, ac propterea, quando prior Forma excedit, alteram eodem momento debere ipsi succedere: itidemq; Materiam

Cap. I.

per se indefinitam, à Forma ad certam speciem astringi, ab eaq; accipere omnia sua accidentia, quippe quæ Formæ consectanea sint, atq; ab ea emanent, & idcirco cum adveniente illa adveniant, ac cum discedente discedant aut omnia, aut pleraq; saltem (an enim aliquæ affectiones, quæ erant in re corrupta, possint manere in genita, inter ipsos disputatur) constans est Lycei doctrina. Ast hæc omnia in corporibus viventium falsa deprehenduntur. Hæc enim ab animabus hoc tantum habent, ut à cujusvis generis injurijs melius defendantur, atq; diutius conserventur. ut verò sint & existant, nequaquam animarum præsentiâ habent, sed à seipsis; quare etiam sunt & existunt, postquam anima ab ijs emigravit: quum tamen nulla alia anima & Forma in ipsius locum successerit. Nam quod nonnulli commenti sunt Formam cadaveris, quæ in viventis interitu statim generetur, atq; in animæ defunctæ locum surrogetur, ejusq; defectum suppleat ad corpus informandum; est delirium merum, quum istius Formæ nullum ne tenuissimum quidem indicium afferri queat, sed solummodo extructa sit super hoc ipso commento, quod ut animam Formæ, ita corpus Materiæ nomine indigetat; quo posito sequatur, ut quomodo alijs Formis exeuntibus, novæ intrent in Materiam, quæ non nisi sub aliqua Forma esse possit; ita excessum animæ ex corpore, excipiat alterius si non animæ, saltem Formæ introitus, ne corpus maneat omni Formâ destitutum. hæc sola ratio afferri potest, non quâ ista cadaverosa Forma probetur, sed ob quam commenti eam sint ij, qui eam introduxerunt; & rem ita se habere ac dicimus, Suarez (unus ex ijs, qui Formam cadaveris ponunt) claris verbis fatetur, sic inquiens: *Nunquam manere Materiam sine substantiali Formâ, dubito an satis demonstratum sit. nam substantialem Formam non experimur, nisi ex effectibus vel accidentibus. sæpe autem nullus est effectus, qui evidenter ostendat introductionem novæ Formæ post recessum prioris, ut in morte hominis. & ideo Scotus & alij negant, ibi introduci novam Formam; quanquam, ne coguntur fateri, Materiam manere sine Formâ, ponant Formam*

Disp. 15. sect. 8. §. 16.

Cap. I.

mam corporeitatis, vel mistionis: qua seclusa, nos non alia ratione convincimus, in omni morte vel corruptione introduci novam Formam, nisi quia aliàs Materia maneret sine Forma, & ita videmur in his probationibus circulum committere. Sed licet verum sit, ex effectibus id non evidenter demonstrari, nihilominus adeo est illud axioma consentaneum naturis rerum, & fini, & usui, ac imperfectioni Materiæ, ut unanimi omnium fere antiquorum ac recentiorum philosophorum consensu, tanquam certum & indubitatum sit receptum, quod satis est ad philosophicam rationem fundandam. Quum igitur nullum detur hujusmodi Formæ indicium, inq; ea asserenda planissime circulus committatur (sicuti ingenue fatetur Suarez) non est ut de ea confutanda laboremus, quum stultitiæ affine sit, omnes stultas nugas velle argumentis redarguere. & sane inter Peripateticos non pauci Formam hanc pro fatua ac futili explodunt. Sicuti autem existentiam ab anima non habet corpus, ita neq; naturam specificam: os enim in cadavere manet os, & caro manet caro, itidemque reliquæ omnes partes similares: & partes organicæ seu heterogeneæ eandem servent figuram (aliquo quidem usque. certe non refert quamdiu, quum vel minimum temporis spatium nostro proposito sufficiat) atq; compositionem, quam durante vita obtinebant. & quum totum nihil sit aliud, quam partes omnes simul sumtæ, sequitur, ut cum omnes corporis partes servent in morte naturam suam, quam in vita habuerant, totum quoq; corpus idem esse dicatur post animæ excessum, quod ea præsente fuerat, ac proinde verasint illa Lucretij, Lib. 3.

Quod simul ac hominem lethi secura quies est
Indepta, atq; animi natura animæq; recessit;
Nil ibi libatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nihil ad pondus: mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum, calidumq; vaporem.

XXXI. Haud ignoramus aliam fuisse Aristoteli sententiam, quippe qui diversis in locis prodiderit, cadaveris partes, tum similares, tum instrumentarias, non esse idem cum

Cap.I.

cum eo, quod erant in corpore vivente, nisi homonymice. hoc scribit primi de Part. Anim. primo, Ἀπελθούσης τῆς ψυχῆς, οὐδὲν τῶν μορίων τὸ αὐτὸ λείπεται, πλὴν τῷ σχήματι μόνον, καθάπερ τὰ μυθευόμενα λιθοῦσθαι. *Ubi anima discessit, nulla pars relinquitur eadem, nisi solâ figurâ, sicuti ea quæ in fabulis memorantur lapidescere.* & primo politicorum, Ἀναιρουμένου τοῦ ὅλου, οὐκέτι ἔσται πούς, οὐδὲ χεὶρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, ὥσπερ εἴ τις λέγοι τὴν λιθίνην. *Pereunte Toto, non amplius erit pes, neq; manus, nisi æquivoce, itidem ac lapidea.* itemq; primi de Gener. Anim. 19. Οὐδὲ ἡ χεὶρ, ἢ ἄλλο τι τῶν μορίων οὐδὲν, ἄνευ ψυχῆς ἢ ἄλλης τινὸς δυνάμεως ἐστὶ χεὶρ, οὐδὲ μορίον οὐδὲν, ἀλλὰ μόνον ὁμώνυμον. *neq; manus, neq; aliarum partium ulla, absq; anima aut alia quadam facultate est manus, aut alia quavis pars, sed tantum æquivoce.* ac rursus secundi de generatione animalium primo, Οὐ γὰρ ἐστι πρόσωπον, μὴ ἔχον ψυχὴν, οὐδὲ σάρξ· ἀλλὰ φθαρέντα, ὁμωνύμως λεχθήσεται, τὸ μὲν, εἶναι πρόσωπον, τὸ δὲ, σάρξ. ὥσπερ κἂν εἰ ἐγίνετο ξύλινα, ἢ λίθινα. *non enim est facies, non habens animam, neq; caro. quippe ubi interierunt, æquivoce carnis & faciei appellatione afficiuntur, non minus quàm si lignea aut lapidea essent facta.* Et hoc sequitur etiam Scaliger; neq; sequitur tantum, sed quod ipsi familiare de vanissimis quibusq; ac maxime ridiculis commentis, de hoc etiam facit, ut id pro maximo & plane impenetrabili secreto venditet. sic enim scribit Exerc. 366. *Hæc contra Scotum: quæ latent ingenia plebeia. sicut & illud, Membra cadaveris alia esse specie ab iis, quæ fuerant viventis. soli sapientes hæc hauriunt ex penitioribus naturæ fontibus.* & similia etiam habet exercitationis sextæ sectione duodecima, ubi Fernelium reprehendens, qui Aristoteli assentiens de partibus instrumentariis, aliud sentit de similaribus, aitq; os cadaveris esse verum os; tam mirifice sibi placet de hoc delirio, ut id numeret inter ea, quæ spinosiora cum sint, ac minime popularia, faciant sapientes, minime populares, cœlo propiores agitare. Operæ pretium

est.

est autem examinare hujus ſententiæ fundamenta, ut ſic ejus infirmitas eluceſcat. Ariſtoteles quidem unam tantum, quod ſciamus, hujus opinionis affert rationem, quia nimirum partes cadaveris non poſſint amplius edere eas actiones, quas edebant dum viverent. Πάντα δὲ ἔργῳ ὥρισαι, καὶ τῇ δυνάμει· ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα, οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ, ἀλλὰ ὁμώνυμα. *omnia definita ſunt opere, & potentiâ. itaq; ubi non amplius ſunt talia [ut operari poſſint] non dicenda ſunt eadem, ſed æquivoca.* & latius primi de Part. animal. primo, Ἔτι δὲ ἀδύνατον εἶναι χεῖρα ὁπωσοῦν διακειμένην, οἷον χαλκῆν ἢ ξυλίνην, πλὴν ὁμωνύμως, οἷον γεγραμμένον ἰατρόν· οὐ γὰρ δυνήσεται ποιεῖν τὸ ἑαυτῆς ἔργον, ὥσπερ οὐδ᾽ αὐλοὶ λίθινοι τὸ ἑαυτῶν ἔργον, οὐδὲ ὁ γεγραμμένος ἰατρός. ὁμοίως δὲ τούτοις, οὐδὲ τῶν τοῦ τεθνεῶτος μορίων οὐδὲν ἔτι τῶν τοιούτων ἐστί. λέγω δ᾽ οἷον ὀφθαλμός, χείρ. *Præterea autem impoſſibile eſt, ut manus ſit quomodocunq; affecta, veluti ænea aut lignea, niſi æquivoce, ſicuti pictus medicus. non enim poterit opus ſuum facere, ſicuti neq; tibiæ ſaxeæ opus ſuum [facere queunt] neq; pictus medicus. conſimiliter autem neq; partium mortui ulla (ut oculus, manus) eſt id quod fuerat.* Hoc quoque Scaliger expreſſit, dicens, *Cadaveris os carere fine. nullum enim ejus officium eſſe, ut prius. non eſſe igitur idem.* & aliam præterea addit rationem hanc. *Una eſt in vivente Forma, qua unum eſt. Os Cæſaris viventis vivens eſt. Ubi Cæſar erit cadaver, abierit Forma; tunc corpus illud non erit id, quod nunc hoc eſt, numero. ergo neq; partes ejus, quæ unum erant per id, per quod illud unum erat ens, & tale aliquid ens. Caret igitur cadaveris os ea Forma, quâ erat vivens.* Exerc. 6. §. 12.

XXXII. Quantum ad priorem harum rationum, ſi ea valet in partibus cadaveris, valeat etiam oportet in partibus immedicabili paralyſi obſitis; quæ cum officium ſuum amiſerint, æque ac partes cadaveris, ſequetur ut & ipſæ non ſint amplius quod fuerant, utq; priſtina appellatio ijs non amplius

Cap. I.

amplius competat, nisi æquivoce. quod sane Aristoteles non concesserit; qui propterea concedere debet, in partibus etiam cadaveris non valere hanc rationem. Ast non debilis modo est hæc ratio, sed & falsa. Etenim partibus cadaveris, recentis nimirum (de tali enim Aristoteles quoque & Scaliger loquuntur, non de eo, cujus partes jam sunt putredine, aut aliter, vitiatæ & destructæ) eadem manet aptitudo ad operandum, quæ ijs erat in vita, ita ut accedente superiore agente nunc quoque adhiberi possint ad easdem actiones, ad quas adhiberi naturaliter aptæ sunt animali adhuc vivente. si enim redeat anima, omnes easdem functiones per eas edere poterit, quas edere solebat prius. Hoc ita est manifestum, ut nemo possit negare: & siquis ita sit impudens, ut neget, facile revincetur exemplo eorum, qui cum jam essent mortui, in vitam denuo sunt revocati (cujusmodi historias habemus complures in sacris) in quibus sane partes corporis non sunt restitutæ in alium statum, quàm in cadavere habuerant, sed anima duntaxat, quæ excesserat, in corpus rursum fuit introducta. Sapientius igitur istis Galenus, qui partes cadaveris, quanquam jam nulla amplius per illas actio fit, non esse tamen quicquam passas dicit in seipsis, quum non ipsarum culpâ fit, quod otiantur, sed animæ absentiâ id fiat: sicuti ex ijs, quæ in tractatu De tremore ac palpitatione contra Herophilum & Praxagoram disputat, colligi potest. Quantum verò ad alteram rationem à Scaligero allatam, ea non plus probat, nisi cadaver non vivere, ac proinde neque partes cadaveris; in quo nemo ipsi repugnaverit. Ast aliud est dicere, quòd cadaver, & partes cadaveris, non amplius vivant; aliud, quod non amplius sint id quod erant, quoad propriam ipsorum naturam atq; essentiam. Sane ab animæ conjunctione habet corpus ut vivat, (quanquam propriè loquendo non corpus vivit, sed animal corpore & anima constans) ac propterea illâ abeunte necessario vita ipsum relinquit. ast ut sit unum, & hoc aliquid, nequaquam habet ab anima, non magis quam anima habet à corpore, ut sit unum & hoc aliquid, & tamen multo probabilius asseri posset,

animam

animam à corpore, quam corpus ab anima, hoc beneficium accipere. etenim anima (bruta nimirum, aut vegetativa, de qua toto hoc sermone loquimur) desinit esse anima, simulatq; corporis consortium relinquit, omnibusq; illis notis sive accidentibus exuitur, quorum cum subjecto unione efficiebatur ut & anima esset, & ad certam hanc animarum speciem pertineret. Quodsi anima, quæ ita à corpore pendet, ut eodem momento, quo à corpore sejungitur, dissolvatur & intereat, non tamen à corpore habet (sicuti revera non habet ab ipso) ut sit hoc quod est; longe est dictu ineptius, corporis essentiam atque specificam naturam ab anima derivare, quum ipsa maneat integra, qualis erat prius (nisi siquid aliunde passa est) etiam post animæ discessum. Manere autem, adeo est manifestum, certissimoq; sensuum indicio exploratum, ut eorum, qui ad tuendas deliras quasdem nænias, in suomet ipsorum cerebro natas, illud negare sustinent, impudentiam potius mirari debeamus ac stoliditatem, quam in ijs coarguendis laborem ullum sumere; quum plane perversam ineant ratiocinandi viam, ἐξ ἀδήλων ὑπὲρ τῶν φαινομένων συλλογιζόμενοι, *ex incertis concludentes super ijs quæ evidentia sunt*, ut Galeni verbis utamur è 1. Simpl. 34. ὡς ἐν τῷ καταψεύδεσθαι τῆς αἰσθήσεως αὐτοῖς τοῦ νικᾶν ὑπάρχοντος, ἀλλ' οὐκ αὐτὸ δὴ τοῦτο μέγιστον δεῖγμα τῆς τῶν λόγων αὐτῶν μοχθηρίας ἐσόμενον; *acsi victoria ipsis sita esset in mendacijs contra sensus confingendis, ac non potius hoc ipsum foret maximum indicium futilitatis disputationum ipsorum*, sicuti idem paulo ante ait. Sed hoc sophistis est solenne (ut ibidem monemur) οὐκ ὀλίγα καταψεύδεσθαι τῆς αἰσθήσεως, *non pauca contra sensus mendacia effutire*, quippe quibus curæ non est, quam consentanea veritati loquantur, dummodo loquantur fictitijs suis dogmatis consentanea; quod ut faciant, parati sunt seipsos in rebus etiam clarissimis, ac vel cuivis idiotæ absq; ulla difficultate deprehendendis, excæcare, ac proinde verissimam facere illam Aristotelis confessionem in Principio secundi Metaphysicorum, Ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερί-

Cap.I.

In fumos abeat, vaporescat.

Cap.32.in fine

Cap. I. νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων: *ficuti vespertilionum oculi se habent ad lucem diei, ita animæ nostræ intellectus ad ea, quæ naturâ sunt omnium manifestissima.* Sane res hæc, de qua nunc agimus (nimirum unamquamq; partem in cadavere esse idem, ejusdemq; naturæ, ac erat durante vita) adeo est clara, ut multos ipsorum Peripateticorum, quibus saltem aliqua sensuum καὶ τῶν φαινομένων cura, eam negare puduerit, quantum quidem ad partes similares; quare dixerunt etiam in corpore vivente os esse os, & carnem esse carnem, non ratione animæ totum corpus informantis, sed peculiarium Formarum, quæ Formæ etiam post mortem maneant, quo fiat, ut etiam in cadavere *hæ omnes partes integræ maneant, ac proprias singulæ naturas servent, ita ut os maneat os, & caro maneat caro, & sic reliquæ omnes*; sicuti hac de re loquitur Zabarella. alij vero, ut Henricus & Scotus, quandam peculiarem Formam introduxerunt, quam appellaverunt Formam corporeitatis, quæ corpori det suum esse, ac anima excedente remaneat.

Lib. de Gener. & Corrupt. cap. 3.

XXXIII. Quum ergo partes corporis, & consequenter totum corpus, non sint hoc quod sunt, ratione animæ, unde ut sit etiam post discessum idem maneant quod erant prius (ficuti & per se apertum est, & multi Peripatetici, rei evidentia convicti, fatentur) male omnino, ut Formæ animam, ita corpus Materiæ locum obtinere dicunt Peripatetici; quum ex ipsorum doctrina absurdum sit, planéque impossibile, ut Materia aut subsistat sine aliqua Formâ, aut Formâ aliquâ amissâ, retineat eadem omnia accidentia eandémque naturam, quam illâ præsente obtinebat. Unde porro sequitur, ut cum illa brutorum & stirpium compositio ex anima & corpore (& multo magis illa hominum ex corpore & mente) dissimillima sit isti compositioni quam sibi somniant Peripatetici, ex Materia potentiali, & Forma substantiali ipsam actuante; nulla omnino sit hæc consequentia, quæ ex eo, quod homo re-

liquaq; viventia ex anima & corpore constant, infert, dari Formam substantialem, & reliquas etiam res non animatas ex duabus diversis substantijs in unam conflatis, Materiâ videlicet & Forma substantiali, constare. Quanquam autem supervacuum est plura de hoc argumento dicere (quum res adeo sit evidens ex supradictis) placet tamen Suarezij verba superius posita magis adhuc minutatim examinare. *Animam humanam ait esse veram Formam corporis, quia non sit substantia assistens.* Quod anima corpori non assistat ita, quomodo nauta assistit navi, aut quomodo intelligentias fingunt assistere orbibus quos moveant (hoc enim intelligit per substantiam assistentem, sicuti liquet ex ijs, quæ cum alij hac de re tradunt, tum Zabarella capite secundo libri de mente humana) concedimus. sed quod propterea debeat corpus informare eo informationis genere, quod peripatus somniat, nequaquam sequitur; quandoquidem alij dantur veriores modi, duas pluresve diversas substantias ad unius rei constitutionem connectendi, cujus rei innumera habemus in artibus exempla, aut potius imitamenta, quum ipsarum operâ substantiæ diversæ, & quandoq; plurimum inter se differentes, soleant ad unius corporis constitutionem inter se coagmentari. naturalium autem agentium vis atq; industria omnem artificum industriam longe superat, atq; post se relinquit, in diversis substantijs inter se nectendis, atq; ad unius rei constitutionem apte copulandis, non ut una alteram actuet aut informet, sed ut unaquæq; & sibi ac per se sit hoc quod est, & integram partis rationem toti exhibeat. Porro quum hominis corpus ab anima non informetur, & corpus hoc non sit tale subjectum imperfectum & incompletum, qualem faciunt Materiam primam Peripatetici (sicuti ex ijs, quæ supra disputavimus, apparet) ex hominis compositione non potest inferri Materia prima, ac proinde neq; Forma substantialis, ad actuandam ejusmodi Materiam necessaria. Quantum ad secundam Suarezij rationem; aggregationem plurium accidentium in simplici subjecto substantiali non sufficere ad constituendas res naturales, concedimus quidem de plerisq;

 (non

Cap. I. (non de omnibus, quum inveniantur res, quæ ex simplici tantum subjecto & accidentibus constant) non tamen propterea concedimus (quod inde inferre vult Suarez) res illas ex Materia potentiali, & Forma eam actuante, atq; accidentia Materiæ colligante, consistere; neq; id docetur exemplo hominis, quippe in quo ipso nequaquam ita se res habet; quum neq; anima informet corpus, neq; accidentia corporis in anima *radicentur atq; unitatem habeant* (ut Suarez loquitur) Et quod axioma illud, quo Forma statuitur necessaria ad accidentia inter se ac cum subjecto suo colliganda, sit inane, ex ijs, quæ supra paragrapho vigesimo disputavimus, clarum est. Quod vero Suarez tertio loco ait, ex hominis generatione & corruptione ostendi Formam substantialem in cæteris quoque rebus; hoc innititur hypothesi illi, qua anima humana statuitur corpus informare: quæ cum falsa sit, consequentia quoque hæc inde educta concidat necesse est. & præterea imprudentiæ aut ignorantiæ plena sunt illa verba, quibus ait, *eundem esse modum generationis & corruptionis in alijs rebus, qui est in homine:* qua re nihil à vero alienus dici potest, sicuti ex ijs, quæ de generatione alibi opportuniore loco dicemus, apparebit. sane ipsa viventium corpora consimili quodam modo generantur, ac reliquæ res naturales; quanquam & hic multa intercedunt, quæ diversitatem faciant non parvam. Totius autem vel hominis, vel alterius viventis generatio, simul sumta, immensum quantum differt ab aliarum rerum naturalium generatione. quod idem de corruptione quoque dictum esto, quum modus intereundi debeat modo oriundi respondere. Ultimo loco ait, *Omnia indicia & signa substantialis compositionis, quæ in homine cogitari possunt, in alijs quoq; rebus naturalibus reperiri.* quod planissime falsum est, quantum quidem ad res inanimas attinet. Alijs enim in rebus nulla est compositio substantialis, nisi illa diversarum substantiarum sive diversorum Elementorum ad unum corpus constituendum commistio. ast in homine, reliquisq; viventibus, præterquam quod hæc quoq; invenitur compositio substantialis,

ratione

Cap. I.

ratione corporis videlicet, alia etiamnum datur, plurimum ab hac diversa, qua in reliquis quidem duæ, in homine autem plures substantiæ, (quarum quæq; suam peculiarem naturam atq; essentiam sortita est) ita ad unius individui constitutionem concurrunt, ut non misceantur inter se (sicuti fit in altera illa compositione substantiali) sed duntaxat debitâ conjunctione atq; connexione coalescant: cujus substantialis compositionis, neq; ullum in reliquis rebus naturalibus vestigium est deprehendere, ipsaq; à commentitia illa ex Materia & Forma compositione quamplurimum abhorret, sicuti proxime ostendimus. Et sic huic quoque Fonsecæ atq; Suarezij rationi, Formam substantialem ex eo, quod homo ex anima & corpore constat, asserenti, satisfecimus, eamq; inanem deprehendimus, uti reliquas omnes, in hunc finem allatas: de quibus in universum ingenue fatetur Pererius, *eas non esse rationes omnino firmas & necessarias, evidenter concludentes, sed argumenta tantum verisimilia ac probabilia*: quanquam sane ne verisimilitudinis quidem, aut probabilitatis quicquam in ijs compareret, nisi apud eos, qui meris hypothesibus, ex ipsâ Peripateticorum circa Formas doctrinâ ductis, ac proinde Principium petentibus, aut alijs æque incertis, innituntur: sicuti hac nostra disputatione cuivis libere judicanti, neq; partibus nimium pertinaciter addicto, apertum fecimus. 6. Phys. 2.

XXXIV. Quum igitur non probent Formam substantialem ea, quæ pro ejus probatione à Peripateticis adducuntur, poteramus illam nostro jure rejicere, absq; ulteriore disputatione. neque enim æquum est, ut quis novum aliquod atq; inauditum dogma (quale illud de Forma est respectu omninm ante Aristotelem Philosophorum, solo forsitan Platone excepto, qui tamen ipse non videtur tales Formas, ac Aristoteles posuit, posuisse) introducens, illud sibi credi postulet, quamdiu argumentis & rationibus, saltem verisimilibus, id confirmare non valet: neque Forma est de genere illarum κοινῶν ἐννοιῶν, sive communium notionum, quæ Principia demonstrationum cum sint ipsa

Cap. I. ipsa non egent ulla demonstratione. Ad majorem tamen evidentiam, ac veritatis confirmationem, alia adhuc supradictis addemus, ostendemusq; doctrinam de Formis substantialibus, qualis ab Aristotele & Aristotelicis traditur, ejusmodi esse, ut vel alijs ipsius Aristotelis decretis, vel Rationi, certissimis experimentis innixæ, quàm manifestissime repugnet; quare Aristotelici vel plurimis absurditatibus in ea defendenda se involvere, vel eam velint nolint deserere, ac sibi ipsis contradicere coguntur. Hoc quum in multis capitibus possemus demonstrare, non tamen omnia persequemur, sed pauca quædam ac præcipua seligere erimus contenti; nimirum de Formarum Inhæsione, Unitate in uno subjecto, Simplicitate, Intensionis ac Remissionis carentia, & Ortu ac Interitu: quæ rite examinata, præbebunt totidem firmissima contra Formam substantialem argumenta. Quantum ad primum, Omnes unanimiter docent, Formam inesse & inhærere Materiæ, quam informat, atque ab ea sustentari; quod sane non aliud est dicere, quàm quod Forma sit in subjecto. & hoc ipsum expressis quoque verbis ab Aristotele aliquando dicitur: quippe illa 2. Phys. 1. ἐν ὑποκειμένῳ ἐςὶν ἡ φύσις ἀεὶ, *natura semper est in subjecto*, unanimi omnium interpretum consensu de Forma sunt prolata. & in definitione quoque Materiæ primæ, posita in calce primi physicorum, vocat eam πρῶτον ὑποκείμενον, *primum subjectum*, non respectu accidentium, sed ipsius Formæ substantialis, sicuti clarum est ex Principijs istius doctrinæ, & à Fonseca diserte asseritur. *Quid est alind* (inquit) *esse primum subjectum, quàm esse quoddam quasi sustentaculum primæ Formæ, hoc est substantialis.* Quare futile est Piccolominei discrimen, quo distinguit inter *esse in Materia*, &, *esse in subjecto*, Formamq; esse quidem in Materia, sed non esse in subjecto asserit, comment. ad 1. phys. text. 5. id quod & Mercenarius sequitur, Dilucid. 12 inquiens, *Accidentia proprie in subjecto esse; Formam verò substantialem verius esse in Materia, quam in subjecto.* Etenim eo ipso, quod Forma dicitur inesse Materiæ, Materia statuitur Formæ subjectum.

5. Metaph. 2. quæst. 1. sect. 3.

Cap. I.

jectum, quandoquidem *in ipsa ratione inhærendi includitur subjectum* (ficuti Suarez alicubi ait) & Aristoteles expresse asserit (ut diximus) Materiam esse Formæ subjectum, ac Formam esse in subjecto: & sic pleriq; etiam Peripatetici loqui passim solent, inter quos Fonseca claris verbis dicit, *Materiam primam esse subjectum Formæ substantialis.* Ast Formam esse in subjecto, repugnat conditionibus Substantiæ ab Aristotele, in tractatu Categoriarum, assignatis; inter quas una est, Substantiam non esse in subjecto: quod cum in Principio capitis de prima tantum substantia pronuntiasset, postea universali enunciatione utens, omni facit Substantiæ commune, Κοινὸν δὲ κατὰ πάσης ἐσίας, τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι, *commune autem est omni substantiæ, non esse subjecto.* & postea rursus, ὥςε ἐκ ἂν ἔιη ἐσία, τῶν ἐν ὑποκειμένῳ, *itaq; substantia non est de numero eorum, quæ sunt in subjecto.* Nec est ut quis dicat, Aristotelem toto eo capite de duobus tantum substantiarum generibus agere, substantijs primis, & substantijs secundis, nulla facta substantiarum incompletarum mentione; quare etiam conditiones ibi propositæ non ad has, sed ad illas duntaxat pertineant. Etiamsi enim prior hujus assertionis pars vera est, alteram tamen excludit generalis Peripateticorum consensio. omnes enim statuunt, incompletas etiam substantias, ut vocant, nimirum Materiam & Formam, hac lege teneri, ut non insint in subjecto. Aperte hoc docet Mercernarius Dilucid. 12. *Dicimus, de ratione substantiæ in communi non esse, per se existere, quoniam omnibus substantiæ speciebus, ut Materiæ & Formæ, minime convenit, sed solum Substantiæ compositæ proprietas est. neq;, per eandem rationem, de ratione substantiæ in communi est, subjici; siquidem non competit Formæ. sed ratio substantiæ in universum est, non esse in subjecto; penes quod ab accidente distinguitur, cujus ratio est, in subjecto esse.* Hæc igitur inter se pugnant, *Formam esse in Subjecto*, &, *Substantiam in Subjecto non inesse*; neq; simul stare possunt.

Disp. 14. sect. 1. §. 1.

5. Metaph. 2. quæst. 1. sect. 1.

Cap.I.

XXXV. Huic incommodo ut mederentur Aristotelici; frigidam quandam distinctiunculam commenti sunt, dicentes, Formam non ita esse in subjecto, quomodo accidentia insunt. *Forma* (inquit Toletus) *dicitur esse in subjecto, non sicut accidens, & Materia dicitur subjectum, non sicut accidentium subjectum.* & similiter Averröes, *Forma substantialis non est in subjecto per quod ipsa sustentetur sicut accidentia.* & in quo hæc differentia sita sit, ita alibi explicat, *Forma substantialis & accidens æquivoce dicuntur esse in subjecto, quia subjectum accidentis est ens in actu, sed subjectum Formæ substantialis est ens in potentia: & quia Forma substantialis est pars essentialis substantiæ compositæ; accidens autem nullum est pars substantiæ.* & hoc ipsum pluribus verbis exponit Vicomercatus. *Dicimus, si Materia, aut subjecto, quæ accidentium natura est, Forma inhæret, non idcirco à substantiæ genere excludi. In Materia enim non ut accidens inhæret, sed ut actus inest in eo, quod potentiâ est; è quibus duobus unum per se potest existere, quod è subjecto & accidente non potest. Accidentis autem subjectum, antequam id accipiat, actu sit oportet, nec ut sit, ei acceptum refert.* & paulo post, *Non igitur, ut in subjecto accidens, in Materia Forma inest, sed ut perfectio in perfectibili, & ut actus in potentia.* Sed hæc nodum non solvunt, neq; efficiunt (etiamsi omnia admitterentur) ut Formæ non insint in subjecto; sed duntaxat explicant, Materiam, in quantum subjecti vicem gerit, aliter se habere erga Formas substantiales, quàm erga accidentia, aliterq; ac majoribus beneficijs ab illis affici, quàm ab istis afficiatur. Hinc autem non tollitur difficultas, neq; docetur, quomodo Formarum inhæsio in subjecto stare possit cum illo Aristotelis decreto, quo negat Substantias in subjecto inesse. neq; enim ait, substantias non ita esse in subjecto, quomodo accidentia in subjecto insunt, sed simpliciter ijs convenire negat, ut in subjecto insint. Sunt quidem nonnulli, qui contrarium asserant, dicantque Aristotelem substantijs non omnem in subjecto inhæsionem ademisse in isto tractatu de categorijs, sed eam tantum, qua id, quod inhæret, non

Comm. ad 1. phys. text.4.

Com. ad eundem textum.

2. De An. com. 4.

Lib.2. de Princip. c. 3.

est pars alterius. Ita Mercenarius, de præsente difficultate agens, quomodo Forma sit substantia, quum in subjecto sit, & sit de ratione substantiæ, non esse in subjecto; respondet: *Nodus iste dissolvitur ex Aristotele, libro categoriarum, capite de substantia, ubi describens esse in subjecto, inquit, illud proprie esse in subjecto, quod est in alio, parsq; alterius non est. licet ergo Forma substantialis in Materia sit, non tamen ut in subjecto est, quoniam pars est ipsius substantiæ.* Verba Aristotelis, ad quæ digitum intendit Mercenarius, hæc sunt: Μὴ ταραττέτω δὲ ἡμᾶς τὰ μέρη τῶν οὐσιῶν, ὡς ἐν ὑποκειμένοις ὄντα τοῖς ὅλοις, μήποτε ἀναγκασθῶμεν οὐκ οὐσίας αὐτὰ φάσκειν εἶναι. οὐ γὰρ οὕτω τὰ ἐν ὑποκειμένῳ ὄντα ἐλέγετο, ὡς τὰ μέρη ὑπάρχοντα ἔν τινι. *porro ne nos conturbent partes substantiarum, quasi sint in totis ut in subjectis, unde cogamur fateri eas non esse substantias, non enim ea, quæ in subjecto sunt, ita dicebantur inesse, ut partes in aliquo insunt.* his verbis non aliud sibi vult Aristoteles, nisi hoc axiomate, quo substantiæ negantur esse in toto, non effici, ut partes substantiarum non sint substantiæ; quia aliud sit, esse in altero, ut in subjecto; aliud, ut partem in toto. ille autem sensus, quem hic invenit Mercenarius, haudquaquam hinc elici potest. Etiamsi enim daretur, per partes substantiarum hic intelligi Materiam & Formam (quod tamen minus est verisimile) inde non plus sequeretur, nisi Materiam & Formam non esse in substantia composita tanquam in subjecto, sed tanquam partes in toto: quod longe diversum est ab eo sensu, quem Mercenarius hinc excudit. neq; duo diversa inhæsionis in subjecto genera hic ab Aristotele (ut ipse fingit) assignantur; sed monet tantum, ne omne *inesse* capiamus pro, *esse in subjecto*; quia aliquid potest esse in substantia, quod tamen non insit in ea ut in subjecto; quomodo nimirum partes insunt in toto, quum tamen *totum* nequaquam possit dici suarum partium subjectum. Quodsi autem hoc quoque concederetur, Aristotelem, quando substantias negat esse in subjecto, non hoc de omni inhæsione intellexisse, sed de ea, qualis est accidentium;

Cap. I.

Dilucid. 12.

Cap. I. tium; ne sic quidem proficerent quicquam Peripatetici. differentiæ enim paulo ante recitatæ, quas inter Formarum atq; Accidentium inhæsionem constituunt, nequaquam sunt essentiales, sed diversam duntaxat subjecti erga res inhærentes dispositionem, diversaq; rerum inhærentium erga subjectum effecta attingunt. ast hæc nihil obstant, quominus in ipsa maxime propria inhæsionis ratione utráque paria sint, atq; inter se conveniant; quod ipsa facere, sequitur ex ijs, quæ ipsi Peripatetici super hac re docent. Etenim Suarez exponens rationem inhæsionis accidentium, mutuámque inter ipsa, & subjectum habitudinem, sic inquit: *Entitas accidentalis in se subsistere non potest, sed indiget subjecto, in quo sustentetur, & ideo indiget Causa materiali, tanquam necessariâ ex naturâ rei, ut esse possit.* quidquid autem hic de Accidentibus, quantum ad ipsorum in subjecto inhæsionem, prædicatur, idem in Formas quoq; substantiales competit, si vera sunt quę de ea prædicant. Aiunt enim, Formas (sola Mente exceptâ, quam tamen esse corporis humani Formam non omnes concedunt) æque ac accidentia, non posse ullo modo per se subsistere, neq; à Materia separari, nisi solo intellectu; namq; Formæ separationem à Materia, esse ejus corruptionem: sicut apud Themistium, Averroëm, omnesq; alios Aristotelicos, qui aliquid de Forma scripserunt, passim legere est. unde etiam sequitur, ut Formæ, non minus quam accidentia, indigeant subjecto seu Causa materiali (ut Suarez vocat) tanquam necessariâ ex natura rei, ut esse possint; utq; hæ, non minus quam illa, insint ita, ut aliter esse non posint, nisi ut in subjecto insint. quare etiam Scaliger ait, *Materiam quoq; esse ἐντελέχειαν, quæ ita se substernat Formæ, ut eam existere faciat.* quo etiam spectant illa Alexandri, *Formam minus posse per se subsistere, quam Materiam, licet Materia secundum se subsistere nequeat absq; Forma.* neq; alium sensum habet, quod asseritur à Piccolomineo, *Materiatas Formas pro suo esse pendere ex Materia, in genere Materiæ.* & à Conimbricensibus, *Formam pendere à Materia, ut à recipiente:* quomodo nimirum

Disp. 14. sect. 1. §. 1.

Com. in 2. de Plant.

In Princ. Epit. de Anima.

Lib. 2. de Mat. prim. c. 12.

2 Phys. 7. quæ. 8. art. 1.

rum de Accidentibus dicere solent, ea à subjecto pendere. Unde satis perspicitur, inhæsionem, Formarum & Accidentium, ex ipsorum doctrina, in ipsa inhærendi ratione convenire, quum utraq; pariter sint ἀχώριστα, neq; esse aliter aut subsistere quàm in subjecto possint. Et hoc magis adhuc confirmatur ex eo, quód sicuti accidentia subjectum suum undiq; ac penitus pervadunt, atq; ab eo, ut sic dicamus, tota perbibuntur; itidem circa Formas rem se habere docent. *Conditio necessaria ad causandum in Materia* (inquit Suarez) *est propinquitas, intima, seu indistantia à Forma: itaq; sicut in Causa efficiente applicatio ad passum dicitur conditio necessaria ad agendum, ita in Materiali Causa applicatio ad Formam. Hæc autem applicatio est per intimam propinquitatem & indistantiam; quia non possunt Materia & Formæ uniri, nisi sint indistantes, & quasi penetrent intime per entitates suas.* Quomodo igitur Formæ sint in subjecto, & tamen sint substantiæ (quum substantijs non conveniat, esse in subjecto) nequaquam à Peripateticis explicatur. dum enim id facere conantur, à proposito scopo aberrant, afferendo differentiam inter inhæsionem Formæ & accidentium. in quo licet omnia ijs, quæ dicunt, concederentur, nihil tamen ad rem dicerent; quia etiamsi Formæ non ita insint in subjecto, uti insunt accidentia, insunt tamen; in quo omnis difficultas sita est. Et præterea tamen differentiæ, quas hic assignant, sunt minus principales; quum alioquin in ijs, quæ præcipua sunt in ipsâ inhæsionis ratione, eadem sit Formarum & accidentium conditio, ex ipsorum doctrina; sicuti ostendimus. Quandoquidem ergo hæc difficultas manet insoluta, non parva hinc ministratur Peripateticis occasio, suspectam habendi suam de Formis doctrinam; quum præsertim illud Aristotelis axioma, *Substantiam non esse in subjecto*, omnino sit rationi ac veritati consentaneum. Neq; est ut cum Scaligero causentur *angustias intellectus humani, quem lateat exquisita illa cognitio, quomodo ex duobus unum fiat; quomodo Forma sit in toto, & in quacunq; parte tota: quamlibet enim par-*

Cap. I.

Disp. 13. sect. 8. §. 9.

Exerc. 307. 29.

Cap.I. *tem ignis ignem esse.* facillimum enim intellectu est, fieri hoc nullo pacto posse, ac propterea esse somnia, quæ de Forma substantiali dicuntur. & misera est manifestissimam absurditatem amoliendi ratio, exclamare, *Adeo divinam* (Ibid.) *rem esse Formam, ut cum sit substantia, aliam totâ sui impleat substantiâ ita, ut ex utraq; fiat unum* : Neq; animos veritatis avidos à detegendis ac repudiandis ejusmodi commentis absterreant imperiosa verba, *Ulteriorem disquisitionem morosi atq; satagentis animi esse : cum humanæ* (Ibid.) *sapientiæ pars sit, quadam æquo animo nescire.* Certe nimiam curiositatem haud alius magis nobis damnaverit, & immodestum illa rimandi studium, quæ humanæ cognitioni Deus subtraxit : sed rursus illa, quę ita sunt manifesta, ut ultro sese ingerant, velle sponte nescire, ne ipsorum scientia cogaris vetusta quidem, sed fictitia, dogmata deserere, stoliditatis potius quam æquanimitatis nomen mereatur.

XXXVI. Absoluto primo capite, quod erat de Formarum inhæsione, transeamus ad secundum, de ipsarum unitate, quam necessario infert generalis Peripateticorum de Formis doctrina. Aiunt enim, quod unaquæq; Forma substantialis dat rei suum esse, constituitq; veram substantiam, atq; eam determinat ad certam aliquam speciem. unde sequeretur, si plures darentur Formæ in uno supposito, illud suppositum simul in pluribus speciebus constitui, esseq; plura individua substantialia diversarum specierum : quod est absurdissimum. Propterea plurimi Peripatetici (de quibus (Disp. 15. sect. 10. §. 62.) est Suarez, qui & integrum texit eorum catalogum, qui idem senserint) absolute asseruerunt, unius substantiæ compositæ tantum esse unicam Causam formalem, & in uno Composito naturali tantum unicam esse Formam substantialem. Ast alij rursus permulti plures posuerunt in unica re Formas substantiales; quanquam non omnes eodem modo. Commune quidem illis est, ut Elementa in omni Mixto manere, suasq; Formas retinere dicant. sed alij dicunt, Mixtorum inanimorum Formas non esse aliud, quam certam

certam Formarum elementarium harmoniam, seu Formas Cap.I. elementares sub certa proportione atq; harmonia inter se junctas, unamq; pariter Formam, ex illis quatuor compositam, constituentes. *Forma misti est Forma ex congressu Formarum Elementorum oriens, ita ut quæ erant quatuor Formæ, in unam migraverint, quæ est Forma misti:* inquit Zabarella lib. 2. de motu gravium & levium cap. 5. qualia etiam habet libro de Ortu & Interitu, cap. 2. Alij vero (de quorum numero sunt Zimarra & Fernelius) aiunt, Formam misti esse Formam quandam re a Formis Elementorum diversam, illisq; superadditam. & consequenter in partibus viventium alteri quidem tres statuunt Formas, Elementorum, Mixti, & Totius; alteri vero duas, Misti (quæ nimirum è Formis Elementorum constet) & Totius. Præter hosce autem modos, adhuc alios invexerunt nonnulli, quibus plures Formæ substantiales dentur in uno supposito. quippe & Henricus in homine, & Scotus in omni vivente, statuunt Formam quandam substantialem, intermediam inter animam & Materiam; quam Formam corporeitatis appellant. & Philophonus, Jandunus, Paulus Venetus, statuerunt esse in homine tres animas realiter distinctas. Sane quantum ad illos attinet, qui & Elementa revera manere in Mixtis, & viventium partes similares sua quamq; peculiari Forma, quæ ab anima esset diversa, insigniri docuerunt, validis argumentis ad ita sentiendum moti fuerunt, sicuti videre est apud Zabarellam, libro de Gener. & Interitu, cap. 2. argum. secundo, quarto, & quinto (namq; primum & tertium parvi sunt momenti) & ex ijs, quæ supra tum sectione secunda de Materia secunda, tum hac ipsa sectione de cadavere disputavimus, intelligi potest. Attamen hi quoque omnes, quotquot plures in uno composito Formas collocant, unanimiter fatentur, duas Formas specificas simul in eadem Materia inesse non posse. Absurditatem autem, Principio hujus paragraphi propositam, (quum omnis Forma, ex Aristotelica doctrina, conferat rei esse & speciem, ac proinde sit specifica) ita eludunt, ut dicant, eas tantum Formas

 esse

Cap. I. esse specificas, quæ actu existant; & in illis substantijs, quibus plures Formæ insunt, unam tantum ac supremam actu existere; reliquas autem omnes esse ibi in potentia. & sic, quanquam cum alteris illis, qui unam tantum in quacunq; re Formam statuunt, fateantur, non posse plures unâ Formâ actu esse in uno subjecto, aut multas actu Formas sub una Forma contineri, nihil tamen impedire dicunt, quominus modo hoc per ipsos assignato plures Formæ simul sint in uno subjecto, ita nimirum ut non sint simul actu, sed una tantum ipsarum, ac cæterarum princeps. Ita Fernelius primi Abditorum quarto, quum proposuisset hanc objectionem, *Si partibus similaribus, quarum singulæ suis sint insignitæ Formis, alia insuper totius simplex induatur Forma, fore ut rei, quæ actu quodam & suâ Formâ integre perficitur, alia (quod nullo modo fieri queat) accedat Forma, & uni eidemq; rei multæ perfectiones insint; utq; simplicis unius ac similaris partis, ut ossis aut carnis, multæ ac diversæ habeantur species, per quas & è diversis constaret essentijs, & in diffidentia genera referretur:* ad hunc modum ipsi respondet; *Etiamsi partibus similaribus, quæ jam suis Formis insignitæ sunt, nova totius accedat Forma, idcirco non confici, parti cuiq; duas actu inesse Formas. Formam enim non accedere* [illegible] *actu manenti, sed obscurari inferioris Formæ illum actum & perfectionem, quoties clarior & nobilior immittitur. Quocirca, neq; quicquam unum diversorum generum fore, sed ab una posteriori nobiliorig; Forma res omnes essentiam, nomen, genus, mutuaturas. Quanquam ergo eidem rei duæ perfectiones simul inesse non possunt; neminem tamen negare, quin complures Formæ in eadem re potentia simul possint esse, & præter has una actu.* & consimilia quoq; tradit secundo Physiologiæ, capite octavo: taliaq; passim legere est apud alios, ejusdem sententiæ fautores.

XXXVII. Sed hæc evasio inepta est ob duas rationes. Primo enim incidunt in parem, sed contrariam absurditatem, atq; illi, qui cadaver partesq; cadaveris specifice

inferred

differre aiunt à corpore vivente, partibusq; corporis viventis. sicuti enim illi dicere coguntur, ut sibi constent, carnem aut os cadaveris non esse carnem aut os, nisi homonymice, quum durante vitâ essent verum os, ac vera caro: ita his è diverso dicendum est (si consequentia loqui velint) in cadavere quidem esse veram carnem, & verum os; in corpore autem vivente non nisi æquivoce. Ut enim res sit hoc aliquid, atq; ad certam speciem pertineat, non nisi à Formâ actuante, atq; ad certam speciem determinante, habere potest, ut ipsi docent. Ast hæ partes non possunt actuari à suis Formis, quum ipsas Formas dicant non actu existere, sed potentiâ. Quomodo autem illud, quod ipsum actu non existit, alterum actu existere faciet? Sane si Forma carnis & ossis in corpore vivente sunt in potentia, caro quoq; & os non erunt caro & os actu sed in potentia. Causæ enim in potentia, effectus actu esse non potest; sed ut hic actu sit, illum actu existere necesse est, tradente ipso Aristotele, 9. Metaph. cap. 8. Ἀεὶ γὰρ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος γίνεται τὸ ἐνεργείᾳ ὂν ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντος. *semper ex eo quod potentiâ est, fit actu existens, ab eo quod actu existit.* Et cum illud, quod est in potentia, non existat (quippe existere, est esse actu, & desiisse esse in potentia) caro & os non existent in corpore vivente; sed tum demum existere incipient, quando id cadaver factum est, atq; anima ex eo excessit. Et hoc, quod dicimus, sicuti per se clarum est, ita magis etiamnum inde confirmatur, quod ijdem hi, qui hanc fovent opinionem, non tantum dicunt, Formas illas inferiores esse in potentia; sed & conceptis verbis pronuntiant, eas, quamdiu superior Forma adest, Formarum officio non fungi, atq; Materiæ instar ad illam se habere. Mercenarius, *Licet Elementorum Formæ integra maneant in Mixto, non tamen dant esse simpliciter, sed hoc proficiscitur ab ultima Forma, quia priores Formæ sunt quasi Materia posterioris.* Vicomercatus, *Dicendum, corporum, quorum plures sunt Formæ, quę successione quadam altera post alteram adveniunt, priorem quidem posterioris semper veluti potentiam esse;*

Cap. I.

Dilucid. 68.

Lib. 2. de Princip. rerum natur. c. 4.

Cap.I. *esse: at dum id evenit, Materiæ cujusdam una cum subjecto, in quo insunt, obtinent rationem. nec absurdum est, rei minus perfectæ Formam cum Materia, cujus Forma est, perfectiori Formæ ut Materiam subjici.* Zabarella, *Per dictum illud (Unius rei unum tantum est esse) excluduntur illæ Formæ solum, quæ non sunt subordinatæ, nec una est præparatio ad aliam recipiendam. at non excluduntur Formæ subordinatæ, quarum, sola ultima fungitur officio Formæ, & perficit omnes alias, quæ cum prima Materia constituunt Materiam proximam, & propriam ipsi ultimæ Formæ.* Ex his apertissime sequitur, quod dicebamus, Carnem non esse carnem in corpore vivente, quia ut sit caro, debet à Forma sua habere: ab ea autem habere nequit, quum ipsa actu non existat, & Formæ officio non fungatur. Imò hinc ulterius sequitur, nullam in vivente esse inter partes similares differentiam, omnesq; esse ejusdem inter se rationis & essentiæ, si esse rei pendet à Forma actuante & realiter informante; omnes autem hæ partes una eademq; simplici Forma actuantur & informantur. Et sane Fernelius, apertâ rei consequentiâ inductus, ipse tantundem asserit. *Partes illæ,* inquit, *quas tu tum in stirpe tum in animali dissimillimas esse statuis, ejusdem rationis ac Formæ sunt omnes, dum eorum utrumq; est in vivis. at mortem obeuntibus illis, totiusq; evanescente Forma, quæ superant partes, neq; Forma neq; essentia sunt ejusdem, sed omnino diversæ. nam singulæ partes ad suas tum naturas redeunt, quæ præsente totius Forma unum quid & simplex erant. itaq; totius interitu, similaris cujusq; partis species in suum actum & in suam perfectionem erumpit, quæ, dum vivebat animal, solum inesse potentiâ dicebatur. actu enim fit, quod erat potentiâ. & illa quidem tum nobilioris Formæ lumine obscurata, nec elucere ipsa poterat, nec parti suam essentiam aut nomen conferre.* Credibile quidem est, non omnes, qui hanc sequuntur opinionem, ita plane, ac hic facit Fernelius, locuturos, eumq; reprehensuros, quasi nonnulla imprudentius ab eo prolata fuerint. sed certum tamen est, quidcunq; ab eo hic dici-

Lib.de Gener. & Interr.c. 2.

1. Abdit. 4.

tur,

tur, necessario fluere ex ea hypothesi, quæ Formas inferiores statuit potentiâ tantum inesse, propteráque ab omnibus, qui illam amplectuntur, tantundem esse dicendum (nisi velint suis ipsorum decretis repugnare) nimirum quod os non sit os, neq; caro caro, quamdiu animal vivit: quod profecto omnem superat absurditatem.

XXXVIII. Altera ratio, obsistens huic opinioni, quæ Formas nonnullas non actu, sed potentiâ, ac sub alterius potioris Formæ imperio, inesse asserit, petitur ex ipsa hujus phraseos explicatione. Etenim substantia dicitur esse in potentia duobus modis, vel simpliciter, vel respective seu denominative. Hoc posterius rursus dupliciter fit; quum substantia dicatur esse in potentia vel ad aliquod accidens, quod nondum quidem habet, sed apta est habere, quomodo aqua frigida dicitur calida in potentia; vel ad aliam substantiam, in quam ipsa abire nata est, quomodo ovum dicitur gallina in potentia, & sanguis, in potentia caro. Hic modus respectivæ potentiæ (de quo multa Galenus in Principio tertij de crasibus) ad præsens propositum non pertinet, quum Formæ illæ inferiores, de quibus nunc agimus, non ita dicantur esse in potentia, sed priori modo, sive simpliciter. Eorum autem, quæ ita dicuntur esse in potentia, duæ sunt classes. Partim enim nondum sunt in rerum natura, nondumq; existunt, sed existere possunt, quum dentur Causæ, quæ ipsa producere valeant, ac suo tempore, nisi quid impediat, producturæ sint; quomodo media hyeme rosa dicitur esse in potentia. atque huic potentiæ opponitur ille actus, quo res jam existit extra Causas suas, sive jam producta est, atq; extat in rerum natura; quem actum videtur descripsisse Scaliger comm. in 6. de Caus. plant. cap. 17. inquiens, *Est autem actu, quod per se est, atq; sejunctum à suis Causis, ita ut non opus habeat aliquo adjumento ut hoc sit, quod esse debet:* quanquam hæc descriptio laxior est, ita ut non ille tantum actus, qui potentiæ simplici sed & qui potentiæ denominativæ opponitur, ea comprehendi videatur. Partim verò jam

quidem

Cap.I. quidem in mundum producta sunt, atq; existentiam suam habent; esse autem seu existere in potentia dicuntur, quia existentia ipsorum non est manifesta; quum aliarum rerum admixtione obscurata, veluti delitescant & abscondantur. ita caseus & butyrum lacti insunt in potentia, non quia non sint ibi vere ac realiter, sed quia esse non deprehenduntur, quamdiu lac servat debitam consistentiam ac Mixtionis modum. itaq; huic potentiæ opponitur ille actus, non quo res existere incipit, quum non existeret prius, sed quo ita existit per sese, ut ab alijs rebus, quarum admixtione abscondebatur, sit segregata. & ad hunc modum referendum est, quod Aristoteles omnes alicujus Compositi seu Totius partes dicit esse in potentia, quamdiu constituunt Compositum; quæ tamen assertio minus accurata & valde dura est. Ad horum modorum alterutrum necessario redigi debet illa potentia, in qua dicunt esse Formas illas, quas superioris Formæ præsentia actum amittere dicunt: ipsorumq; optioni relinquimus, utrum eorum eligere velint. Utrumvis autem elegerint, causâ suâ eos cadere necesse est, omnibusq; fieri manifestum, locutionem illam temere ab ipsis hic adhiberi, ac non nisi inane esse subterfugium, quum nullus commodus sensus ipsi assignari queat. Etenim si Formas dicant esse in potentia priori modo, quo ea esse in potentia dicuntur, quæ nondum producta sunt; tunc idem dicunt, acsi dicerent, Formas illas nequaquam adhuc esse in partibus similaribus, sed postea in ijs futuras, & intereunte superiori Forma demum producendas: quod sane haudquaquam volunt, ac propterea non est ut contra hoc verba faciamus. Quodsi vero ad secundum modum se conferant, tunc præterquam quod hic ad Formas accommodari vix potest (præterquam illo Aristotelico modo, qui huc nequaquam facit, quum eo omnes omnino Formæ dici possint esse in potentia, dum Compositum constituunt) in illud incommodum incident, cujus vitandi Causa hujus phraseos ambagem quæsiverunt, ut nimirum cogantur fateri, unam eandemq; rem duabus Formis specificis simul informari. Forma enim vere ac realiter

Quinto Metaph. 11.

realiter existens, non potest quin rei, cujus Forma est, Cap. I.
omnia conferat, quæ Compositis conferri à Formis suis Peripatus docet, & consequenter eam specifice determinet, atq; specificæ Formæ provinciâ ergà ipsam fungatur. Quæ enim dicuntur esse in potentia hoc posteriori modo, vere & realiter, ac quidquam aliud, existunt; sed duntaxat existere non videntur: ideoq; nostri solummodo respectu dicuntur esse in potentia, cum in sese ac sui ipsorum respectu nequaquam sint in potentia, sed verissimò actu existant: quam rem magnus vir Fracastorius sub exemplo quatuor humorum (è quibus concretum esse omnem sanguinem, vulgo medici ac philosophi, inde à temporibus Hippocratis, putant) perspicue declarat. *Eâ in massâ sanguinis* (inquit) *quæ intra venas continetur, confusi commixtiq; sunt & reliqui vocati humores, cholera, phlegma, & melancholia, sed ita ut quodammodo actu, quodammodo potentiâ in ea massâ sint, potentiâ quidem, quia ad minimas & indivisibiles particulas redacti sunt, nec monstrari possunt, hoc quidem phlegma, illud cholera, illud melancholia, nisi particulæ uniantur: at actu sunt, quoniam tametsi ad particulas minimas deducti sunt, proprij tamen generis rationem habent.* De dieb. criticis cap. 7.

XXXIX. Hisce duabus rationibus nostris contra illam doctrinam, qua plures Formæ ita dicuntur esse simul in uno subjecto, ut una tantum ipsarum sit in actu, reliquæ verò in potentia, adjungi potest alia Peripateticorum, contrariam opinionem sequentium, qui ex communibus Principijs docent, hoc fieri minime posse, quod alteri dicunt, ut Forma aliqua substantialis cum suo subjecto habeat rationem Materiæ ad superiorem Formam. Equidem ex generali de Formis Doctrina, apud omnes Peripateticos recepta, sequitur, *fieri nullo modo posse, ut una Forma substantialis sit dispositio proxima ad aliam substantialem Formam, simul permanens cum illa; quia unaquæq; Forma substantialis dat esse simpliciter, & constituit essentiam completam in genere substantiæ. Hoc ipso autem, quod unaquæq;*

Cap.I. *Substantialis Forma constituit substantialem naturam completam, ita determinat sibi Materiam quam informat, & quasi trahit illam ad suum esse, ut non admittat in ea aliam Formam substantialem. Et quum Forma substantialis per se respiciat potentiam substantialem; substantia completa non est jam in potentia substantiali, sed accidentali tantum*: sicuti hæc, aliaq; ad eandem rem, declarantur à Suarezio, Disputationis decimæ quintæ sectione decima, paragraphis 34. & 64. Quod si hanc consequentiam agnoscere nolint ij, qui plures simul Formas collocant, ac proinde persistunt in sua illa assertione, *nihil impedire quominus ita se res habeat, ut quod unius sit potentia, alterius sit actus, utq; prior Forma sit posterioris potentia, & potentiæ rationem subeat cum ea Materia, in qua inest; quia etiam si hujusmodi rerum minus perfectarum Formæ cum sua Materia, perfectiori Formæ ut Materia subjiciantur, tamen actus sint seu entelechia, quum alteri Formæ non subjiciantur, nisi ut ejus, quod subsequentem Formam excipit, pars sunt*; sicuti hæc aliaq; in eundem sensum scribuntur à Vicomercato lib. 2. capite quarto (unde & paulo superius aliqua huc spectantia allegavimus) nihil tamen hoc ipsos juvabit, quominus difficultatibus modo enumeratis teneantur irretiti. Non enim quærimus, quomodo Formæ similarium se habeant ad Formam totius, sed ad ipsas partes similares, ubi sine ambagibus alterum duorum dicendum est, vel esse eas in potentia, vel in actu. utrumq; enim simul verum esse non potest, ipso sic scribente Vicomercato, in eodem loco: *Unius autem & ejusdem rei potentiam & actum aliquid esse non licet, quomodo nec unius ratione habitâ, actu simul & potentiâ aliquid esse conceditur.* eligant igitur alterutrum necesse est. sed neutrum eligere possunt, quin causam suam jugulent. si enim dicant Formas similarium, respectu ipsarum partium similarium, esse in potentia, incident in difficultates à nobis propositas, quum Formæ sit (ut ipsi aiunt) perficere id, cujus est Forma: perficere verò alterum non possit, quod ipsum non est perfectè, aut potius non est omnino. Actus, inquit Scaliger, non est tantum ἐντε-

λέχεια,

λέχεια, *perfectio, sed & ἐντελεχείας, perfectionis.* & in eundem sensum ibidem, *Actum vocat Formam seminis, atq; ei dat actum informandi: nullus autem est actus in potentia: informat enim. semen non esset, nisi ejus Forma esset.* Si verò dicant, Formas eas, licet dicantur esse in potentia, ratione superioris Formæ; actûs tamen vicem implere erga ipsas partes similares: in illud incident incommodum, ut cogantur fateri, unamquamq; partem habere duas Formas actu, suam propriam, & illam totius; quod nequaquam fieri posse, ut una res duas actu Formas obtineat, omnes ad unum, nemine excepto, clamant Peripatetici, atq; hi ipsi non minus, quam adversarij ipsorum (qui nullam, nisi eam totius, Formam agnoscunt) sese abhorrere testantur. Quandoquidem ergo inter se consentiunt Peripatetici, non nisi unam Formam specificam in uno subjecto dari; validissimum hinc quoq; contra doctrinam de Formis substantialibus argumentum depromere licet; quum ista unitas nullo modo defendi probabiliter queat. Nam qui hoc ita explicant, ut uni Formæ actu existenti alias Formas in potentia adjungant, vel potius subjungant; involvuntur absurditatibus nunc commemoratis. Qui verò, ad hasce defugiendas, alteram sequuntur partem, ac stricte tenent, non nisi unam in quocunq; supposito Formam substantialem inesse posse, premuntur gravissimis rationibus, ob quas alteri plures in una substantia Formas statuere coacti fuerunt, quarumq; præcipuas nos superius, tum in hac ipsa sectione, tum in præcedenti, recitavimus.

Cap.I.

Comm. in 5. Caus. 24.

XL. Tertium de Formis axioma, unde commode sese ipsos explicare nequeunt Peripatetici, est simplicitas earum: quam duplicem ipsis assignant. Non modo enim ijs adimunt omnem compositionem, quæ è partibus fiat dissimilis naturæ seu heterogeneis, sed & eam, quæ è partibus fit (ut sic dicamus) quantitativis; quare & negant duas Formas, etiam quæ ejusdem sint generis, in unam conflari posse. *Ex duabus Formis*, inquit Scaliger, *tanquam partibus, non potest una Forma fieri.* & rursus ibidem, *Forma* Exerc. 268.

Cap. I.

cum sit simplex & indivisibilis, ex duobus componi non potest. Et quum id, quod omnino simplex, non habet partes è quibus constet, dividi nequeat (quippe nihil aliud est divisio, quam partium sejunctio) etiam indivisibiles seu insecabiles facere Formas coguntur. Hoc ab Averöe scriptum multis in locis, à Scaligero etiam passim inculcatur, ut comment. 9. in lib. 4. de Caus. Plant. *Principium formale nec continuum est, neq; dissitum, sed unum indivisibile.* Et rursus Exerc. 80. sect. 3. *Forma est unum, non connexione, sed essentiâ maximè indivisibili.* & notat ibi locos, ubi idem ab Aristotele indicatum est; passimq; hoc resonant omnes Peripatetici. Huc quoq; pertinet, quod magnitudinem & parvitatem in Formas non cadere aiunt, idq; adeo certum putant, ut Scaliger pronuntiet, *illum abuti patientiâ sapientum, qui Formam majorem & minorem dicat.* Quod itaq; Aristoteles de Intelligentijs scribit, ὅτι μέγεθος οὐδὲν ἔχουσι, καὶ ἀμερεῖς καὶ ἀδιαίρετοί εἰσι, *quod magnitudinem nullam habent, quodq; è partibus non constant, & indivisibiles sunt*: jam non est ijs peculiare, sed commune id habent cum omnibus Formis. Sane ista adeo inter se cohærent, ut quibus unum tribuitur, ijs reliqua quoque tribui necesse sit. Sed tueri hæc Peripatetici nequaquam possunt, facileq; est ipsos eo adigere, ut vel inviti fateantur, & componi Formas è pluribus, & magnitudinem habere, ac divisibiles esse, & proinde imaginariam esse simplicissimam hanc simplicitatem, quam ijs tribuunt. Quantum ad primum; multorum viventium animas (quas ipsi pro Formis habent) è pluribus animis seu animabus posse componi, ac proinde habere partes (quum duæ illæ, aut plures animæ, quæ in unam coaluerunt, necessario dicendæ sint partes illius totius animæ, quæ ex ipsarum conjunctione exurgit) præterquam quod evidentissime doceri potest exemplo animalium à diversigeneribus animalibus procreatorum (de quibus mox commodius agetur) clare etiam apparet ex eo, quod diversi graves autores pro certo produnt, ex ejusdem generis seminibus simul satis, unam plantam emergere, tenellis plantis (quarum

Phys. comm. 68. & 6. Phys. comm. 45.

Exerc. 101. 15.

12. Metaph. 7.

sanè

sane suam quæq; sibi habet animam) in unam stirpem cō- **Cap.I.**
alescentibus. Hoc in nonnullis oleribus fieri solere, tradit Theophrastus, Ποιεῖ δὲ μεγάλας καὶ τὰς ῥίζας καὶ Lib.5.de Caus. τὰς βλάστας, καὶ ἐὰν πλείω τις εἰς ταυτὸ σπέρματα ξυν- Plant. cap. 7. δήσας εἰς ὀθόνιον φυτεύσῃ. διὸ καὶ ἐπὶ τινῶν τοῦτο ποιοῦσι, καθάπερ ἐπὶ πράσου, σελίνου, καὶ ἑτέρων· ἰσχύει γὰρ τὰ πλείω δηλονότι μᾶλλον, καὶ ἐξ ἁπάντων γίνεταί μία τις φύσις. *Magnas facit radices, uti & germina, siquis plura simul semina linteolo colligans serat. itaq; & in nonnullis hoc faciunt, ut porro, apio, alysq;. videlicet plus virium est in pluribus, atq; ex omnibus fit una quædam natura.* Theophrasto succinit Columella, sic de porro scribens: *Incrementum* Lib.11. cap.3. *ejus quo majus fiat, raris linteolis cumplura grana illigantur, atq; ita obruuntur.* itemq; de Apio, *Quod siquis id velit lati folij facere, quantum seminis possint tres digiti comprehendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas dispositum releget.* Idem de Palmis memorat Plinius, *Seritur* Lib.13. ca.4. *autem pronum, & bina juxta composita semina, superq; totidem, quoniam infirma singulis planta est: quaterna coalescunt.* Et ante Plinium hoc ipsum tradidit Theophrastus: Τῶν δὲ φοινίκων ἴδιος ἡ φυτεία παρὰ τὰ ἄλλα· φυτεύουσι 2.Hist.Plant.8. γὰρ, πλείους εἰς ταυτὸ τιθέντες, δύο ἄνω, καὶ δύο κάτω, ἐπιδοῦντες· διὰ τοῦτο δὲ εἰς τὸ αὐτὸ πλείους τιθέασιν, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀσθενὴς ἡ φυτεία· τούτων δὲ αἵ τε ῥίζαι πρὸς ἀλλήλας συμπλέκονται, καὶ εὐθὺς αἱ πρῶται βλαστήσεις, ὥστε ἓν γίνεσθαι τὸ στέλεχος. *Palmarum autem alia est, quam reliquorum, satio: serunt enim plures [nucleos] simul ponentes; duos supra, ac duos infra, colligantes. ob hoc autem plures in unum ponunt, quia ab uno infirma planta [provenit.] Horum autem & radices inter se complicantur, & statim prima germina, ita ut unus truncus fiat.* Ait quidem Io- Lib. 3. Magiæ hannes Porta, non posse semina in unum coire, ac quæ natural. cap.5. super hac re scripta sunt, falsa esse & impossibilia: sed quanquam ipsi periclitanti experientia non responderit, non statim sequitur, rem ipsam fieri non posse, aut nunquam fuisse factam; quum multa intervenire potuerint,

Cap.I. quæ successum impedirent. & præterea ex ipsius verbis excipere satis clare licet, eum non in congenerum, sed in differentium stirpium seminibus hoc tentasse. Imò ne in congeneribus quidem omnibus aut plerisq; hoc fieri, prædicti autores aiunt; sed arborem tantum unicam, herbam non nisi unam alteramq; nominant, in quibus hoc eveniat. quare in hisce præcipue aut solis tentatum oportuit, antequam res tam multis autoribus testata falsi condemnari posset. Sane Iulius Scaliger non dubitat, quin illud de Palmis verum sit. namq; Exercitatione centesima sexta pro certissimo id narrat. & quanquam Theophrastum autorem laudat, ita tamen narrat, ut ipse expertus videatur. quippe in nucleorum sive seminum numero à Theophrasto discrepat, atq; non è quaternis, ut ille, sed è ternis unam consurgere arborem memorat. Verba ejus hæc sunt:

Sect. 6. *Palmularum tria ossa serito: totidem inde orientur palmæ, ita demum distinctæ, ut erant ossa ipsa. ij tres stipites, actu unum hoc, quod est, existens sibi quisq;, in unum actu coibunt: unica deniq;, unico contenta stipite, palma fient. atq; ex ijs ita, non alio satu, exit arbor illa, quemadmodum prodit Theophrastus. Unus, inquam, stipes numero, ex ternis truncis, ortu, Materia, quantitate, loco separatis.* Quomodo autem hoc stare possit cum decantata illa Formarum simplicitate, & cum axiomate illo (quod non alij tantum, sed & ipse Scaliger toties inculcat) *Unam Formam è duabus componi non posse:* ipsi viderint. nobis quidem constat, hæc directo inter se pugnare, propereaq; utrumq; simul haudquaquam verum esse posse.

XLI. Quantum ad Magnitudinem, possent eam Aristotelici Formis adimere ita, ut nulla seipsos contradictione involverent, si statuerent, quamvis Formam esse totam in toto, & totam in qualibet parte: quod tamen minime faciunt. Videtur quidem Scaliger contrarium asserere Exerc. 307. sect. 29. ubi cum dixisset, Formam esse totam in toto, & totam in qualibet parte; pro exemplo, ad axiomatis hujus confirmationem, subjungit, *Quamlibet ignis partem, esse*

esse ignem. Et similiter alij Peripatetici, tractantes de origine Formarum, atq; disputantes contra eos, qui aliquid Formæ præexistere dicunt in Materia, ante rei generationem; id negare solent eo argumento, quod in quacunq; parte Materiæ non possit esse aliquid Formæ, quin tota sit, quum Forma sit indivisibilis. Sed hæc totalitas (ut sic dicamus) de qua isti loquuntur, non est ea, de qua nunc agitur; non quantitativa inquimus, sed essentialis: ita ut per Formam totam non aliud intelligant, nisi Formam essentialiter perfectam & completam: dicentesq; hoc pacto Formam esse totam in qualibet parte, dicant tantum, eam, ubicunq; est, esse totam seu integram secundum essentiam, non verò secundum quantitatem. qua de re plura legi possunt apud Zabarellam libro de Partitione Animæ, cap. 1. 2. & 6. Ubi verò de totalitate quantitativa sermo est; ipsi disertim magno consensu docent, Formas plerasq; non esse totas in tota Materia seu toto subjecto, sed singulis Materiæ partibus singulas Formæ partes respondere. [a] *Cuiq; parti Materiæ* (inquit Scaliger) *destinata est sua pars Formæ.* [b] Suarez, *Formæ materiales, quando uniuntur Materiæ, coextenduntur illi, ita ut uniantur uni parti Materiæ per unam partem suam, & alteri per aliam. partes enim Formæ inseparabiliter adhærent partibus Materiæ.* & similia nemo non dicit. In hoc tantum est inter ipsos dissensio, quod Thomas cum suis inanimatorum quidem Formas, itemq; plantarum & imperfectiorum animalium animas, concessit esse extensas ad corporis extensionem, & ita esse totas in toto, sed partem in parte: omnium autem perfectiorum animalium animas negavit esse extensas & quantas; proinde in toto esse indivisibiliter, ita ut tota etiam sit in singulis partibus. Alij verò omnes omnino Formas atq; animas (sola Mente excepta) ejusdem facinunt hac in re conditionis, dicuntq; cum Zabarella, *Quod omnis Forma informans Materiam, & constituens Compositum, est extensa ad extensionem Materiæ; quodq; proinde tota secundum extensionem suam in toto est, non tota autem in parte, sed pars in parte. partem enim, qua informat unam corporis*

Cap. I.

a Comm. in 1. de Plant.

b Disp. 14. sect. 3. §. 48.

Lib. de Partitione Animæ, cap. 1.

Cap. I.

corporis partem, non informare aliam. Iam ut omiſso eo, de quo inter ſe contendunt, ſumamus id, in quo conſentiunt; ſufficit hoc ad evertendum generale illud de Formarum ſimplicitate quantitativâ, & magnitudinis carentiâ, axioma. Poſitis enim hiſce, quæ ipſi hic docent, nequaquam id locum habere poteſt, niſi in ijs Formis, quæ Materiæ non coextenduntur. Reliquæ autem omnes neceſſario & è partibus conſtant, ſive compoſitæ ſunt, ſi partes habent Materiæ partibus reſpondentes, & conſequenter magnitudinem quandam, quæ & imminui poteſt & augeri, demtis vel appoſitis Formæ partibus cum Materiæ ademtione vel appoſitione. Itaq; qui Formas haſce majores & minores dicet, non abutetur patientiâ ſapientum (uti Scaliger ſuos Peripateticos vocat) ſed ea dicet, quæ ex ipſorum placitis inevitabiliter fluunt. Nam quod ad ſanandam manifeſtiſſimam hanc contradictionem aiunt, Formas eſſe quantas per accidens, quia Materiæ quantæ coextendantur: hoc omnino vanum eſt. Ipſi enim concedent (ſiquis ipſos interroget) Formas ab extenſione ſua, ſeu à Materia cui coextenduntur, non accipere partes ſuas, ſed habere illas partes per ſe, & illarum partium ratione eſſe extenſiles. quodſi autem Formæ per ſe habent ſuas partes quantitativas, etiam quantæ ſunt per ſe: quum monſtri ſimile ſit, dicere quod aliquid conſtet è partibus quantitativis, & tamen quantum non ſit. Suarez quidem (& ipſe de eorum numero, qui Formas materiales dicunt eſſe quantas per accidens) ut hic ſe expediret, partes entitativas, è quibus Formæ materiales conſtent, commentus eſt. *Formæ materiales* (inquit) *naturâ ſuâ habent conſtare è partibus entitativis, quod non habent à quantitate; ſed à ſua ſpecifica & eſſentiali ratione. ex hac verò naturâ in eis conſequitur, ut quando uniuntur Materiæ, coextendantur illi extenſione entitativa, id eſt, quod uniantur uni parti Materiæ per unam partem ſuam, & alteri per aliam; quam extenſionem non habent formaliter per quantitatem, ſed per entitatem ſuam.* Sed ut hæc ita eſſent, nihilominus maneret, & conſtare Formas è partibus (uti apertum eſt) & ha-

Diſp. 14. ſect. 3. §. 48.

Cap. I.

& habere suam per se magnitudinem, si non quantitativam, saltem entitativam. sed revera ista partium entitativarum à quantitativis distinctio ridicula est (sicuti quivis, sobrie ista considerans, fateri cogetur) & perpulsus ad eam comminiscendam fuit Suarez ob id, quòd cum maxima Peripateticorum parte crederet, quantitatem esse accidens, ac proinde, quæcunque quanta sunt, esse quanta ob hujus accidentis, quod quantitas dicitur, inhæsionem; quare Forma per se quanta esse nequeat, utpote quæ per se non sit capax istius accidentis. Ast quum revera quantitas non sit accidens, sed modus essentialis, resq; quantæ sint tales non per aliquod accidens ipsis inhærens, sed essentialiter (quod non nobis tantum, sed & multis Peripateticis videtur) omnino superflua est atq; inepta, illa partium entitativarum à quantitativis distinctio; ac proinde Peripatetici, dum concedunt, Formas per se constare è partibus entitativis, reverà concedunt, eas constare è partibus quantitativis, ac consequenter esse per se quantas; eoq; effugio, quòd dicunt Formas esse quantas per accidens, nihil juvantur (quum id planissime vanum sit) quo minus de quantitate Formarum sibi ipsis apertissime contradicant, eamq; Formis & adimant simul, & attribuant.

XLII. Idem fere faciunt etiam de Divisibilitate. licet enim pronuntient, Formas esse indivisibiles, passim tamen, eas dividi, fatentur. Unanimiter enim docent, omnes Formas Materiæ coextensas dividi ad divisionem subjecti; ita ut aliqui quidem dicant, omnes præter Mentem seu Animam rationalem Formas ita secari; alij verò, cum Mente excipiant etiam animas omnium animalium perfectorum; prout nimirum hasce animas esse subjectis suis coextensas alij asserunt, alij negant: de qua ipsorum controversia paulo ante diximus. [a] *Forma & anima* (inquit Averroes) *dividuntur divisione subjectorum.* & similiter [b] Scaliger, *Cuiq; Materiæ parti materialis Formæ pars designata est, ita ut cum illius sectione secetur ipsa quoque.* & alibi, [c] *Plantæ anima est materialis, & dividitur ad sectionem*

[a] Disp. 1. in Solut. dub. 8.

[b] Comm. in 1. Plant.

[c] Comm. in 5. Caus. 2.

Cap.I. *ctionem quantitatis.* ac rursus, d *Sane Forma quoq; suo modo infinitas in partes dividi potest. nulla enim Formæ portiuncula quantulacunq; datur, quæ non sit ad quantitatis sectionem partibilis, si materialis Forma est, ut anima canis.* taliaq; passim in nullo non Aristotelico occurrunt. Sed cum hæc duo inter se pugnent ex diametro, Esse indivisibilem, & divisionem tamen pati; jure aliquis mirabitur quid hic præsidij excogitent Peripatetici. ipsis autem res perquam facilis videtur, & familiari effugio utentes, verbo se expediunt, dicentes, Formas dividi non per se, sed per accidens; ut videre est apud Averroem 3. de Anima, com. 24. & Disp. 1. in solutione dubij octavi. item in paraph. Metaph. 2. tract. 2. ubi ita scriptum est, *Divisio accidit rei, ex eo quod est materialis, non ex eo quod habet Formam. Forma enim non est divisibilis nisi per accidens.* & sequitur Pererius,

d Exerc. 101. 15.

e Phys. 3. *Nulla Forma est per se divisibilis. nam divisibilitas & extensio sunt propria quantitatis affectiones, quæ non possunt ad cæteras res pertinere, nisi per accidens, & propter ipsam quantitatem. omnes autem Formæ materiales sunt extensæ atq; divisibiles per accidens, nempe ratione subjecti in quo sunt.* itidemq; Vicomercatus, *Formæ, quanquam materiales, ex se & sui naturâ individuæ sunt, omnemq; suam divisionem ex Materia accipiunt.* Sed sicuti modo ostendimus, inane esse hoc subterfugium circa quantitatem Formarum; ita hic quoq; frustra adhiberi, facile monstrare possumus. Non exponemus nunc, quot modis aliquid per accidens vel Agere vel Pati dicatur. infra enim, libro hujus operis quarto, commodior dabitur istam rem pertractandi locus. Impræsentiarum sufficiet dixisse, quod neque divisio, neque alia passio quæcunque, cadere possit in ullam rem, quæ non habeat poteniam patiendi istam passionem. exempli gratiâ, aurum non potest ustione in cineres redigi, quomodo cineres proprie dicuntur. hanc passionem, quæ per se ipsi non competit, nullo ingenio effecerit, quispiam, ut per accidens ipsi inferat: sed etiamsi unicam auri unciam in tenuissimas bracteas deducti commisceat mille libris lignorum, eaq; ligna in cinerem tota redigat, nunquam tamen

Lib. 1. Princ. nat. ca. 9.

Cap.I.

men efficiet, ut aurum, quod istis lignis admixtum erat, unà in cineres versum esse recte dicatur, sive per accidens, sive alio quocunq; modo. Et ut exemplo propiore utamur; Mentes, quæ vere sunt indivisibiles, integræ manent & illæsæ, etiamsi corpora, in quibus insunt, in mille partes subito discerperentur. Itaq; etiam aliæ Formæ, si per se essent indivisibiles, privilegium illud contagione corporum nequaquam amitterent, sed in quacunq; ipsius dissectione ac dilaceratione ipsæ incolumes persisterent. Aut fateantur ergo, Formas nullas dividi ad divisionem subjectorum; aut si hoc fateri neq; volunt neq; possunt, fateantur Formas esse verè per se divisibiles, quia alioqui verè dividi nequaquam possent. si autem verè non dividuntur, ne dividuntur quidem omnino, quum nihil inter hæc sit intermedium. Quanquam igitur certo aliquo respectu possent Formæ dici, per accidens dividi; hoc tamen non impediret, quominus respectu ipsius divisionis, quam sustinent, per se dividerentur: quomodo, verbi caussa, quod ab aqua calida calefit, dici quidem potest calefieri per accidens, respectu suppositi calefacientis; quantum tamen ad ipsam passionem seu calefactionem attinet, verè ac per se calefieri dicendum est. Utitur quidem Averroes similitudine à qualitatibus materialibus petita, quo hoc de Formarum indivisibilium divisione paradoxon confirmet, dicens Formas ita dividi per accidens; quomodo dividitur albedo. sed hoc nihil ipsum juvat, quum & hic æque errent, qui ita loquuntur. Uti enim de Formis, ita & de hisce accidentibus interrogamus, dividanturne ea, quando subjectum earum dividitur, an non dividantur. Si dividuntur verè & realiter, vere etiam ac realiter sunt divisibilia; quia (ut dicebamus) nulla res potest per accidens pati eam passionem, quam per se pati inepta sit, ac proinde neq; dividi, nisi eam naturam sortita sit, ut dividi possit. si autem verè non dividuntur, non dividuntur omnino; quum tamen dividi apertum sit, & Peripatetici fateantur. Nequeunt quidem hæc per se dividi, hoc est seorsim, quia nimirum ita per se seorsim existere non valent. (quam esse

Disp.1. in solut. dub. 8.

 For-

Cap. I. Formarum quoq; materialium conditionem Peripatus ait) sed si hoc sufficit, ut per accidens dividi ac per se esse indivisibilia dicantur, quia non nisi cum subjecto secari valent; tempus est Peripateticis, ut Materiam quoq; per se indivisibilem, ac non nisi per accidens dividi dicant; quippe quam ipsam quoq; per se ac seorsim subsistere posse negant, quare neq; per se ac seorsim secari potest. Sane ut hæc concludamus; quum Formas materiales & è partibus constare aiant, & eas partes invicem posse separari concedant, non est cur negent, quando ejusmodi partium separatio fit, Formas propriè ac per se dividi, quum divisio nihil sit aliud, quam partium sejunctio. uti rursus ex eo, quod Formas ad divisionem subjectorum dividi concedunt, sequitur Formas è partibus constare, quia necesse est rem, quæ dividitur, verè ac realiter dividi, aut non dividi omnino, quod autem verè dividitur, necessario est è partibus concretum; quum id quod partes non habet, dividi nullo modo possit. Tot igitur absurditatibus intricantur Peripatetici, dum illud suum axioma, quod Formas facit simplices simplicitate quantitativa, defendere conantur.

XLIII. Sed neque meliori cum successu tueri valent alteram Formarum simplicitatem, eam nimirum, ut non constent Formæ ex heterogeneis seu diversæ naturæ partibus: quandoquidem contra hoc pugnant manifesta experimenta, non in animalibus modo, sed & in stirpibus. Theophrastus quinti Causarum quinto tradit modum, quo diversi diversarum arborum surculi in unum coalescant, Τῇ σφύρᾳ μαλάξαντες τὰς ῥάβδους, ἵνα συμφύωσι διὰ τὴν ἀφέλκωσιν, συνδήσαντες, ἐφύτευσαν· εἶτα γίνεται τὸ μὲν δένδρον ἐν τῇ συμφύσει. *Malleo mollientes virgas, ut coalescant propter excoriationem, colligant eas, atq; ita in terram deponunt: hinc arbor fit una per coalitionem.* non fit quidem hic specierum Mixtio, quum revera non una sit ista arbor, sed plures arbores arte junctæ, atq; velut in unum corpus coagmentatæ, sua cuique specie servatâ, quod & testatur Theophrastus: διατηρεῖ δ' ἕκαστον τὸ γένος, ἔλαιον

καθ'

καθ' αὑτὸ, καὶ πέττον τὴν τροφὴν, οὐδὲν δ' ἄλλο ἢ τῆς συμ- Cap.I.
φύσεως κοινωνηθείσης, *ſervat autem quiſq; ſurculus ſuum genus, alimentum per ſe trahens atq; concoquens; ita ut nullâ re inter ſe communicent, niſi ſola concretione.* aſt Columella modum docet, quo revera ex diverſis ſurculis ita concretis unica arbor efficiatur, non unius ipſorum, ſed omnium mixtam naturam referens, ſi nimirum juxta medium crus, ubi maxime videntur ſurculi coiſſe, codex ſerra præcidatur, ac deinde rite curetur. emiſſurum enim ramos, in quibus variarum naturarum in unum confuſarum fructus naſcantur. Ipſe quidem hoc de Vitibus tantum tradit, ſed quin in alijs quoq; fieri hoc poſſit, dubitare non licet, quum Franciſcus Porta hoc de propria narret experientia, aiatq; ſe pruni ac mali medicæ ſurculos hoc pacto redegiſſe in unam arborem, quæ poſtea fructus tulerit ex utroq; pomo compoſitos. Sed & inſitionibus hujuſmodi ſpecierum conmixtio fieri interdum ſolet. quanquam enim ſurculi inſiti ſubjecta arbore ut plurimum pro terra tantum utuntur, naturamq; ſuam in ea integram ſervant; interdum tamen aliter fit, neq; modo fructus ſurculi inſiti mutantur quoad odorem, ſaporem, magnitudinem, &c. ſimilia; ſed interdum compoſitio fit ejuſmodi, ut duos diverſorum generum fructus, tum illum qui ſurculi, tum illum qui arboris ſubjectæ proprius erat, in unum coiſſe, atq; tertium quendam fructum, ab utroq; diverſum, hinc enatum, planiſsime appareat. Notum eſt quid Plinius tradat de Nuciprunis, & prunis amygdalinis. *Peculiaris impudentia eſt* (inquit) *prunorum nucibus inſitorum, quæ faciem parentis, ſuccumq; adoptionis exhibent, appellata ab utroq; nucipruna.* & mox, *Nuper in Bætica malina coeperunt appellari malis inſita, & alia amygdalina amygdalis. His intus in ligno nucleus amygdalæ eſt: nec aliud pomum ingenioſius geminatum eſt.* Alibi verò etiam ceraſorum laureorum meminit idem autor, quæ itidem ipſius ævo prodierint, inſitâ ceraſo in lauro. Ne autem putemus fabulas hæc eſſe (quod tamen ne ſuſpicari quidem ſine temeritate licet, quum Plinius hæc non, ut multa alia, fide

Lib.13.ca.9.

Lib.3.Mag.Nat.cap.5.

Lib.15 cap.13.

Lib.15.ca.25.

Cap. I. alienâ, sed ut comperta sibi, ac suo tempore notissima, narret) facit idem Porta (quanquam ipse verbis suis Pli-
Lib. 3. Mag. natur. c. 6. & 7. nio fidem detrahere laborat) memorans suo ævo procurata per insitionem nova ac inusitata pomorum genera, amygdalopersica, & nucipersica; ac eas quidem arbores, quæ amygdalopersica ferrent, multis annis in pomarijs suis
Comm. in 2. Caus. 18. viruisse. Hæc negari non possunt; & Scaliger ingenuè fatetur, *In insitione* (inquit) *actu Principia duo arte conjunguntur, & miscentur species, contra Peripateticorum vul-*
Comm. in 1. de Plant. *gata placita:* qui etiam alibi narrat visum sibi esse caulorapum, ita ut brassicæ radix sub terra esset condita, rapum super terra in stipite turgesceret. In animalibus autem multo adhuc evidentior & frequentior est hæc specierum mixtura. nam ut omittamus coitum canis cum fele, hyæna, lupo, vulpe, tigre; tauri cum asina, equa; cameli cum equa, aliosque rariores; notissimum omnibus est, asinos equas, & equos asinas inire, eque eo conceptu mulos nasci, neutri parentum ex toto similes, sed ab utroq; aliquid habentes. quare velint nolint fateri coguntur Peripatetici (nisi velint impudentissime obstinati esse) falsum esse illud suum axioma, quod misceri species negat, & hujusmodi animalium, à diversigeneris parentibus procreatorum, Formas sive animas esse ex partibus heterogeneris compositas. Quare Scaliger Exercit. 101. multum fluctuatus, atq; sibi reluctatus, an Formas misceri decerneret, quanquam negare mallet, ne violaretur illud axioma, rei tamen evidentiâ victus id fatetur, aitq; certum esse, quòd equi & asini
Comm. in 1. Plant. Formæ misceantur. & similiter alibi, *Non est verum illud Porphyrij, speciem non misceri cum specie. non enim esset mulus ab equo & asinâ tertia substantia.* Præterquam autem quod hisce illud de Formarum simplicitate decretum abunde profligatur, nonnulli etiam de ipsis Peripateticis tam parvi illud fecerunt, ut quo suum dogma (quo non nisi unicam in quocunq; Composito Formam admittunt) tuerentur, veriti non sint illud usque adeo violare, ut dicerent, partium similarium Formas totius Formæ partes esse. Hanc opinionem non obscure fovet Suarez, uti

apparet

apparet è Disp. 15. in cujus sectione decima, §. 31. sic Cap.I. scribit: *Facile concedi potest, in diversis partibus heterogeneis esse diversas Formæ partes heterogeneas, nam revera in arbore non est ejusdem rationis illa pars Formæ, quæ est in fronde, & quæ est in fructu. sunt tamen partiales illæ Formæ, & aptæ ut inter se uniantur & continuentur: & ideo componunt unam integram Formam totius.* & mox rursus, §. 32. *Ipsamet anima constat ex partibus heterogeneis, & ex earum inseparabili unione tota consurgit, ut supervacuum sit alias partiales Formas in singulis partibus confingere.* Et Scaliger quoq; interdum similia profitetur, ut Exerc. 104. 2. *Radix nulla est à suo stipite neq; genere neq; specie diversa. earum namq; Formæ, totius Formæ partes sunt, sicuti sua utriusvis Materia, Materiæ universæ pars est.* & adhuc clarius alibi, *Nasum habere Formam peculiarem, aliam ab oculo, sua specie, ut partem à parte differentem. esse enim totius unius Formas partiales; sub ea, unum inter se, multa; & esse sub eadem Forma tanquam partes, non tanquam species.* Exerc. 346. Sane vel hinc indicium haud parvum sumi potest, qualis sit illa de Formis doctrina, quæ non modo argumentorum pondere facillime obruitur, sed & à proprijs sectatoribus aperte convellitur in præcipuis suis capitibus, cujusmodi inter alia hoc, de ipsarum simplicitate, habetur à longe maxima Peripateticorum parte, quibus nihil magis aut firmius de Formis asseverandum videtur, quam eas esse simplicissimas, atque è nullis partibus, præsertim heterogeneis, componi.

XLIV. Sequitur nunc ut dicamus de Intensione ac Remissione, quam non cadere in Formas substantiales, uno ore omnes inculcant Peripatetici, quippe quibus neq; addi quicquam possit, nec detrahi, quin ipsarum essentia atque species mutetur; quare neq; dentur ulli Formarum gradus in eadem specie, quum omnes ejusdem sint essentiæ, ac proinde inter se simillimæ. Averroes quidem, cum suis, Elementorum Formas dixit instar Qualitatum esse intensibiles ac remissibiles. sed acerrime ei contradicunt reliqui

Cap. I. qui Peripatetici; & ipse de reliquis omnibus Formis eandem omnino cum ipsis fovet opinionem, ut eas intensionis ac remissionis capaces esse neget. Nihil autem nocebit nonnulla super hac Formarum conditione testimonia

1 Part. quæst. 74. art. 4. è Peripateticis apponere. Thomas, *Esse substantiale cujuscunq; rei in indivisibili consistit, & omnis additio vel subtractio variat speciem.*

Dilucid. 68. Mercenarius, *Nulla Forma substantialis intenditur & remittitur, sed qualibet in indivisibili consistit, & in hoc distinguitur à natura accidentali, quæ habet latitudinem graduum, secundum quos à subjecto secundum esse intensius & remissius participatur.* Vicomer-

2 Princ. nat. 5. catus, *Est Forma una alterâ quidem minus perfecta, sed tamen in suo genere perfecta, quæ quatenus talis, perfectior*

Exerc. 101. 18. *esse non potest.* Scaliger, *Cæterum & illud quod ais, perridiculum est; per gradus hasce animas distingui. essent enim qualitates accidentales, si intenduntur & remittuntur. nos Formarum gradus ponimus, ex duodecimo divinæ philosophiæ, sed non in una Forma.* Præivit autem suis ad hoc decretum ipse Aristoteles, qui expressis verbis illud tradidit octavi Metaphysicorum tertio: Καὶ ὥσπερ οὐδ' ἀπ' ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προσεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκέτι ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τοὐλάχιστον ἀφαιρεθῇ, ἢ προσεθῇ, οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι οὐκέτι ἔσται, ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προσηθέντος. & pauculis interpositis, Καὶ ἡ οὐσία ἓν οὕτως, ἀλλ' οὐχ ὡς λέγουσί τινες, οἷον μονάς τις οὖσα ἢ στιγμὴ, ἀλλ' ἐντελέχεια καὶ φύσις τις ἑκάστη· καὶ ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἀριθμὸς ἔχει τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, οὐδ' ἡ κατὰ τὸ εἶδος οὐσία. *Et sicuti numerus, siquid eorum, è quibus ipse constat, ab ipso auferatur, aut siquid ipsi addatur, non amplius est idem numerus, sed alius, etiamsi vel minimum auferatur aut addatur; ita neq; definitio neq; Essentia amplius sunt idem, siquid iis auferatur aut addatur. Et essentia ita est unum, non uti dicunt quidam, tanquam si esset unitas quædam aut punctum, sed actus & natura quædam est unaquæq;. & sicuti numerus non recipit magis & minus, ita neq; formalis*

formalis Essentia. Sed hoc axioma plane subvertitur per maximam illam diversitatem, quæ in plurimis tum stirpium tum animalium speciebus deprehenditur. Malorum, pyrorum, prunorum innumeræ varietates omnibus quotidie ob oculos versantur. De vitibus æquè nota res est. *Universæ regiones* (inquit Columella) *regionumq; singulæ pane partes, habent propria vitium genera.* Et Plinius, *Genera vitium numero comprehendi posse, unus existimavit Democritus, cuncta sibi Græciæ cognita professus. cæteri innumera atq; infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. nec omnia dicentur, sed maxime insignia: quippe quæ totidem pane sunt, quot agri.* Itidemq; ante hos Theophrastus, Ἐν πλείστῃ δὲ, ὡς εἰπεῖν, διαφορᾷ τὰ τῶν ἀμπέλων ἐστίν· ὅσα γὰρ ἐστιν ἀγρῶν εἴδη, τοσαῦτά τινές φασι καὶ ἀμπέλων εἶναι. *maximam autem, ut sic dicamus, varietatem sortita sunt vites. quot enim agrorum sunt genera, tot esse & vitium, nonnulli prodiderunt.* Et in multis quoque animalibus idem est cernere. ne longius abeamus, sola species humana amplissimum hujusce rei testimonium præbet, quippe intra cujus ambitum innumerabiles non corporum tantummodo, sed & animorum discrepantiæ ac dissimilitudines reperiuntur. Idem de canina specie affirmare liceat; de qua loquentem pro nobis audiamus Scaligerum. *In ipso caninæ speciei ambitu multæ diversissimæ ideæ comprehenduntur; tam diversæ inquam, ut plus distet à catello melitæo britannicus canis, quàm à ceraste vipera.* Iam quum Materia nunquam mutet Formam (sicuti Scaliger Exerc. 101. 18. ait) quumq; actio, & ea omnia, quæ insunt rebus naturalibus, Formæ tribuantur, atq; ab ea fluant (sicuti de communi Peripateticorum sententia scribit Toletus. 1. Phys. Quæst. 19.) quomodo ipsæ diversarum specierum differentiæ Formis, secundum Peripateticos, sunt ascribendæ; ita necessario sequitur, ut hæ substantiarum ejusdem speciei varietates itidem Formis debeant referri acceptæ. ast hinc porro concluditur, omnino dari Formarum gradus in eadem specie, & nequaquam in indivisibili constitui Formarum essentias, neq; eas omnes inter

Margin notes (in order): Cap. I. — Lib.3. ca.2. (Columella) — Lib.14.ca.2. (Plinius) — Lib.2.hist. ca.7 (Theophrastus) — Exerc. 202. (Scaliger)

Cap.I. se simillimas esse posse; quia si hoc foret, oporteret omnia etiam cujuscunq; speciei individua esse inter se simillima, omnibusq; ad amussim ijsdem proprietatibus prædita; quod nunc quam longissime abest.

XLV. Huic contra prædictum axioma objectioni adjungi altera potest, desumta à specifica unius rei in alteram mutatione, quæ fieri non posset, si illud ratum esset, uti docet Scaliger in commentarijs ad secundi de Causis caput vigesimum secundum; ubi ad hæc Theophrasti verba, ἁπλᾶ τις ἑκάςȣ ἡ φύσις, *simplex est uniuscujusq;* [*plantæ*] *natura*, sic scribit (parum sane ad mentem authoris, quum illa quidem verba longe alium sensum habeant: sed hoc nunc non agitur) *Sane optimum axioma: simplex omnium entium natura; quare non possit alterari, ut paulatim degeneret, donec mutetur in aliam.* Ast passim authores produnt, in multis plantis hoc accidere, ut una mutetur in aliam specie differentem; idq; duobus modis, ita ut mutatio fiat vel in ipso semine, aliâ herbâ ex eo prodeunte, quàm quæ prodire debebat; vel in adultis plantis. Quantum ad prius; Theophrastus quarti de Causis capite primo tradit, triticum ac hordeum degenerare in lolium; & capite sexto, Triticum in lolium, loliumq; rursus in triticum, ac Zeam in bromon transire affirmat. Et Plinius lib. 18. cap. 17. hordeum in avenam degenerare scribit, ac lib. 19. cap. 10. E semine brassicæ veteris rapa fieri, atq; invicem. Galenus item, in fine primi de facultat. aliment. memorat patrem suum, quum se agriculturæ studio totum dedidisset, magnamq; super hac re explorandа diligentiam adhibuisset, sæpius propriâ experientiâ deprehendisse triticum in lolium, & hordeum in ægilopa, & lentes in aracos, securidacas atq; aparinen abire; & alia quoq; cerealia semina in alias zizanias degenerare. Et Scaliger quoq; alicubi narrat, sibi ipsi accidisse, ut quum semen apij, seu petroselini vulgaris, terræ mandasset, non quæ expectabatur herba è terra prodierit, sed planta longe diversissima, scorodotis nimirum seu alliaria. Quantum ad posterius Exerc. 140.

mutа-

Cap. I.

mutationis genus; Theophrastus secundi historiarum quarto varias commemorat arbores, in quibus hæc permutatio fiat. mutari enim punicam dulces fructus ferentem in eam quæ ferat acidos; ficum in caprificum, & caprificum in ficum, oleam in oleastrum, & oleastrum in oleam: eamq; mutationem fieri, ὁτὲ μὲν ἐπὶ τῶν καρπῶν, ὁτὲ δὲ ὅλως ἐπὶ αὐτῶν τῶν δένδρων, *aliquando circa fructus tantum, aliquando autem circa totas penitus arbores.* & quinti de Causis octavo hisce addit mutationem populi albæ in nigram. Præterea * diversis in locis testatur, sisymbrium degenerare in mentham, & 5. Caus. 8. asserit, ocymum abire in mentham. Attamen an ex hisce satis firmiter probetur, dari specificā rerum permutationem; jure quis dubitare possit. Etenim ut de ijs prius agamus, quæ jam adulta mutari dicuntur; fortasse quædam istorum nunquam fiunt aut facta sunt. Non enim veritatem habet, quicquid in litteras relatum est. & Theophrastus ipse de nonnullis eorum parum affirmate loquitur: vel si fiant, forte fiunt non naturaliter, sed miraculose; quomodo sane ipse Theophrastus dicit, istum arborum permutationem, quando eveniat, pro monstro seu ostento haberi. Sed uti & fiant ista, & naturaliter fiant; non est illa permutatio rerum totâ specie differentium, quum mutatio fiat in res propinquas atq; affines, atq; adeo ejusdem speciei ambitu comprehensas; quod & Theophrastus adnotavit 2. Caus. 22. Ἡ μεταβολὴ πᾶσιν εἰς ὅμοιόν τι, καὶ οὐ πόρρω τελέως. *mutatio omnibus hisce est in simile quid, ac non valde dissitum.* & 5. Caus. 8. Τὸ δὲ ὅλον, οὐκ ἄγαν ἴσως τὸ συμβαῖνον θαυμαστὸν, ὥσπερ εἰς τὸ σύνεγγυς καὶ εἰς τὸ ὁμοιόν πως μεταβάλλειν. *in totum autem, forsan non valde mirum est quod in hisce evenit, eò quòd in propinqua ac quodammodo similia mutentur.* Quod verò ad ea attinet, quorum mutatio in semine fieri dicitur: præterquam quod posterior præcedentis responsionis pars, in nonnullis quoq; ipsorum locum habere videtur; in ijs multo vehementius suspectam habere licet harum narrationum fidem. Difficilis enim ad resciscendum est illa mutatio, quippe quam oculis usurpare non licet, quum in terræ

* 2 Hist. 5. & 2. Caus. 22. & 5. Caus. 8.

2. Hist. 5.

Cap. I.

gremio totum hoc negotium geratur. & quod sato certo semine, alia herba prodeat, hoc non est sufficiens signum istius mutationis; quum & semen penitus perijsse, & hanc herbam spontaneo ortu, aut semine è congenere herba; quæ prius ibi nata fuerat, delapso, atq; intra terram aliquamdiu detento, productam, arbitrari liceat: quare nihil concludit argumentum Galeni, qui hanc mutationem ex eo probari putat, quod quum cerealia semina pura, atq; ab omni zizaniarum semine diligenter mundata, terræ essent commissa, nihilominus zizaniæ copiosæ provenerint. Nam quod ulterioris confirmationis causâ addit, cuiq; frumenti generi sua certa zizania innasci; ne hoc quidem pro mutatione seu degeneratione multum facit: quia certissimum est, quod sicuti zizania sponte, seu æquivoca generatione (ut vocant) provenire solent, ita non omnia ubiq; promiscue proveniunt; sed certa soli genera, certarumq; stirpium societatem amant; unde fit, ut alia in campis, alia in montibus, alia in pratis, dumetis, sylvis, segetibus frequentius conspiciantur; & alia quidem in uno segetum genere, alia in alio. & notissima sunt multa herbarum genera, quarum aliæ frequentius ac copiosius cum tritico, aliæ cum secale, aliæ cum hordeo solent provenire, quas nemo ex istorum permutatione aut degeneratione oriri unquam somniavit; quum tamen & ipsæ provenire soleant, etiamsi cerealia ista, quibuscum nascuntur, essent omnino pura, quum terræ mandarentur, nullumque alienum semen admixtum habentia. Ea igitur certa demum foret probandæ hujusce mutationis ratio, si quum ager aliquis certo semine consitus esset, nihil plane ejus, quod expectabatur, proveniret, sed ejus loco succresceret par proportio herbæ, in quam alteram herbam solere degenerare dicitur; dummodo unà constaret, nullum intervenisse tale aut ipsius seminis, aut soli tempestatumve vitium, unde suspicari daretur, semen plane interijsse; & herbam illam degenerem nulla habuisse in illo solo semina, neq; solere ibi sponte provenire. Hæc omnia si concurrerent, tunc sane liceret concludere, semen degenerasse, alienamq; stir-

pem

pem ex eo proveniſſe. Sed an tale experimentum extiterit Cap.I.
unquam, valde dubitamus, quum nemo id prodat: propte-
reaq; licet receptam hanc de ſeminum herbarumq; dege-
neratione opinionem pro falſa condemnare non ſuſtinemus,
pro incerta tamen merito ipſam ſuſpectamus, ac proinde
eam advocare non libet ad præſentis de Forma dogmatis
impugnationem, quod priori objectione affatim confutatur.

XLVI. Quatuor capita hactenus examinata, futilitatem
hujus de Formis doctrinæ abunde oſtendunt, ac ſufficere
valent ad omnem ipſi fidem adimendam. Sed ſuper omnia
eſt caput quintum, quod adhuc reſtat, de Formarum ortu
& interitu; ubi ita implicati tenentur Peripatetici, ut
quando ad illud explicandum acceſſerunt, ne minimam
quidem probabilitatis ſpeciem ſervent, ſed abſurdiſſima
multa atq; ex diametro inter ſe pugnantia proferre, ac ſibi
ipſis apertiſſime contradicere cogantur. Quum enim do-
ceant generationem rerum ſola Formæ introductione per-
agi, & quod novam ſubſtantiam generari, nihil aliud ſit,
quàm novam Formam in Materiam præexiſtentem induci,
Formas autem non præexiſtere, ſed tum demum incipere
eſſe, quando ipſum Compoſitum eſſe incipit; ſequitur, ut
quando ſubſtantia aliqua generatur, Forma quoq; fiat ſeu
generetur: & quum non fiat ex præexiſtenti, ex nihilo
eam fieri neceſſe eſt. Hę conſequentiæ quum ſint eviden-
tiſſimæ, negari nullo modo poſſunt, niſi ut id, unde ipſæ
ducuntur, unà negetur; & ſane ipſi non negant. At ta-
men eo vertiginis abripiuntur (dum formas ſubſtantiales
quo jure quave injuriâ defendere ſatagunt) ut ubi hæc
conceſſerunt, mox tamen audeant ea negare rurſus, atq;
aſſerere, quod Formæ non fiant è nihilo, ſed è ſubjecto,
imò quod non fiant omnino: quæ non modo cum præ-
cedentibus, ſed & inter ſe manifeſto pugnant. Hæc au-
tem omnia, breviter hic comprehenſa, nunc plenius ex-
equi animus eſt, ut ſumma ipſorum abſurditas tanto magis
eluceat. Formas nequaquam eſſe compoſito vetuſtiores,
ſeu ipſi præexiſtere, ſed tum demum fieri vel generari, quando

Cap. I. ipsum Compositum generatur, claris verbis dicitur à Vicomercato, *Quum Forma non sit rerum naturalium Principium eodem modo ut Materia, efficitur ut neq́; æterna sit, quemadmodum illa, sed potius esse tum incipit, tum desinit, quum res oriuntur, ac occidunt. Nec verò aliquo temporis spatio ante rerum generationem existunt, sed eodem temporis spatio & Forma, & res cujus Forma est, esse incipit, genitaq́; dicitur. Quum enim tot sint Formæ, quot res generabiles, nec absq́; Materia esse queant, nec simul multæ in Materię una portione; esse incipiant, atq́; oriantur, nec æternæ sint, necesse est.* Et mox, *Perspicuum est Formas naturales, quum antea non fuissent, esse incipere.* Et cum Vicomercato idem hic docent omnes Peripatetici, sicuti cunctis, qui ipsorum scripta triverunt, notum est; ut supervacuum sit, plura in hanc rem testimonia adducere. Iam si non præfuerunt Formæ, sed tum demum fiunt, quando fiunt Composita; alterutrum dicendum est, aut ex præexistente eas fieri, aut ex nihilo, quum nulla alia via detur, ac proinde alterum horum duorum sit eligendum. Quantum ad prius; non defuerunt inter Peripateticos, qui ita decernerent. Quippe cum reformidarent fateri (ob difficultates mox tangendas) quod Formæ ex nihilo fiant; consultius esse putaverunt, ut Formarum prçexistentiam in Materia statuerent. & quia absolutas statuere verecundabantur (tum ob alias Causas respuentibus hoc Peripati decretis; tum quia sic, ut Suarez ait, è medio tolleretur vera rerum generatio & corruptio) statuerunt inchoatas,[a] quæ à proximo agente perficerentur. Sed hæc de Formis inchoatis in Materia præexistentibus sententia à longe maxima Peripateticorum parte pro commento unanimiter repudiatur, ac multis argumentis impugnatur à [a] Vicomercato, [b] Picolomineo, [c] Conimbricensibus, [d] Toleto, ac inprimis [e] Suarezio; qui cæteris plenius hanc rem tractat.

2. De Princ. natur. 9.

Disp. 15. 2, 3.

[a] 2. Princ natur. 9.

[b] De Creat. ca. 5. & 2. de Mater. 14.

[c] 1. Phys. cap. 9. quæst. 12. art. 6.

[d] 1. Phys. quæst. 19.

[e] Disp. 15. sect. 2.

XLVII. Ast si non præcesit quicquam in Materia, ex quo Formæ fiant, néque fiunt ex Materia ipsa, Materiâ in Formam conversâ (quod qui dicere auderet, nemo adhuc

huc

huc inter Aristotelicos inventus fuit) sequitur, ut è nihilo fiant; quum nihil inter hæc medium sit, ut diximus, debeantq; Formæ vel ex nihilo fieri, vel ex præexistenti. Quod si è nihilo fiunt, substantiæ non erunt; quum nulla substantia (ab ordinaria quidem potestate, & in ordinarijs generationibus) fieri è nihilo queat: quod adeo est evidens, ut inter tot dissentientes philosophorum sectas nemo nuquam extiterit, qui non id asseveraret: quod vel ex Aristotele constat, qui id testatur multis in locis, ut 1. de Gener. & Corrupt. 3. Ὃ μάλιστα φοβούμενοι διετέλεσαν οἱ πρῶτοι φιλοσοφήσαντες, τὸ ἐκ μηδενὸς γίνεσθαι προϋπάρχοντος. *quod maxime semper reformidarant ij, qui primi philosophari aggressi sunt, ne aliquid fiat ex non praexistenti.* ita & 1. Phys. 8. & 3. de Cœlo, 1. idem dicit, sed cum calumnia manifesta: quippe hanc eorum sententiam, *Nihil fieri aut interire*, ita detorquet, ac si prorsus denegassent, quicquam Generari aut Interire; quod non philosophorum esset, sed insanientium, si ista vocabula in vulgata ac usitatiore significatione usurpentur. sin arctius astringantur, ut Generari sit oriri ex nihilo; Interire, in nihilum redigi; verissimum est illud axioma, quodq; calumniam pati non debuit ab Aristotele, qui ipse idem sentiret, & passim diceret, in omni generatione requiri Τὸ ἐξ οὗ, ut 2. Gen. Anim. 1. Ἀνάγκη γὰρ τὸ γινόμενον καὶ ἔκ τινος γίνεσθαι, καὶ ὑπό τινος, καὶ τί. *Necesse est ut id quod fit & ex aliquo fiat, & ab aliquo, & aliquid.* & 1. Cœli 3. Διὰ τὸ γίγνεσθαι ἅπαν τὸ γιγνόμενον ἐξ ἐναντίου τε καὶ ὑποκειμένου τινὸς, καὶ φθείρεσθαι ὡσαύτως ὑποκειμένου τέ τινος, καὶ ὑπ' ἐναντίου, καὶ εἰς ἐναντίον. *Quia omne id, quod fit, fit ex contrario atq; subjecto aliquo; & similiter corrumpitur è subjecto aliquo, & à contrario, atq; in contrarium.* & similia quamplurima in ipsius scriptis occurrunt. Et 3. de Cœlo, 2. ponit etiam rationem, Cur absolute ex nihilo fieri nihil possit, quia nimirum sic daretur Κενὸν κεχωρισμένον. ἐν ᾧ γὰρ ἔσαι τόπῳ τὸ γενόμενον, εἰ ἐγένετο, ἐν τούτῳ πρότερον τὸ κενὸν ἀναγκαῖον εἶναι, σώματος μηδενὸς ὄντος.

Cap.I. ὄντες. *vacuum separatum. in quo enim loco esset id quod factum est, si fieret, in eo necesse esset prius fuisse vacuum, quum corpus nullum ibi esset.* sed hæc ratio nulla est. Possent enim multa in hunc mundum nova corpora introduci, aut quæ prius fuerant educi, ut tamen propterea necesse non esset, aut prius fuisse vacuum, aut postea fieri: qua de re in libro sequente, inter Aeris ac Spiritus proprietates, dicendum erit. Vera causa est, Quia substantiam ex nihilo facere, aut in nihilum redigere, infinitæ est potestatis, ac proinde nemini concessæ, nisi soli Deo, qui usurpare quidem utramque, si velit, singulis potest momentis; facere tamen id nequaquam ipse cupit, sed alteram, si ulla unquam futura est (scire enim non possumus, cum ipse, qui solus notificare nobis poterat, id à nobis absconderit) reservavit novissimo tempori; alterâ in principio ita usus est, ut postea nunquam illi rursus voluerit. Ethnici quidem philosophi pleriq;, ac præcipue Aristoteles, adeo obstinate hoc tenuerunt, *Nullam substantiam è nihilo fieri*, ut ne ipsi quidem Deo concederent potestatem aliquid ex nihilo faciendi, sed illos hac in re turpiter erravisse constat. Cæteroqui Deum post mundi primordia, ac post primam illam septimanam, nihil amplius creare, seu nullam amplius substantiam è nihilo facere (non quia non possit, sed quia non velit) unanimi consensu non Christiani tantum Theologi, sed & Iudæi ac Muhammedani (præter paucissimos quosdam ex omni hoc numero; de quibus statim) docent, solis mentibus humanis exceptis, quas quotidie ad cujuscunq; hominis generationem creari, pleriq; ipsorum affirmant. Ab ordinarijs quidem agentibus nullam prorsus substantiam è nihilo posse produci, summo ac generali consensu inter omnes omnium ætatum ac sectarum philosophos constat, neq; ab ethnicis modo, sed & ab alijs proxime nominatis concorditer asseveratur.

XLVIII. Iam quum ob hanc rationem Formæ nequeant esse substantiæ, si ab ordinarijs Agentibus producantur; nihil aliud requiritur (ut nimirum utrumq; simul tueri quis possit,

Cap. I.

possit, quòd & è nihilo fiant Formæ, & substantiæ tamen sint) nisi ut confugiatur ad superiorem potestatem, cui quum concessum sit substantias è nihilo facere, etiam Formas è nihilo producat. Sane hoc adegit Avicennam, ut fingeret Numen quoddam sublunare, seu Intellgentiam sublunaris Mundi gubernatricem, quæ Formas crearet, atq; in Materiam prædispositam introduceret. hoc & alij quamplurimi testantur. & Scaliger commentarijs ad primum de Plantis, ubi sic de hac re loquitur. *Adeo exagitati sunt sapientes* [videlicet in explicanda Formarum origine] *ut Deum quendam subalterum creaverit Avicenna, cujus tum officio facta, tum beneficio data reciperentur in Materiam.* Avicennæ vestigia secutus haud dubie fuit Fernelius; qui in opere de Abditis rerum Caufis, magno id agit apparatu, ut doceat omnem Formarum originem esse divinam atque à Cœlo. Etenim Formam cœli omnes caducarum rerum Formas potestate comprehendere. non tamen substantiæ suæ quicquam rebus genitis elargiri, aut seorsim genitam absolutamq; Formam in corpora immittere, sed spiritu illo suo per omnia fuso illam in subjectis præparatis producere. Imò Scaliger quoq; illam secutus est sententiam, ut fateretur omnes Formas à Deo creari, sive ab ipso proxime, sive per ministerium Angelorum. ita enim scribit, comment. in 1. de plantis, *Alias Formas dari ab intelligentijs, acceptas ab opifice primo; animas nostras immediate ab ipso Deo factas ex nihilo*; quanquam mox hoc rursus in dubium revocans, testatur, non satis constare inter primos philosophos, quis sit Formarum dator, aut unde proficiscantur, vel ἐκ τίνος ἐκμαγείου depromantur. non enim facilem patere ingenijs humanis aditum ad hujusce sacrarij penetralia. Mirum certe non est, inveteratos errores non potuisse è naturali philosophia tolli ab ijs, qui ut validum quodq; se offerebat ad eos extirpandos argumentum, ita convertebantur ad majorem ipsorum admirationem, & nescio quæ sibi mysteria fingebant, quorum profunditatem non caperet humanus intellectus. Porro valde inconstans fuit hac in re Scaliger. quippe non hic modo

Cap. I. cum dubitatione; ſed & alibi incunctanter de origine Formarum ſimilia prodidit. quippe Exerc. 6. 2. ait: *Cœleſtes poteſtates dare Formas, & quæ Formam conſequuntur; quare cœli ſint omnia, poteſtate efficiendi, ſicuti Materia prima omnia poteſtate receptionis*; Idq; ex eo loco in Indicem quoq; retulit, *Intelligentias eſſe Formarum datrices*. & tamen paulo poſt in eadem excercitatione valde acriter invehitur in Fernelium, qui ſentiat Formas ab externo agente introduci; *Quia ſic nulla generatio eſſet niſi æquivoca, parentibus ſolam Materiam conferentibus*: ut ubi Scaligerum hic invenias, aut quomodo pedem cum eo conferas, rationem inire vix poſſis; neq; mirum ſit, eum intellectu difficillimam judicaſſe Formarum originem, de qua adeo nihil certi conſtituere ipſe potuerit. Quanquam autem ij, qui cœlo aut intelligentijs acceptam tulerunt Formarum originem, eatenus laudandi ſunt, quod aliquam ſaltem veriſimilitudinis curam geſſerint, neq; auſi ſint eo impudentiæ progredi, ut ſimul aſſererent, & fieri Formas è nihilo, & haudquaquam è nihilo fieri (quod paradoxon tuetur maxima Peripateticorum pars, uti mox videbimus) erraviſſe tamen eos, hinc patet, quod ſaniores Theologi concorditer ſtatuunt, & veriſſimum eſt, Poteſtatem res ex nihilo creandi, ſoli Deo propriam eſſe, neq; ulli unquam Creaturæ ab eo conceſſam, aut concedendam. quare à cœlo aut ab intelligentijs produci Formæ non poſſunt, ſi Formæ ſunt ſubſtantiæ; quum iſtis nequaquam communicaverit Deus hanc virtutem, ſubſtantias è nihilo procreandi; ut neque ulli alij creaturæ: ſed ſibi ſoli eam reſervaverit.

Hoc perpendens Philoponus, quum & ipſe rectiſſime ſentiret, Formas, ſi ſubſtantiæ ſunt, & ex nihilo fiunt, debere per Creationem fieri; non ad cœlum aut intelligentias recurrit, ſed ad ipſum Deum, à quo Formas in omni ſubſtantiarum generatione creari diceret. Et hoc ſane dicendum eſt, velint, nolint, omnibus Peripateticis, ut ſeſe ex his anguſtijs eripiant, ac probabiliter declarent, quomodo Formæ, quum ſubſtantiæ ſint, ex nihilo fiant. Aſt hoc nequaquam faciunt, & non modo Avicennæ atque

Fernelio

Cap. I.

Fernelio non accedunt longe maxima ipsorum pars, sed ne Philopono quidem, & hujus sententiam pariter atque illorum rejiciunt, & pro falsa repudiant. Et sane justissimam habent ita faciendi causam, quum à ratione abhorreat, omni generationi adjungere creationem, imò de medio tollere omnes generationes, easq; in creationes permutare. *Contra hunc Avicenæ errorem* (inquiunt Conimbricenses, quorum verba nihilo secius in Fernelium & Philoponum quadrant) *reclamant tum natura ipsa, indigne ferens adimi sibi nobilissimam suam operationem, generationem substantialem, tum schola Peripatetica communi consensu.* 1. Phys. quæst. 12. art. 3.

XLIX. Quodsi è nihilo fiunt Formæ, & tamen neq; ab alio superiore Agente, neq; ab ipso Deo fiunt; nihil aliud restare videtur, nisi ut ipsis agentibus ordinarijs (siquidem ab ijs Formæ producuntur) tribuatur vis creandi; quod neq; fieri potest, ob rationes modo allegatas, neq; à Peripateticis asseritur. Quin imò acriter ipsi contendunt, quanquam Formæ à Generantibus fiant, non tamen ab ijs creari, neq; ipsarum productionem creationis nomine appellandam esse. Aiunt enim, creationem non esse nisi rerum per se subsistentium; ac proinde Formas (quæ omnes, Mentibus humanis exceptis, necessario Materiæ inhæreant, neq; per se subsistere possint) nequaquam creari, sed è Materiæ potentia educi; ac proinde quanquam è nihilo fiant eo respectu, quod de novo producantur ita, ut nihil ipsarum præextiterit; non tamen è nihilo fieri eo modo, quo è nihilo fiunt ea quæ creantur. Hæc est mirabilis illa solutio, cujus beneficio evadere se sperant ex hisce angustijs, ut ubi expressissime confessi sunt, Formas ex nihilo fieri, illis hoc rursus negare liceat, atq; sic evitare, ne Formas dicant creari. Sed præstiterit ipsos audire, suis verbis bellam hanc ac catam exceptionem explicantes. Fonseca quum posuisset hanc objectionem, *Forma non producitur ex subjecto tanquam ex parte sua, neq; ex parte sua, quæ prius in subjecto fuerit, quàm ipsa in subjecto est: ergo* 5. Metaph. 2. quæst. 7.

 actio,

Cap. I. *actio, qua ipsa incipit esse in subjecto, est Creatio*: ita respondet, *Formam, cum inducitur in subjectum, non fieri ex subjecto ut ex parte sua, aut ex parte sua prius existente in subjecto: verumtamen non ideo creari, nisi hujusmodi sit, ut possit suapte natura per se existere, cujusmodi est anima rationalis. nam cæteras, etsi non fiant ex subjecto ut ex parte sua, nec ex parte sua prius existente in subjecto; fieri tamen dependenter à subjecto; quocirca nec proprie fieri, quod Compositorum est proprium, nec proprie*

5 Phys. 8. *creari, ut animam rationalem.* Pererius quum objecisset, *Videtur Creatio effici ab agente naturali in generatione Formæ: nam per generationem, licet dicatur fieri Compositum, tamen Forma verè producitur, quæ cum ante generationem nec secundum se totam, nec secundum aliquam partem alicubi extiterit, sed prorsus nihil fuerit, cur non dicatur creari?* Respondet: *Habet sane generatio aliquam similitudinem creationis, propter eam rationem, quæ in objectione posita est. sed hoc interest, quia id quod creatur, non requirit illum subjectum, vel certe tantum ut recipiens, nec ejusmodi est, ut per affectiones & dispositiones ejus producatur id quod creari debet. at quod generatur, exigit necessario Materiam, tanquam id in quo ipsum recipiatur, sustentetur, & per cujus dispositiones & affectiones procre-*

2 Phys. quæst. 12. art. 1. *etur.* Conimbricenses hanc formant objectionem: *Quod creatur, non egreditur de potestate Materiæ, ut Philosophi una voce confitentur. at Formæ omnes, si nihil earum præfuit, è nihilo fiunt; quod nihil est aliud quam creari: igitur nulla è Materiæ potestate egreditur.* Respondent verò: *Formas ante cujusq; rei exortum neq; actu existere, sic enim nihil de novo gigneretur; neq; prorsus non existere, alioqui jam aliquid Natura ex nihilo efficeret; sed esse potestate in Materia, & naturalium Causarum efficacitate de illius potentia ac quasi gremio exciri, & ad actum perfectionemq; adduci. Ut aliqua Forma de subjecti potentia educi dicatur, duplicem conditionem requiri, ac sufficere: unam, ut ad id naturalis potentia subjecto insit, ac Formæ privatio cum dispositionibus in ipso præsit; alteram, ut quod educi-*

Cap.I.

educitur, sine talis subjecti adminiculo nec effici nec permanere possit. Itaq; nullam Formam, excepta humana, proprie fieri, quia effectio non nisi in rem per se subsistentem cadat; atq; ita nullam Formam effici è nihilo. præterea id creari, quod fit è nihilo, hoc est, nullo præjacente subjecto, à quo esse ejus, quod fit, dependeat. liquere autem, quod omnes Formæ naturales, excepta humana, à Materiæ societate pendeant, cum extra illam subsistere non possint. Piccolomineus, (De Creat.7.) *Formas proprie non fieri, transire tamen ex non esse ad esse. itaq; fieri ex nihilo, & in nihilum redire, quatenus neq; fiunt ex aliquo, tanquam ex parte sui, neq; in illud resolvuntur per interitum; non fieri ex nihilo, quatenus contradistinguitur generatio à Creatione, quæ non modo fit ex nihilo sui, sed ex nihilo absolute, cum neq; habeat terminum à quo, neq; subjectum, quod utrumq; requiritur in generatione Formarum, quæ pro adverso termino habent privationem cum Forma antecedente, ac insuper non fiunt sine subjecta Materia, & præcurrente transmutatione. itaq; non fieri Formam ex nihilo ea significatione, qua ex nihilo fiunt ea quæ creantur; & tamen vere ex nihilo fieri, cum ex nihilo sui producantur.* & alibi rursus, (2.De Mater. prim. 15.) *Id quod fit, esse Compositum ex Materia & Forma, eiq; proprie competere principia Generationis, & de eo absolute nos dicere, non fieri ex nihilo, sed antecedere Materiam tanquam inchoationem ejus. Formam tamen quoq; aliquo modo fieri, quatenus est terminus ad quem Generationis, qui primo non erat, & deinde est; & cum ita fiat, partim fieri ex nihilo, quatenus nihil ejus antecedit, & per interitum in nihilum sui transit; partim non fieri ex nihilo, eo modo quo ea quæ creentur, & ejus ortum contradistingui à Creatione, tum ex parte termini à quo, tum ex parte subjecti, quia pro creatione non requiritur subjectum, per cujus transmutationem ab agente producatur Forma, ut requiritur pro generatione. ex parte autem termini à quo, quia pro creatione non reperitur terminus à quo, qui sit Forma antecedens, cui juncta sit privatio sequentis.* Suarez sic objectionem (Disp.15.sect.2.) concipit: *Forma substantialis vel est aliquid ante genera-*

 tionem

Cap.I. *rationem, vel nihil. si est aliquid, ergo est Forma substantialis antequam fiat: hoc autem est impossibile, &c. Si verò eligatur altera pars, nimirum Formam ante generationem nihil esse, sequitur Formam ex nihilo fieri, quod repugnat philosophorum axiomati, Ex nihilo nihil fit.* Et respondet ad hunc modum:. *De omnibus alijs Formis substantialibus, prter animas humanas, dicendum est, non fieri proprie ex nihilo, sed ex potentia prajacentis Materia educi; ideoq; in effectione harum Formarum nihil fieri contra illud axioma, Ex nihilo nihil fit; si recte intelligatur. Nam fieri ex nihilo, duo dicit. unum est, fieri absolute & simpliciter: alius est, quod talis effectio fit ex nihilo. Primum proprie dicitur de re subsistente, quia ejus est fieri, cujus est esse. id autem proprie est, quod subsistit, & habet esse. Ex hac ergo parte, Formæ materiales non fiunt ex nihilo, quia proprie non fiunt. Sumendo ergo ipsum fieri in hac proprietate & rigore, sic fieri ex nihilo, est fieri secundum se totum, id est, nullâ sui parte præsupposita, ex qua fiat. Et hac ratione res naturales, dum de novo fiunt, non fiunt è nihilo, quia fiunt ex præsupposita materia, & ita non fiunt secundum se totę. Formæ autem harum rerum, quamvis revera totam suam entitatem de novo accipiant, quam antea non habebant, quia tamen non fiunt ut dictum est, ideo neq; ex nihilo fiunt. Attamen, quia latiori modo sumendo verbum illud, fieri, negari non potest, quin Forma facta sit, eo modo quo nunc est, & antea non erat, ut probat etiam objectio proposita; ideo addendum est, sumto fieri in hac amplitudine, fieri ex nihilo non tantum negare habitudinem materialis Causæ intrinsece componentis id quod fit, sed etiam sustentantis Formam quæ fit seu confit. Ex his ergo recte concluditur, Formas substantiales materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex Materia, quæ in suo genere per se concurrit & influit ad esse & fieri talium Formarum: quia sicut esse non possunt nisi affixæ Materiæ, à qua sustententur in esse; ita nec fieri possunt, nisi earum Effectio & generatio in eadem Materia sustentetur. Ex his etiam constat, proprie de his Formis dici non creari, sed educi de potentia*

tentia Materiæ, nam cum illa Forma non fiant ex nihilo, non creantur; quia creari, est fieri ex nihilo, &c. Cap. I.

L. Prolixiores fuimus in allegandis diversorum autorum testimonijs ijsq; fusius recitandis, quia res, quam hic dicunt, adeo est absurda, tamq; evidentem continet contradictionem, ut sufficienter illam ob oculos proponere, sit illam refutare. Imprimum quale quæsumus illud est, quod sustinent dicere, Formas fieri è Materia seu subjecto, quia è Materiæ potentia educantur, quum tamen ex Materia non fabricentur Formæ, neq; ulla Materiæ pars assumatur ad Formarum constitutionem, sicuti ipsi asseveratissime contendunt. Et tamen non hoc tantum dicere audent, sed & eo progrediuntur, ut dicant, Formas è Materia fieri seu educi per ipsius transmutationem (uti cum apud alios, tum apud Piccolomineum lib. 1. de Creatione, cap. 5. & Fonsecam 5. Metaph. 2. quæst. 2. sect. 2. & Perer. 5. physf. 8. videre est) prorsus quasi sentirent, Materiam in Formas converti, seu Formas ex Materia in ipsas conversa fieri: quod tamen detestantur. Ut propterea summam mereantur reprehensionem, qui sic omnes loquendi leges pervertant, tamq; effrænem ac inusitatam sermonis licentiam usurpent, ut verba ipsorum eos præ se ferant sensus, à quibus sese esse alienissimos profiteantur: quod tamen ipsis necessario faciendum est, ut sic omnia turbent ac confundant, quo aliquid hinc falsitati ac futilitati suorum dogmatum præsidij quærant, ne scilicet tam aperte illa in oculos incurrat, hac velut caligine offula obcæcatos. Talis certe est etiam illa phrasis, qua Formas dicunt è Materia, seu è Materiæ potentia, educi, quum tamen prædicent, neq; totas Formas, neq; ullas ipsarum partes ullave rudimenta in Materia præcessisse, antequam ipsæ de novo simul totæ in ea producerentur. *Nibil enim aliud dicere videmur* (inquit Fonseca) *quum Formam eductam esse de potentia Materiæ asserimus, quam id factum esse, ut ea, quæ prius non erat actu in Materia, sed potentiâ duntaxat, fit actu in illa:* hoc est, si planis verbis idipsum eloquaris, Ut jam insit ea Forma, quę prius 5. Metaph. 2. quæst. 5. sect. 2.

non

Cap.I. non inerat, ſed ineſſe poterat. Formam enim præfuiſſe in potentia Materiæ, non ſignificat, Formas prius aliqua ex parte in Materia latuiſſe, ſed potuiſſe in Materia produci: Diſp.15.2,14. quo reſpectu etiam Suarez dicit, Materiam ſolummodo continere Formam in potentia receptiva ſeu paſſiva. & ſimiliter Piccolomineus ad quæſtionem, *Quomodo Forma poſſit* 2. De Mater. prima 15. *educi ex Materia, ſi nec tota nec ejus portio in ea præextitit*: reſpondet, *Formam dici educi, non quia præfuerit actu, ſed quia præfuit poteſtate, & educitur ab agente, quatenus unà cum Materia ab agente de novo producitur.* Quæ hæc igitur eſt loquendi perverſio, ut Forma dicatur educi è Materia, in qua nulla ipſius portio continetur; imò in qua continetur aliud, ipſi in tantum contrarium, ut ſimul ſubſiſtere nullo modo poſſint, nimirum privatio ipſius, & Forma oppoſita. Non enim ſolitaria unquam in Materia eſt illa potentia receptiva, ſed hæc duo (quamdiu Forma producenda nondum advenit) ſemper habet conjuncta; ſicuti ab ipſis docetur. Itaq; veriſſime dicta ſunt illa apud 5 Phyſ. 8. Pererium: *Quod vulgo dicitur, Formam educi ex Materia, nimis improprie dicitur: ſonat enim illam ſegregationem Formarum Anaxagoræ, vel inchoationem quandam Formarum ab aliis introductam. quare magis proprie diceretur, Formam induci & gigni in Materia, quàm ex ipſa educi.* hæc ille quidem dicit velut ex perſona objicientis, ac proinde ſuam poſtea iis apponit reſponſionem, ſed nimis ſane imbecillam. *Non dicitur* (inquit) *Forma induci in Materia, nequis falſo opinetur, Formam per ſe productam extrinſecus adjungi Materiæ; ſed dicitur educi ex Materia, ut Forma intelligatur produci cohærens, imò immerſa Materiæ.* Profecto ſi ob incommodum hic memoratum nolint dicere, Formam induci in Materiam; incommodum in objectione poſitum debuerat habere non minus momenti ad deterrendum ipſos ab hac phraſi, ne dicerent Formas ex Materia educi; quia his verbis videtur plane innui, quod Formæ, vel totæ, vel ex parte ſaltem, in Materia præfuerint. Quandoquidem enim id quod non ineſt, non poteſt educi; quando aliquid dicitur eductum, omnino infertur,

quod

quod prius fuerit in eo, unde eductum memoratur. Certe Cap. I.
ut animæ rationales dicantur è Materia seu è Materiæ potentia educi, ne ipsi quidem tolerare volunt, idq; ob hanc rationem, *quod* (ut ipse Suarez loquitur) *nihil educitur, nisi ex eo in quo continetur*. Disp. 15.2,15. Ast apertum est, nihilo plus aliarum Formarum, quàm animæ rationalis, contineri in Materia, antequàm in ipsa producantur. Quod verò animæ humanæ seorsim factæ, postea corpori uniuntur, aliæ Formæ verò non nisi in ipsis subjectis seu ipsa Materia gigni valent; propterea non magis dicendæ sunt è Materia educi: quum hoc non fiat, quia Materia ipsas magis continet, quam animas rationales, sed quia ipsarum hæc natura est, ut non queant per se subsistere (prout ipsi docent) ac proinde neq; per se produci. Si igitur illa potentia seu capacitas, quæ est in Materia ad recipiendas animas humanas, non sufficit, ipsorum judicio, ut hæ dicantur ex eâ educi, quia nimirum in ea non continentur: ne illa quidem potentia seu capacitas, quæ est in Materia ad recipiendas alias Formas, sufficere potest, ut ipsæ dicantur ex Materiâ educi: quia licet hoc inter se differant istæ Formæ, quod aliæ per se productæ, postea Materiæ uniantur, aliæ verò eo ipso, quòd producuntur, uniuntur, quia nimirum in ipsa Materia producuntur; in hoc tamen conveniunt utræq;, quod antequam fierent, nequaquam in Materia continebantur, neq; ante ipsarum ortum, quicquam ipsarum in Materia præcessit; ut in hoc quidem par atq; eadem sit utrarumq; ratio. quare neque unæ magis quàm alteræ dicendæ sunt ex Materia educi; si verum est (uti est verissimum, atq; ipsi fatentur) quod nihil possit educi ex eo, in quo non continebatur.

LI. Sunt hæc adeo evidentia, ut ipse Scaliger, devotissimus alioqui Peripateticus, ac summus passim maximarum in ea ineptiarum admirator, hanc tamen phrasin minime concoquere potuerit, neq; admittere ut Formæ dicantur è Materia educi, sed judicarit dicendum potius esse, eas è potentia agentis educi, atq; in Materiam introduci: uti satis clare excipere licet ex ijs, quæ Exerc. 6.

Cap.I.

ab eo scribuntur. namque sectione ejus secundâ sic ait: *Neq; enim verum est, Formas esse in Materiæ potestate. De Formis loquor ijs, quæ Materijs æquivocis imponuntur; qualis est muris Forma, quæ navalibus quisquilijs putrefactis inditur. non est ea, inquam, Forma in fimi potestate, aut sordium illarum, nisi sit ejusmodi potestas, sicuti dicebamus, recipiendi: sed in agentis vi sita est.* & rursus sectione quinta, *Educitur ergo de agentis potestate Forma; Forma enim, quæ ad id usq; momenti fuerat in agentis potestate, producitur ab ipso agente, sicuti Forma scamni à fabro, & sic actu ut sit; fit, atq; ab eo in Materiam introducitur.* Videtur quidem hæc ad solas æquivocas generationes astringere, atq; revera ita facit, quippe qui diserte testetur, se de ijs tantum Formis loqui, quæ Materijs æquivocis imponuntur; & præterea addit, *Univocas quidem Formas in Materia potestate contineri, puta, in semine canino canis Formam.* Sed aut seipsum non intellexit, aut sciens ambiguitate lusit, has duas generationes inter se comparando, qua in quisquilias imponitur Forma muris, & qua è semine canino generatur canis. Etenim si in semine canis, & quorumcunq; animalium ac stirpium è semine nasci solitorum, integra Forma reapse atq; actu continetur (sicuti Scaliger sentit, contra vulgatiorem Peripateticorum doctrinam) non illa proprie est canis generatio, quando è semine canino fit canis, sed quando ipsum semen caninum fit, seu quando in Materiam Forma canis imponitur, quum omnes in universum Peripatetici doceant, generationem substantialem à Formæ introductione totam pendere, ac tunc vere & proprie rem dici generatam, quando Forma in subjectum est introducta; quæ ipsa est Scaligeri quoq; sententia. *Est autem generatio* (inquit in comment. ad 6. Caus. 13.) *cujusq; rei, Forma ultimæ*
Exerc. 307. 39 *indivisibilis & momentanea introductio.* & alibi, *Introducta Formâ in Materiam, cessat motus ad generationem.* ac
Comm. in 1. Caus. 12. rursus, *Ante generationem, id est, momentum illud, quo introductâ Formâ res est id quod est, multi fiunt motus.* Et magis ad rem, quæ nunc in manu est, dicit com. ad 4. Caus. 7. Se-

7. *Semen non corrumpi, quum ex eo fit animal aut plantã, sed perfici. semen enim esse totum animal inarticulatum:* itemq; alibi, *Neq; bornum triticum gignitur, quum à terra prodit è semine, sed cum semen concreatur in spica: neq; pullus, quum excluditur, sed quum ovum, ex quo postea fit, perfectum est.* Hisce ergo constitutis, inæqualis atq; incogitans est illa comparatio, qua, ut ostendatur non eandem esse æquivocæ atq; univocæ generationis rationem, quantum ad Formæ è Materia eductionem, semen canis confertur cum fimo, è quo mus producitur. unum enim considerat, uti jam habens Formam, alterum verò ut habiturum. ast ut justa sit comparatio, fimus nondum habens Formam debet conferri non cum semine, sed cum Materia seminis, in quam Forma seminis nondum est introducta: aut semen jam Formam canis possidens conferendum est cum quisquilijs jam Formam muris adeptis. Hoc pacto si comparatio instituatur (ut institui certe debet) apparebit Scaligerum temere illam inter æquivoca atq; univoca differentiam constituisse, & vel horum quoque Formam non è Materia educi, sed in Materiam introduci; aut ne illorum quidem Formam introduci, sed educi. Namq; si Forma canis recte dicitur è semine educi, quia in eo continetur; eodem etiam jure Forma muris rite dicetur educi è fimo, quando eâ prius in fimum ab æquivoco generante impositâ, corpus postea dearticulatur, quandoquidem & ipsa in fimo continebatur. Sin verò respectus habeatur ad ipsam Formæ introductionem (quam Scaliger alijque Peripatetici habent pro vera ac propria generatione) semen canis nihilo magis continebatur in eâ Materiâ, in quam ipsâ introductâ, semen canis constitutum est, quam Forma muris in fimo continebatur: ac proinde ratio postulat, ut si in æquivocis generationibus non bene dicitur Forma ex Materiæ potestate educi, sed dicenda est educi è potentia agentis, atq; in Materiam induci; idem quoque de univocis generationibus statuatur. Quanquam autem absurdam hanc phrasin, qua Formæ dicuntur educi è Materia, in qua nihil ipsarum continebatur,

Comm. ad 2. Plant.

Cap. I.

hic reprehendit atq; rejicit Scaliger; pro solita tamen inconstantia alibi interdum eam ut probam absq; hæsitatione usurpat. namq; commentario in Hippocratem de insomnijs scribit, *Formarum omnia plena esse, ac de potentia Materiæ eas elici à tribus rebus inter se ordinatis, &c.* quanquam hoc quidem novum non est, quum scripta Scaligeri (quod monstri simile sit in tanto viro) innumeris passim contradictionibus scateant.

LII. Duo autem ea, de quibus hactenus egimus, quanquam perabsurda, non sunt maximum peccatum, quod hic peccant Peripatetici. Aliud hisce longe gravius, & omnino portento propius est, quod quum apertissimis verbis plenissime profiteantur, Formas è nihilo fieri; eo tamen provehuntur incogitantiæ, ne dicamus insaniæ, ut simul atque uno spiritu tamen asserant, ac hominibus se persuadere posse putent, eas è nihilo nequaquam fieri; quæ duo simul stare non magis possunt, quàm meridies cum media nocte. Quanquam enim inter *fieri è nihilo*, &, *non fieri è nihilo*, possit certo quodam casu dari aliquid intermedium, ita ut dici possit, rem neq; absolute è nihilo fieri, neq; non ex nihilo, videlicet si Compositum aliquod partim ex nihilo fiat, partim ex præjacenti, de quo tunc utrumq; verum erit, & factum illud esse ex nihilo, & non esse ex nihilo factum, nimirum loquendo secundum quid: attamen si vel de substantia simplici, vel de composita secundum omnes partes suas sumta sermo sit, tunc nullo pacto fieri potest, ut res illa & ex nihilo facta sit, & non ex nihilo; sed alterutro istorum posito, alterum necessario removetur; ut si verum est, factam esse ex nihilo, penitus falsum sit, non esse ex nihilo factam: & contra. Sed videamus, quale id sit, cujus fiducia asserere audent, Formas, quanquam è nihilo fiant, è nihilo tamen non fieri. Primò aiunt, non creari, nisi ea quæ per se valent subsistere, neq; effectionem ex nihilo cadere nisi in res per se existentes. Sane si hoc verum est, eodem jure Materiæ primæ creationem quoque denegent oportet, quippe qui ne illam quidem per se existere

Cap. I.

istere posse existimant; quum tamen illam creatam esse, omnes unanimiter concedant. *Materia prima revera per naturam gigni non potest* (inquit Piccolomineus) *Theologi tamen recte noverunt, eam non per generationem, sed per creationem recepisse Principium.* itemq; Suarez, *Actio, qua fit Materia, est vera creatio.* & hęc est communis omnium Peripateticorum doctrina, ijs duntaxat exceptis, qui ethnici, aut ethnicorum delirijs imbuti, mundum ab æterno fuisse cum Aristotele asserunt. Quodsi Materiam primam dicunt creatam fuisse, quo primum tempore facta est; non est cur Formas, quando ipsæ fiunt, è nihilo fieri negent ob hoc, quod per se subsistere non valent, quum ijs hoc sit cum Materia prima commune, quæ, ex ipsorum decretis, nihilo magis per se ac sine Forma subsistere valet, quam Formæ sine Materia. Alterum, quod hic afferunt, est, Ea quæ creantur, non requirere ullum subjectum, à quo pendeant in fieri & esse; proptereàque Formas (excepta mente humana) non creari, quum fiant dependenter à subjecto. Ast si dependenter ab alio fieri, satis Causæ est, quominus aliquid dicendum sit creari, seu è nihilo fieri; & hoc quoque respectu negare debebunt Materiam primam creatam esse. Etenim ipsi docent, quomodo Formæ in esse & fieri pendent à Materia, ita Materiam in fieri & esse à Formis pendere, cujus rei testem damus Fonsecam, ita hac de re loquentem: *Dicendum est, Materiam naturaliter pendere in suo esse actuali à Formis substantialibus, & in fieri, & in conservari.* ac mox rursus, *Necessario efficitur, nullam Materiam aut fieri aut conservari posse sine Forma.* plane igitur eodem modo Materia pendet à Forma, quo Formæ à Materia. quippe Formarum à Materia dependentiam Fonseca ibidem hisce verbis explicat, *omnes Formæ inseparabiles pendent à Materia & in fieri & in conservari, neq; ullo modo fieri possunt aut conservari sine Materia.* Quodsi igitur dicendum est Formas, quanquam è nihilo fiant, tamen è nihilo non fieri, seu non creari, quia nimirum dependenter ab alio fiunt; æquum est, ut eadem ratione Materiam primam negent creatam

Comm. ad 1. phys. Text. 82.
Disp. 15. sect. 3. §. 2.

5. Metaph. 2. quæst. 4. sect. 2.

Cap.I.

seu è nihilo factam, quanquam plane è nihilo facta sit; quippe & ipsa dependenter à Formis facta est, ex ipsorum decretis, ac plane consimilem in esse & fieri habet à Formis dependentiam, quam Formæ ab ipsa, imò majorem, si vera sunt, quæ ipsi de Materiæ primæ natura docent.

LIII. Præterea vulgaris Peripateticorum opinio est (uti videre est apud [a] Fonsecam, [b] Conimbricenses, [c] Suarezium) Formas cœlestium corporum creatas fuisse. Ast quamcunq; à Materia dependentiam in esse & fieri sibi imaginantur in aliis Formis, eandem hic quoq; admittant necesse est: unde sequeretur, has quoq; Formas non creatas fuisse, sed è Materia eductas; si illis non quadrat creatio, quæ dependenter à Materia fiunt. Huic difficultati ut obviam eant, eo confugiunt ut dicant, Ad eductionem Formarum non sufficere, ut ipsæ fiant dependenter à subjecto, sed præterea requiri, ut subjectum præexistat. Et nonnulli quidem ad omnem Formarum eductionem requirunt, ut tempore subjectum præexistat. De horum numero sunt Conimbricenses, sicuti non obscure indicant verbis illis supra recitatis, ubi alteram conditionum ad eductionem necessariarum hanc faciunt, ut Formæ privatio cum dispositionibus in subjecto præsit. Et hoc repetunt 1. phys. 9. quæst. 12. art. 5. *Non rectè ac propriè de Materiæ potestate educi censetur, nisi ea Forma, cujus privatio cum dispositionibus in Materia præfuit.* atq; ob hoc negant, non modo cœlorum Formas, sed & illas aliorum compositorum, quæ in prima rerum molitione à Deo procreata sunt, fuisse de Materiæ potentia eductas; quia nimirum privatio ejusmodi Formarum nequaquam tunc in Materia præfuerit, quum tam ipsæ, quàm earum Materia, & Composita, eodem instanti à Deo producta fuerint. Et ita quoque sensit Piccolomineus, uti apparet ex differentia, quam constituit inter creationem & generationem, itidem superius recitatâ. Ast alii contra affirmant, ad eductionem Formarum minime esse necessarium, ut subjectum tempore præcedat Formam ex ipsa educendum; sed sufficere, ut naturâ

[a] 5. Metaph. 2. quæst. 3. sect. 2. & quæst. 4. sect. 1. & 2.
[b] 1 Phys. quæst. 12. art. 5.
[c] Disp. 15. 2, 17

naturâ præexistat. Ita Suarez, quum dixisset, *Quando dicitur educi Forma de potentia Materię, quia in potentia ejus continebatur, supponitur Materia prius existens in potentia ad Formam, quàm illam actu habeat*; mox longam instituit disputationem, ut probet, *Ad veram eductionem necessarium non esse, ut Materia tempore antecedat sub privatione, sed satis esse quod antecedat ordine naturæ*: ac proinde concludit, Formas quoque Elementorum (quas illi, qui ad eductionem requirunt temporis prioritatem in subjecto, creatas esse contendunt non secus, quàm illas cœlorum) quę in mundi initio fecit Deus, non creatas fuisse, sed de Materiæ potentia eductas; quia licet Materia illa tempore non antecesserit ut existens in potentia ad tales Formas, antecesserit tamen prioritate naturæ. Et hoc quidem pacto stropha hæc plane enervatur. Qui enim aiunt, ad eductionem esse necessariam temporis præexistentiam; alijs tunc hoc obtrudant, ubi omnibus suæ sectæ illud persuaserint. Si vero prioritas naturæ sufficit, ut Forma dicatur de subjecto educi; nihil causæ est, quin & cœlorum Formas dicant de Materiæ potentia eductas; quas tamen cuncti asserunt revera fuisse creatas. Namq; quod illi, qui ad eductionem negant requiri ut subjectum tempore præcedat, hic respondent, Materiam cœli non itidem, ut aliarum rerum Materiam, esse Formâ suâ priorem naturâ; in eo plane antiquum servant, ut quidvis sibi dicere permittant, non curantes, an vel suis ipsorum decretis apertissime contradicant. Sane receptissimum est in Peripato, omne subjectum esse prius naturâ eo, cujus subjectum est. quare hic mirabilem (ut alibi plerúmque) pugnam videre est: quippe iidem illi, qui cœli Materiam negant Formis suis priorem ordine naturæ, eo ipso in loco, ubi hoc dicunt, prioritatem naturæ ipsi concedunt: Ita enim Suarez, *Materia cœli, licet secundum propriam rationem causandi dicatur prior naturâ, tamen ut existens in potentia, & aliquo modo sub privatione, nullo modo dicitur naturâ prior: & ideo non habet eam prioritatem naturæ, quæ ad eductionem Formæ necessaria existit.* Mirabiles profecto artifices,

Cap. I.

Disp. 15. sect. 2. §. 17.

Disp. 15. 3. 5.

Cap.I. fices, quibus nihil arduum est, aut difficile, quiq; nullo metu in quasvis sese induant contradictiones; quippe quibus semper ad manum est bella ac cata aliqua distinctiuncula, cujus præsidio è quibusvis laqueis sese expediant. Sed ut hæc valeant inter eos, quibus propositum est quidvis pati potius, quam à receptis semel positionibus recedere; ita apud illos, qui veritati simpliciter ac libere student, ultro suam ipsorum futilitatem manifestant; ut supervacuum sit, ijs convincendis tempus terere. & immensi foret laboris, omnia sophismata prolixe velle persequi. Contenti igitur hac Suarezij confessione, qua Materiam cœli facit naturâ priorem Formâ suâ, atq; ipsi relinquentes eam distinctionem, quod non sit ita prior naturâ, quomodo aliarum rerum Materiæ, dicimus, quum tam cœlorum, quam Elementorum in ipso mundi primordio factorum, par in hoc sit ratio, quod Materia ipsorum, quanquam Formis suis naturâ prior, tempore tamen non præcessit; vanam esse hanc quoq; exceptionem, quæ non temporis prioritatem, sed prioritatem naturæ exigit ad Formarum eductionem; quia inde sequeretur, non Elementorum tantum, sed & cœlorum Formas fuisse non creatas, sed de Materiæ potentia eductas; contra quam vult ipse Suarez. Atq; ex hisce satis apparet, quàm inania sint ea, quorum argumentò Peripatetici audent Formas, quas è nihilo factas fatentur, rursus eximere ex earum rerum numero, quæ creatæ sint seu è nihilo factæ: quippe quibus admissis sequeretur alias quoq; res diversas, quanquam è nihilo factas, creatas non fuisse; quas tamen ipsi creatas fuisse, constanter asseverant.

LIV. Quodsi autem hisce omissis, non cum alijs ipsorum placitis comparemus, sed ad ipsam rei veritatem examinemus hoc dogma, quo Formæ simul & è nihilo fieri, & non fieri è nihilo asseruntur; longe adhuc magis elucescet summa atq; immanis ipsius absurditas. Etenim omne ipsius firmamentum situm est in ea propositione à Suarezio proposita, *Fieri ex nihilo, duo dicit: unum est, fieri ipsum absolute*

absolute & simpliciter; *aliud est*, *quod talis effectio est ex* Cap.I.
nihilo: quæ propositio est falsissima, sumendo, *fieri absolute & simpliciter*, in eo sensu, quo Suarez alijq; Peripatetici sumunt, pro, fieri aliquid seorsim per se, atq; ut per se subsistat. ipso enim *fieri ex nihilo* haud aliud dicitur, nisi ejus rei, quæ fit, nullam partem præcessisse; si nimirum hoc quoq; secundum quid, & secundum eam portionem, qua ex nihilo facta est, intelligatur. Namq; si aliquis, loquendo de rebus, quæ secundum quid ex nihilo factæ sint, velit sustinere, dari res, quæ factæ sint ex nihilo, ac de quibus tamen non sit verum nullam earum partem præcessisse; is aut stupiditatem suam manifestò prodat, aut perversitatem, quippe seposita omni ambiguitate, & æqualiter utrobiq; loquendo, si verum est, hujusmodi rerum aliquam partem præcessisse, verum quoq; est, eas non ex nihilo factas: & si verum est, eas ex nihilo factas, verum quoq; est, earum nullam partem præcessisse. Etenim si de ijs secundum se totas sumtis loquamur; dici non potest, nullam earum partem præcessisse; sed neq; dici tum potest, eas è nihilo factas. sin vero de ijs loquamur secundum quid, & respiciendo ad portionem è nihilo factam; non magis verum de ijs est hoc respectu, quod è nihilo factæ sint, quàm quod nulla ipsarum pars præcesserit. Quare semper verum est, quod dicimus, *fieri ex nihilo*, unum hoc duntaxat dicere, nimirum quod rei ex nihilo factæ nulla pars præextiterit. & si res ex nihilo factæ per se subsistant, hoc tamen ad naturam seu essentiam ipsius fieri ex nihilo haudquaquam pertinet; quæ sibi nihilo secius constabit, etiamsi res ex nihilo facta non per se, sed in altero aut cum altero subsistat, atque alterius rei pars sit. Et quod nos hic dicimus, idem nobiscum universus mundus dicet, ijs tantum sepositis, qui præconceptis opinionibus mancipati, earum amore seipsos sponte ita excecarunt, ut videre non possint res cuivis etiam idiotę clarissimas, qualis hæc est. nihil enim facilius intellectu est, quam quid sit, ex nihilo fieri; resq; per se adeo aperta est, ut nulla declaratione indigeat; ac nemo, qui communibus duntaxat notionibus sit præditus, dubitaturus sit, quin,

Cap. I. *fieri ex nihilo*, sit, ita fieri, ut nihil rei prius fuerit; neq; amplius quicquam, vi istorum verborum, *fieri ex nihilo*; inferatur. Sane ut verè aliquid ex nihilo factum sit; non magis ad rem facit, per se subsistat, an secus; quàm idem hoc ad rem facit, ut vere ex alio factum sit. Itaque eodem jure, quo ipsi dicunt, quod *fieri ex nihilo* duo significet, & fieri ex non præexistenti, & fieri ita ut per se subsistat; dicere aliquis poterit, quod *fieri ex aliquo* duo significet, & fieri ex præexistenti, & fieri ita ut per se subsistat; unde sequeretur, ut quecunq; non per se subsistunt, neganda essent ex altero facta, etiamsi revera ex altero facta essent; quomodo ipsi negant ea, quæ non per se subsistunt, ex nihilo facta, etiamsi re vera ex nihilo facta sint, ac totam suam entitatem (ut ipsi loquuntur) de novo acceperint. Quod si in generatione hoc pro stolidissimo ipsi repudiaturi sunt, oportet tantundem quoq; faciant in creatione, atq; agnoscant, quod sicuti ad essentiam ipsius fieri ex aliquo non pertinet, per se an non per se subsistat res ex aliquo facta; ita neq; ad creationis ex nihilo essentiam pertineat, an res ex nihilo creata per se subsistat, vel secus. Verum quidem est, substantias omnes ex nihilo factas per se subsistere; sed hoc verum est, non quia ipsum fieri ex nihilo requirit, ut res ita facta per se subsistat, sed quia Deo non placuit res alias, quam quæ per se subsisterent, ex nihilo creare. itaq; nos, quibus hoc persuasum est, poteramus probabilius asserere, esse de ratione ipsius fieri è nihilo, ut res è nihilo facta per se subsistat, ac proinde negare, quod Formæ è nihilo fiant, quippe quę per se non subsistant. ast eos ipsos, qui & alias res haudquaquam per se subsistentes, & Formas dicunt ex nihilo fieri; introducere hoc axioma, [quòd pertineat ad essentiam ipsius fieri ex nihilo, ut res, quæ ex nihilo fit, per se subsistat;] plane est monstri simile, atque vesaniæ proximum; quum omisso responso, quod ab ipsa rei natura per se considerata suppeditatur, sufficiat illi objicere tot res ipsorum confessione ex nihilo factas, quæ tamen per se non subsistant.

LV. Acsi

Cap. I.

¶ LV. Acsi autem parum esset hæc vel amentia vel impudentia, qua duas propositiones tam directò contradictorias, [Quod Formæ fiant è nihilo; & quod non è nihilo fiant;] asserere non erubescunt: ulterius adhuc progrediuntur, aliamq; viam præcedenti mirabiliorem, seu potius monstruosiorem, insistunt, ut se expediant ex hac difficultate, quomodo substantiæ creatæ non exerceant vim creandi, si Formas substantiales procreant, & Formæ ex nihilo fiunt. Etenim pro secunda hujus nodi solutione afferunt, tantum abesse ut Formæ è nihilo fiant, ut ne fiant quidem omnino, aut saltem non proprie ac primario fiant. Et quia incredibilia videmur narrare, rursus, ut paulo ante fecimus, ipsorum verba apponemus, ubi hoc disertim declarant. Vicomercatus scribit, *Formam non esse Principium rerum naturalium eodem modo ac Materiam, quum non sit æterna, ut illa, sed tum esse incipiat aut desinat, cum res oriuntur aut occidunt. nullo enim temporis spatio eam ante rerum generationem existere, sed eodem temporis momento & Formam, & rem cujus Forma est, incipere existere, genitamq; dici. cum enim tot sint Formæ, quot res generabiles, & neq; absq; Materia esse queant, nec simul multæ in una Materiæ portione, necesse esse ut non sint æternæ, sed incipiant esse, atq; oriantur. Nec tamen proprie aut gigni, aut interire, propterea quod simplices sint, & Aristoteles multis in locis tradiderit, nihil nisi Compositum ex ea & Materia gigni. Incipere autem esse, cum antea non essent, & desinere, cum fuerint, tametsi nec oriantur nec intereant, nisi ortus & interitus vocabulis communiori significatione usurpatis. Perspicuum tamen esse, Formas naturales, cum antea non fuissent, esse incipere,* &c. Toletus, *Constare, quod Compositum Materiâ conficiatur & Formâ, & Materia sit ingenerabilis, Formæ verò de novo producantur. nihil enim earum præcedere in Materia, ante ipsarum introductionem: negandum tamen prorsus esse cum Aristotele, fieri Formas aut produci. id enim, quod primo & per se generatur & corrumpitur, esse Compositum ipsum, ita ut actio non terminetur primo, nisi in Compositum; fieri enim Leonem, aut ignem, non Formam, aut Materiam; quæ conclusio sit maxime*

2. Princ. natur. 9.

1 Phys. cap. 9. quæst. 19.

Cap.I. *xime tenenda, quum ex ea pendeant multa graves physicæ determinationes. Itaq; Formam non produci ex se, sed comproduci ad productionem Compositi; quod idem fit, ac si dicas, actionem in ipsum Compositum terminari primo, & consequenter ac veluti per accidens in ipsam Formam. ex quo pateat, quid sit, Formas educi de potentia Materiæ: non enim esse aliud, quàm eadem actione consequenter fieri & habere esse, qua fit Compositum. Cum igitur Composita fiant, non ex nihilo, sed ex Materia, Formæ verò consequenter fiant & comproducantur, non creari Formas; quia creatio est actio, qua aliquid primo fit, Formæ verò non primo fiunt. hanc autem esse vim concessam agentibus naturalibus, ut Compositum producerent, ac simul immediate Formas*

Disp.15.sect.2. *comproducerent, quod non est creare.* Suarez, *Formam proprie ac per se fieri, falsum est, & repugnat revera Aristoteli; secundum quem proprie Forma dicitur congenerari. Ratio est, quia ejus est per se primo fieri, cujus est esse, cum fieri tendat ad esse: sed id proprie est, quod subsistit; ergo id proprie fit. sed hæ Formæ non subsistunt, sed Composita ex ipsis: ergo ad Composita proprie & principaliter terminatur actio. Confirmatur. nam actio est una, ut supponimus: ergo & terminus adæquatus unus. sed hic non potest esse Forma. quia Compositum re vera fit, & non est Forma. Majoris autem claritatis gratia distingui solet duplex terminus, scilicet ut quod & ut quo, seu qui absolute fit, vel quo aliud fit. Compositum ergo est terminus Qui seu Ut quod, quia illud per se primo fit: nam illud maxime intenditur per Generationem, & in illud ultimate terminatur generatio. Terminus autem Quo est Forma, quia fit ut per eam Compositum constituatur.* Profecto intellectu facile est, quomodo his admissis vitetur illa difficultas, ne Causæ Generantes creare seu substantiam facere è nihilo dicendæ sint. Sed quomodo hæc duo stare simul possint, ut & Formæ fiant improprie, sive ne fiant quidem omnino, sicuti nonnulli ipsorum hic dicunt; & tamen fiant è nihilo, quod ipsi prius diserte fassi sunt; hoc verò omnem captum superat. & nisi ab hominibus, qui sibi ipsis sponte oculos eruunt, aut saltem occludunt, ne lucem rationis ac veritatis videant, tam ve-

cors

cors assertio proficisci nequaquam posset. Sanè passim ita se gerunt, ut nihil ipsorum referre videatur, quàm falsum aliquid sit, quàm insipidum, quàm insulsum, dummodo Aristotelem ejus habeant autorem; utpote cujus omnia effata qualiacunq; pro oraculis venerari, ipsorum animo sedit. itaq; hoc quoq; ejus dictum, *Sola Composita generari seu fieri*; sine ulteriori disquisitione pro verissimo susceperunt; quum tamen aut ipsum necessario falsum esse debeat, aut falsa ipsius de Formis doctrina, quas in omni substantiæ generatione de novo vult fieri, atq; entitatem suam, quam prius non habebant, tunc demum accipere, quando ipsum Compositum generatur. Nullæ enim machinæ effecerint, ut utrumq; hoc simul esse verum queat. Cap.I.

LVI. Sed quia tanti faciunt hoc magistri sui dogma Peripatetici, ut ejus solius objectu putent sufficienter excusari monstruosissimas suas contradictiones, faciantq; vim sibi ipsis & alijs, ut credunt id, quod nemo nisi mente captus credere potest, Aliquid factum esse, cujus antea nihil erat, neq; tamen ex nihilo esse factum, imò ne factum quidem esse omnino; juvat paulo exactius illud examinare, ut sic extrema ejus futilitas omnibus fiat tanto manifestior. Meminerit autem lector ejus, quod supra diximus, Aristotelem passim, dum Formam suam substantialem declarare nititur per exempla à Formis accidentalibus petita, eò prolabi imprudentem, ut quæcunq; istis competunt, illis etiam attribuat, ac si par esset utrarumq; conditio; indeq; ortum esse inter alia hoc axioma, Quod nec Forma nec Materia fiat aut intereat, sed Compositum tantum, quia neq; accidentales Formæ fiant aut intereant, sed Compositum ex ijs & Materia. ostendimus autem in ipsius exemplis, dupliciter ipsum errare: tum sumendo falsas hypotheses; tum eas, etiamsi veræ essent, Formæ substantiali accommodando, cum nequaquam sit eadem substantiarum atq; accidentium ratio. nunc quædam ijs, quæ illic dicta sunt, addantur, ac paulo uberius Aristotelis exempla consideremus: septimo igitur Metaphysicorum, capite octavo,

 ad

Cap. I. ad probandam hanc thesin, Formam non fieri, ita procedit: Qui facit globum æreum, sicuti non facit æs, ita neq; globum facit, nisi per accidens, quatenus nimirum format æs in globi figuram. nam si globum absolute faceret, oporteret ut faceret ex alio (quia nimirum ex nihilo fieri nihil possit) & sic in infinitum abirent generationes. Ἐπεὶ δὲ ὑπό τινός τε γίνεται τὸ γινόμενον, καὶ ἔκ τινος, καὶ ὃ γίνεται· τοῦτο δ' ἐστὶν ἢ ἡ σφαῖρα, ἢ ὁ κύκλος, ἢ ὅτι ἔτυχε τῶν ἄλλων, ὥσπερ οὐδὲ τὸ ὑποκείμενον ποιεῖ, τὸν χαλκὸν, οὕτως οὐδὲ τὴν σφαῖραν, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, ὅτι ἡ χαλκῆ σφαῖρα, σφαῖρά ἐστιν, ἐκείνην δέ οὐ ποιεῖ. τὸ γὰρ τόδε τι ποιεῖν, ἐκ τοῦ ὅλου ὑποκειμένου τόδε τι ποιεῖν ἐστί. λέγω δὲ ὅτι τὸν χαλκὸν στρογγύλον ποιεῖν ἐστὶν, οὐ τὸ στρογγύλον ἢ τὴν σφαῖραν ποιεῖν, ἀλλὰ ἕτερόν τι, οἷον τὸ εἶδος τοῦτο ἐν ἄλλῳ. εἰ γὰρ ποιεῖ, ἔκ τινος ἂν ποιοίοι ἄλλου· τοῦτο γὰρ ὑπέκειτο. οἷον ποιεῖν χαλκῆν σφαῖραν, τοῦτο δὲ οὕτως, ὅτι ἐκ τουδὶ, ὅ ἐστι χαλκὸς, τοδὶ ποιεῖ, ὅ ἐστι σφαῖρα· εἰ οὖν καὶ τοδὲ ποιεῖ αὐτὸ, δῆλον ὅτι ὡσαύτως ποιήσει, καὶ βαδιοῦνται αἱ γενέσεις εἰς ἄπειρον. *Quoniam autem id, quod fit, fit ab aliquo, & ex aliquo, & fit aliquid, verbi causâ, globus, aut circulus, aut quippiam aliud: sicuti [efficiens] non facit subjectum, nempe æs, ita neque globum, nisi per accidens, quia globus æneus, globus est. ipsum autem non facit. facere enim hoc aliquid, est ex toto subjecto hoc aliquid facere. Dico autem, quod æs rotundum facere, est, non rotunditatem, aut globum facere, sed aliud quid, nimirum Formam hanc in alio. si enim faceret [rotunditatem] ex aliquo alio faceret; hoc enim supponebatur, veluti facere æneum globum. hoc autem sic, quia ex hoc, quod est æs, facit hoc, quod est globus. si igitur & hoc ipsum facit, apparet quod similiter faciet, & generationes vadent in infinitum.* Tenendum est in his Aristotelis verbis, qnando Globum & Circulum fieri negat, non intelligere eum substantias illas, quæ vulgo sic nominantur, sed globositatem & circularitatem. hæc enim & fieri negat, & interire. itaq; eum, qui facit globum æneum, non facere globosi-

globositatem, neq; globositatem in æs introducere, sed absolute facere æs globosum, aut globum æneum. Globositatem autem fieri negat propterea (ut paulo ante quoque attingebamus) quia quidcunq; fit, requirat Materiam è qua fiat, cum ex nihilo non possit quicquam fieri. Ἐν ἅπαντι (inquit in conclusione hujus tractationis) τῷ γιγνομένῳ ὕλη ἔνεστι, *in omni eo, quod fit, materia inest.* & in capite præcedenti, Ἀδύνατον γενέσθαι, εἰ μηδὲν προϋπάρχοι. *Impossibile est, aliquid fieri, si nihil praexistat.* Iam si globositas fiat, quando fit globus æneus; quum non fiat ex ære (æs enim non esse Materiam globositatis, sed subjectum) requiri aliud quid, ex quo illa fiat. Τοῦ δὲ σφαῖραν εἶναι ὅλως εἰ ἔστι γένεσις, ἔκ τινός τι ἔσται. *Globositatis autem omnino si est generatio, ex aliquo erit aliquid,* [hoc est, è subjecto fiet.] Iam quum hoc pacto semper debeat id, quod fit, esse Compositum è Materia & Forma, Δεήσει γὰρ διαιρετὸν εἶναι ἀεὶ τὸ γιγνόμενον, καὶ εἶναι τὸ μὲν, τόδε, τὸ δὲ, τόδε. λέγω δ' ὅτι τὸ μὲν ὕλην, τὸ δὲ, εἶδος, *oportebit enim semper id, quod fit, esse divisibile, & esse partim hoc, partim verò illud, hoc est, partim Materiam, partim verò Formam:* infert, generationes sic abituras in infinitum. Quippe in globositate, si illa fiat, futuram Materiam & Formam. si autem fiat id, quod Formæ rationem obtinet in globositate, recursuram eandem difficultatem, quæ in globo æneo occurrebat. statuendam enim fore Materiam, è qua illa Forma fiat. Illic autem iterum, eodem modo rem se habituram; & sic hanc difficultatem, semper ascendendo, in infinitum processuram. Summa totius disputationis (quæ etiam 12. Metaph. 3. breviter attingitur) huc redit. Quidcunq; fit, fieri ex aliqua Materia. itaq; non fieri accidentia, cum illa in Materia quidem fiant, è Materia verò nequaquam; sicut apertum fit, quando globus vel circulus fit ex ære. Etenim æs quidem fieri globosum vel circulare, ipsam autem globositatem aut circularitatem nequaquam fieri. Est igitur sententia Aristotelis, Accidentia non fieri, (& proinde neq; interire) sed fieri rem ipsam

talia

Cap.I. talia accidentia habentem. φανερὸν ἄρα (inquit) ὅτι οὔτε τὸ εἶδος, ἢ ὅτι δήποτε χρὴ καλεῖν τὴν ἐν τῷ αἰσθητῷ μορφὴν, οὐ γίνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γένεσις, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι τοῦτο. *Manifestum ergo est, quod Forma, aut quocunq; nomine appellare libeat rei sensibilis speciem, nequaquam fit, neq; est ipsius generatio, nequè [fit] esse hoc aliquid, sive quidditas.* Quæ verba non de sola Forma substantiali dicta esse, sed tum de illa, tum de Forma artificiali, tum de quibuscunq; accidentibus (quæ cur Formæ rationem obtinere velit, nunc non quærimus: voluisse apertim est) verbis proxime sequentibus ita significat. Τοῦτο γὰρ ἐστιν ὃ ἐν ἄλλῳ γίνεται, ἢ ἀπὸ τέχνης, ἢ ἀπὸ φύσεως, ἢ ἀπὸ δυνάμεως. *hoc enim est, quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut à facultate.* Itaq; de omnibus illis tribus accipienda sunt etiam verba hæc, præcedentibus parvo intervallo subjuncta: φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ ὡς οὐσία λεγόμενον, οὐ γίνεται· ἡ δὲ σύνοδος, ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη, γίνεται. *Manifestum est ex dictis, id quod venit appellatione Formæ aut essentiæ, non fieri. sed concursus, qui hinc denominatur, fit.* hæc, inquimus, ille de Forma, tum substantiali, tum accidentali, vi illorum exemplorum globi ænei, vel circuli ænei, decernit.

LVII. Primo autem in hac tractatione observandum est, falsam esse illam hypothesin, qua sumitur, accidentia non fieri. Namq; illa probatio, *Si fiant, debere fieri è materia:* omnino vana est, utpote ad solas substantias pertinens, quarum nulla (nisi immediate ab ipso Deo per creationem) fieri potest nisi ex Materia. ast accidentia & fiunt ex nihilo, & in nihilum abeunt rursus. falsitas autem hujus hypotheseos vel seipsam aperte prodit. Quomodo enim non fit globositas, quando fit globus æneus? certe globositas non est nihil. ast si est aliquid (ut re vera est) necesse est facta sit, si ibi est, ubi antea non erat. Nam quod antea non extabat, si nunc existit, necesse est existendi Principium acceperit. ast tale principium accipere, hoc est fieri.

non

non igitur rectius loquatur in philosophia, qui dicat factum esse globum, quam qui factam esse globositatem. illud enim verum est ratione totius, hoc vero ratione Formæ, quæ compositi illius altera pars est. imò si non fit globositas, aliáve talis Forma, sed tantummodo compositum, quid sibi volunt ista verba, ποιεῖν τὸ εἶδος ἐν ἄλλῳ· τὸ εἶδός ἐστιν ὃ ἐν ἄλλῳ γίνεται, ἢ ἀπὸ τέχνης, ἢ ἀπὸ φύσεως, ἢ δυνάμεως. εἰς τοδὶ γὰρ τοδὶ τὸ εἶδος ποιεῖ. *Formam facere in alio. Forma est quæ in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut à facultate. In hoc [subjectum] facit hanc Formam.* & consimilia plura, in loco proxime citato? en, diserte dicit, fieri Formam: ut propterea apertissime secum pugnet, dum eandem rem & ait & negat in eodem sermone. Itaq; ne minimam quidem verisimilitudinem habet hæc hypothesis, quæ accidentia negat fieri & interire, nisi ut simul ponatur, Accidentia non esse entia. Quod cum alibi diserte professus sit Aristoteles, non dubitamus, quin in hujus quoq; theseos disputatione eo respexerit, atque rem ita se habere supposuerit. Est quidem & hoc quoque falsum, uti alibi à nobis monstrabitur. Sed etiamsi Aristoteli hoc quoque concederetur; attamen ne sic quidem quod vult efficeret. Namq; hoc posito, facile quidem est ad intelligendum, quomodo accidentia non fiant, quando res aliqua fit, hisce vel illis accidentibus instructa: siquidem generatio non est nisi entis: accidentia autem (ut impræsentiarum quidem ipse vult; quum illa duo Axiomata, Accidentia esse entia; &, Accidentia non fieri, nequaquam possint simul consistere) non sunt Entia. Sed hoc supposito; quomodo inde sequatur, Formas quoque substantiales non fieri, in substantiarum generatione; hoc verò animo capere non possumus. De hisce enim (ex ipsius doctrina) diversissima res est; quippe quas non modo vult esse ens, sed multo magis ens, quam Materia, quæ vix entis aut substantiæ nomine digna sit: quare etiam Compositum totam suam essentiam à Forma accipiat. Omne autem ens vel æternum sit oportet, vel si aliquando non fuit, generatum sit. hoc est enim generari, incipere esse,

Cap.I.

7. Metaph. 2.

x accidentia sunt coexistentia, sunt connaturalia, sunt adiuncta, sunt consequentia ad esse. qui dat [illegible], dat media qui dat esse, dat consequentia ad esse, qui dat fundum dat fructus (nisi [illegible] [illegible] caveat) [illegible] ergo distincta actio [illegible] debet aut distincta requisita [illegible] qui dat arborem dat folia, flores, fructus.

Cap. I. quod antea non erat. Si igitur hæc ab accidentibus similitudo valebit in Forma quoq; substantiali, ad probandum, quod non ipsa generetur, sed totum τὸ συνειλημμένον; concedant, ne illam quidem esse Ens, æque ac Accidentia non sunt Ens. Si verò hoc concedere noluerint, & defendant, Formam esse Ens, ac quidem nobilissimum: desinant posthac ingerere, eam non generari. nihil enim eos juvare possunt illæ similitudines, petitæ ab Accidentibus, quæ cum non sint Ens, mirum non est, si ne generentur quidem. Quod enim non est, quomodo esse inceperit? Formæ autem cum sint, necesse est habuerint essendi (ut sic dicamus) principium; & proinde generatæ sint. Nam quod antea non extabat, si nunc existit, necesse est existendi principium acceperit. ast tale principium accipere, hoc est (ut dicebamus) fieri vel generari; sicuti desinere esse, est corrumpi. Qui igitur dicit aliquid & incipere esse, & desinere, idque tamen & fieri negat, & interire; sibi ipsi manifestissime contradicit: quod facit Aristoteles ejusdem septimi Metaph. capite decimo quinto, in hæc verba: Ἐπεὶ δὲ οὐσία ἑτέρα, τό, τε σύνολον, καὶ ὁ λόγος, λέγω δ' ὅτι ἡ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία, σὺν τῇ ὕλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἡ δὲ, ὁ λόγος ὅλως: ὅσα μὲν οὖν οὕτω λέγεται. τούτων μὲν ἐστι φθορὰ, καὶ γὰρ γένεσις· τοῦ δὲ λόγου οὐκ ἔστιν οὕτως, ὥστε φθείρεσθαι: οὐδὲ γὰρ γένεσις. οὐ γὰρ γίνεται, τὸ οἰκίᾳ εἶναι, ἀλλὰ τὸ τῇδε τῇ οἰκίᾳ. ἀλλ' ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσί. δέδεικται γὰρ ὅτι οὐδεὶς ταῦτα γεννᾷ οὐδὲ ποιεῖ. *Quoniam autem diversimode sunt essentia ipsum Totum, & Ratio; hoc est, aliusmodi essentia est Ratio sumta cum ipsa Materia, aliusmodi ipsa per se Ratio. quęcunq; ergo illo modo dicuntur, eorum est corruptio, ut & generatio. Ratio autem non ita se habet, ut corrumpatur. namq; nec generatio ejus est. non enim fit esse domum, sed fit hæc domus. sed absq; generatione & corruptione sunt & non sunt* [*Formæ seu Rationes*] *ostensum enim est, quod nemo hæc generat sive facit.* & rursus octavo Metaph. 5. Ἐπεὶ δ' ἄνευ ἔνια γενέσεως καὶ φθορᾶς ἐστὶ, καὶ οὐκ ἔστιν, οἷον αἱ στιγμαὶ εἴπερ εἰσὶν,

εἰσίν, καὶ ὅλως τὰ εἴδη καὶ αἱ μορφαί· οὐ γὰρ τὸ λευκὸν γί- Cap. I.
γνεται, ἀλλὰ τὸ ξύλον λευκόν. *Quandoquidem nonnulla absq; generatione & corruptione sunt & non sunt, veluti puncta (si modo ipsa sunt) & universim species ac Formæ. non enim albedo fit, sed lignum album.* In quibus locis quum agat conjunctim de Formis substantialibus & accidentalibus, de illis hoc quidem peccat, de quo nunc agimus, quod eas neget generari & interire, quum fateatur, quod & incipiant esse, & desinant. de his verò nimis imprudenter ait, Eas esse & non esse; quum ipse Accidentia habeat pro non Entibus, omnesq; hæ similitudines, ab ijs petitæ, quod nimirum non fiant ipsa, sed τὸ συνειλημμένον, *ipsum Totum seu Compositum*, nitantur isto fundamento, Quod Accidentia non sint Entia. aut alioqui falsum de ijs quoque est, æque ac de Formis substantialibus, quod nec generentur, nec intereant, utrumq; enim fieri necesse est, si & ipsa sunt entia.

LVIII. Sed alium adhuc ludum in hoc negotio dat mirabiliorem Aristoteles. Ac si enim capite octavo hujus septimi Metaph. istam thesin, *Formam non fieri nec interire, sed Compositum*; de ipsa substantiali Forma primario probasset, non in accidentalibus Formis probatam, (seu potius tentatam) ad substantialem transtulisset; ita loquitur capite nono, Non de substantia tantum hoc verum esse, quod Forma non fiat; sed & in omnibus Accidentibus eodem modo se rem habere. ita enim inquit: Οὐ μόνον δὲ περὶ τῆς 7. Metaph. 9.
οὐσίας δηλοῖ ὁ λόγος, τὸ μὴ γίνεσθαι τὸ εἶδος, ἀλλὰ περὶ πάντων ὁμοίως τῶν πρώτων κοινὸς ὁ λόγος, οἷον ποσοῦ, ποιοῦ, καὶ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν. γίνεται γὰρ ὥσπερ ἡ χαλκῆ σφαῖρα, ἀλλ' οὐ σφαῖρα, οὐδὲ χαλκός, καὶ ἐπὶ χαλκοῦ γίνεται· ἀεὶ γὰρ δεῖ προϋπάρχειν τὴν ὕλην ἢ τὸ εἶδος, οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ τί ἐστι, καὶ ἐπὶ τοῦ ποιοῦ, καὶ ποσοῦ, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως κατηγοριῶν· οὐ γὰρ γίνεται τὸ ποιόν, ἀλλὰ τὸ ποιὸν ξύλον, ἢ ζῶον. *Non de substantia tantùm declarat sermo, quod non fiat Forma, sed similiter de omni-*

Cap. I. *bus primis communis est sermo, ut de Quanto, Quali, aliisq́ categoriis. fiunt enim sicut aneus globus, sed non globus, neq́ as, atq́ ex are fit. semper enim oportet prius existere Materiam, quàm Formam. itidem autem [se res habet] quantum ad Quidditatem, & Qualitatem, & Quantitatem, & reliquas similiter categorias. non enim fit Qualitas, sed quale lignum aut animal.* qua sane vel levitate vel obliviositate, in tantulo præsertim intervallo, vix major ulla cogitari potest. Et tamen Aristoteli nihil frequentius, quam ejusmodi jactationes & fluctationes pati, ut ipse videatur plerúmque nescivisse, quid aut quomodo probandum haberet: ita & theses cum probationibus, & probationes cum thesibus confundit: sicuti hoc in loco, cum thesin illam, *Quod Forma substantialis nec fiat, nec intereat*, probandam suscepisset exemplo artificialium atque accidentalium Formarum, ac plurima jam in eum finem dixisset; adeo sui oblivíscitur in sermonis progressu, ut plane contrario modo argumentetur, Formas accidentales non fieri, nec interire, quia neq; in substantiales Formas illud cadat: quum tamen illud de Formis substantialibus paradoxum sit ipsum τὸ ἐν ἀρχῇ κείμενον, ac pro quo nullam aliam probationem affert unquam, nisi illam ab accidentibus petitam similitudinem. Gloriatur quidem plus semel, se planam fecisse hanc thesin, quod Forma substantialis nec oriatur nec occidat, ut 8. Metaph. 3. Δέδεικται δὲ καὶ δεδήλωται ἐν ἄλλοις, ὅτι τὸ εἶδος οὐδεὶς ποιεῖ, οὐδὲ γεννᾶται, ἀλλὰ ποιεῖται τόδε, γίγνεται δὲ τὸ ἐκ τῶνδε. *Ostensum est ac declaratum alibi, quod Formam nemo facit, quodq́ ipsa non generatur, sed fit hoc aliquid; fit autem Compositum ex istis.* Verum tamen est nullam uspiam ipsius probationem extare in ipsius scriptis, præter egregiam istam ab Accidentium similitudine ductam. quæ aut falsa est, si accidentia sunt entia: aut si entia non sunt (quod ipse potius sensit) vera quidem est, sed ad Formam substantialem pessime accommodatur, sicuti paulo ante monstravimus.

Cap. 7. Itaq; pronuntiatum illud, primo physicorum positum, & pluribus in locis repetitum, τὸ γιγνόμενον ἅπαν ἀεὶ σύν-

θετόν.

θετόν ἐστι, *Compositum esse semper id, quod generatur*; cujus sensus est, neq; Materiam Compositi generari, neque Formam, quomodo ipse & alibi explicat, & 12. Metaph. cap. 3. Οὐ γίνεται οὔτε ἡ ὕλη, οὔτε τὸ εἶδος. *Neq; Materia fit, neq; Forma*: planissime falsum est, si datur talis Forma substantialis, qualem Aristoteles ponit.

LIX. Aristotelici tamen, ac si firmissimis & invictis argumentis illud stabilivisset ipsorum præceptor, ita ipsi illud credunt, ac tantum non pro oraculo recipiunt: unde præfidentia illa Scaligeri verba: *Formam vero qui dicat generari, is sese in Philosophia parum prodat exercitatum; generatur namq; solum Compositum: quod toties dictum, repetitum, inculcatum est, ut fateri pigeat.* itaq; sumunt hoc tanquam Principium demonstrationis, unde deducant bellas istas conclusiones, Formas, quanquam generentur, nec æternæ sint, proprie tamen non gigni, quia simplices sunt, & Aristoteles multis in locis tradiderit, quicquid gignitur Compositum esse, & ex Materia gigni; ut supra audivimus. Sed isti homines nimium faciles non debebant præceptori suo tam leviter credere rem tanti momenti, qualis est Origo Formarum substantialium, quam nulla demonstratione astruxerat, sed sola comparatione, eaq; à rebus dissimillimis, Formis nimirum accidentalibus; neq; adeo seipsos excæcare, ut postquam rei evidentia coacti sunt fateri, Formas ex nihilo fieri: id quasi retractent, autoritate hujus axiomatis, Quod Formæ non generentur aut intereant, sed Compositum. Namq; si hoc verum est, Formæ ne sunt quidem entia. Si autem sunt entia, & quidem adeo nobilia, ut totam Composito essentiam ipsæ largiantur; omnino falsum est hoc axioma. Quod enim nunc est, & aliquando non fuit; factum sive generatum sit necesse est. Quum autem factæ non sint ex præexistenti sive Materia, sequitur ut factæ sint ex nihilo, ac proinde creatæ. Ubi ridere libet Peripateticorum insulsitatem, qui ubi se in hasce angustias adactos vident, ut fateri cogantur, Formas ex nihilo fieri; audent tamen id

Exerc. 346.

Cap.I.

retractare rursus, præsidio futilium hujusmodi distinctiuncularum; quas si ipsis vel maxime concederemus esse veras, nihil amplius inde lucrarentur, nisi ut seipsos falsi convincerent in eo, quod fatentur Formas è nihilo fieri. Si autem hoc est verum (uti omnino esse debet, si Formę sunt substantiæ, neq; vetustiores Compositis, sed simul cum ipsis existere incipientes) falsum ac vanum est quidcunq; ab ijs porro adfertur, quo ista assertio infringatur. Quippe *è nihilo fieri*, & *non è nihilo fieri*, sunt contradictoria, inter quæ nullum datur medium; quare nullo pacto de quacunq; re utrumq; simul verum esse potest; sed inevitabilis necessitas urget, ut si aliquid factum sit ex nihilo, non sit ex aliquo factum; & contra. Sicuti igitur plane ineptiunt Peripatetici, quando coacti fateri, quod Formæ è nihilo fiant; negant rursus, eas ex nihilo fieri, quia nimirum per se non subsistant, atq; è Materiæ potentia educantur: ita multo ineptiunt magis, quando hoc ipsum negant ob alteram istam exceptionem, quia ne fiant quidem omnino; non fieri autem eas, probant hoc axiomate, quod neq; Materiam fieri aut interire dicit, neq; Formam, sed solum Compositum. hoc est enim, ignotum aut incertum probare per æque ignotum & incertum. imò notum & certum est, & eam assertionem, & hoc axioma, utraq; esse falsissima: quum & illa hoc solo subnitatur, & ipsum autem non habeat aliud fulcimentum, nisi nudam Aristotelis autoritatem, qui nullis unquam rationibus, sed solis similitudinibus, ijsq; proposito ipsius adversissimis, illud stabilire annisus est. Quam rem ita se habere, sicuti nos & antea, & hic fecimus planissimum; ita & ipsis promptum fuerat, idem deprehendere, si maluissent dicta ac decreta præceptoris examinare, quam pro oraculis venerari Miserrimum igitur est hoc probationis genus, quo Formas non oriri ex nihilo excipitur, vi istus Axiomatis Aristotelici, quod vult, Sola composita generari & interire; quo pacto efficitur necessario, Formas non esse Ens: si vero sint Ens, ipsum est falsissimum: nisi si Formæ, æque ac Materia, præexistant, ac non tum demum, quando Compositum fit, ini-

tium

tium ſui accipiant, ſed prius productæ, ad Compoſiti conſtitutionem aſſumantur: id quod non Ariſtotelicorum modo maxima pars, ſed & ipſe Ariſtoteles quam maxime abhòrret atq; averſatur. Videtur autem Ariſtoteli hic accidiſſe id, quod alibi ipſi accidit quam ſæpiſſime, & à nobis non uno hujus operis loco adnotatur; ut nimirum aliena dogmata, ſuæ doctrinæ directo atq; è diametro adverſantia, pro ſuis uſurpet, atq; ad ſuas traditiones, quibuſcum ſtare nullo pacto queunt, accommodet; qua nulla major in docendo incogitantia reperiri poteſt. Etenim omnes priſci ante Ariſtotelem Philoſophi (ſolo forſan Platone excepto; qui tamen ipſe nobis excipiendus haud videtur) quum ignoraverint Formas ſubſtantiales; omniaq; Compoſita, ſecundum omnes ſui partes ſubſtantiales, fabricaverint ex præexiſtentibus, nimirum ex corporibus ſimplicibus, ſeu ex Elementis, quæ ipſi omnis ortus expertia, ab æterno fuiſſe ſtatuebant; in ipſorum ſchola dictu verum erat, *ſola Compoſita generari*; quippe quorum nullæ partes tunc demum fierent, ſed prius exiſtentes, ad ipſorum conſtitutionem concurrerent: ac proinde probabile eſt, in eorum ſcriptis, ubi de Generationibus ageretur, familiarem fuiſſe hanc ſententiam: unde arreptam pro more ſuo Ariſtoteles, ſuæ Philoſophiæ temere intulerit; quum debuerit conſiderare, longe aliam eſſe ſuam rationem, qui Compoſita non itidem, ac illi, ex præexiſtentibus tota procrearet, ſed potiſſimam eorum partem tum demum, quando ipſa fiunt, fieri doceret; unde neceſſario ſequeretur, non ſola Compoſita generari, ſed ſimul cum ipſis generari eam quoq; partem, quæ prius non exiſtens, cum ipſis exiſtere inciperet. quare dictum hoc debuit à ſe, atq; doctrina ſua, utpote ipſi apertiſſime repugnans, procul relegare, atq; repudiare, ac non ut ſuum ſibiq; congruum toties inculcare. Sed fraudi ipſi fuit, quod id tentaverit prius in Compoſitis accidentalibus, ut vocant; hoc eſt, ijs quæ ex ſubjecto & inhærentibus ipſi accidentibus conflata ſunt: in quibus quum ipſi probe ſucceſſiſset, cum illa nimirum hypotheſi Quod accidentia non ſunt entia: inde porro, abſq; ulteriori diſ-

quiſitione,

Cap.I. quiſitione, ad Compoſita ſubſtantialia tranſtulit; acſi quicquid in illis verum ſit, in his quoq; verum eſſe debeat; quum tamen diverſiſſima ſit ipſorum ratio, ſicuti per ſe liquet, & ex ijs, quæ modo ſuper hac re diximus, amplius fit manifeſtum. Sane in omnia ſe vertat licet Ariſtoteles cum ſuis, nunquam vel ad minimam progredientur probabilitatem, in tuendis duabus hiſce propoſitionibus adeo inter ſe repugnantibus, Quod ſola Compoſita generentur, quodq; proinde non generentur Formæ; & Quod Formæ ſint aliquid, imò quod ſint ſubſtantiæ, quæ ante Compoſitum non extiterint, ſed cum ipſo Compoſito eſſe incipiant.

LX. Eſt quidem uſitatus hîc Ariſtotelicis alter paulo modeſtior hujus axiomatis, quod ſola Compoſita generari dicit, explicandi modus; quo non quidem abſolute negant Formas fieri, ſed tantum dicunt, eas non fieri, proprie ac per ſe, ſed ad generationem Compoſiti congenerari ſeu confieri: quo loquendi genere etiamſi nonnulli promiſcuè cum præcedenti utuntur, acſi nihil inter hæc intereſſet; alij tamen uti ab eo diverſum, quomodo revera eſt, uſurpant. Sed neq; iſto modo explicata iſta ſententia, quæ ſola Compoſita dicit generari, veritati eſt conſentanea; & ſi eſſet, nihil inde juvarentur Peripatetici; qui tamen eandem inde expectant utilitatem, quam ab altera illa impudentiori explicatione, quæ vi hujus axiomatis Formas omnino fieri inficiatur. Quod ad expediendam hanc difficultatem, quomodo Formæ & ſubſtantiæ ſint, & ex nihilo fiant; nihil juvet hæc evaſio, quæ Formas non fieri primo ac per ſe, ſed confieri dicit; ita oſtendimus. Rem aliquam congenerari ſeu confieri, non ſignificat (uti cuivis ex ipſa vocabuli vi per ſe apertum eſt) non fieri omnino, ſed non primariâ operâ fieri; ſeu ita fieri, ut ipſius generatio non per ſe inſtituatur, verum ad alterius rei generationem ſit veluti conſectaria: quare etiam Suarez caſtigans Thomam, quòd vi iſtius axiomatis Ariſtotelici dixiſſet, Formas per accidens fieri; ait, ſano modo hoc intelli-

Diſp. 15. ſect. 4. §. 4.

telligendum esse, late utendo verbo *per accidens*, prout Cap.I. idem est quod *cum alio*. & præterea non debere aliter hanc phrasin accipi, ex eo patet, quod non ipsi *fieri* absolute sumpto, sed τῷ *primo ac per se fieri* opponitur. Iam si illud, quod congeneratur seu confit, quanquam secundariâ operâ fiat, fit tamen; æque de ipso, ac de eo quod per se fit, quæri potest, ex aliquo fiat, an ex nihilo: & quum nihil inter hęc duo sit intermedium (uti supra diximus) necesse est ut ea, quæ confiunt seu congenerantur, ęque perfecte vel ex aliquo fiant, vel ex nihilo, quàm quæ primo ac per se generantur. Si itaq; Formæ ex non præexistenti sive ex nihilo fiant; integra manet quæstio, quomodo hoc fieri queat, si Formæ sunt substantiæ, & substantia ex nihilo fieri non potest; quum illa generationis & congenerationis distinctio nihil ad hujus rei enodationem faciat, eaq; quæ ex nihilo fiunt, non minus absolute & perfecte ex nihilo fiant, si alteri rei congenerentur, quam si generentur ipsa per sese: quandoquidem ipsum *fieri ex nihilo* nullam habet latitudinem, nullamq; recipit variationem: quare omnia, quę ex nihilo fiunt, eodem modo ex nihilo fiant necesse est.

LXI. Quod vero neq; veritati congruat hæc expositio, Formas ad generationem Compositi congenerari dicit; & ipsum facile probari potest. Eorum enim, quæ priora sunt, generatio prior esse debet; id autem, quod prius generatur, non potest dici congenerari alteri rei, cujus generatio est ipsius generatione posterior: sed si alterum horum fieri, alterum confieri dicendum est, ratio postulat, ut posteriora potius dicantur prioribus congenerari, quàm contra. & nimis absurdum sit, dicere, quod res posterior *primò* generetur; res autem prior generetur *non primò*, seu *secundariò*. Hisce ita constitutis, si docemus partes esse toto priores, ac proinde Formas esse priores Composito; scopum attigerimus, atque confecerimus, Composita potius Formis, quàm Formas Compositis dicendas congenerari. Quum ergo Prioritatis duo tantum sint modi, qui quidem ad præsens negotium faciant; una temporis, altera naturæ:

Cap. I.

illa quidem temporis prioritate sæpe partes constituentes esse Toto ex ipsis constituto priores, per se apertum est: alterâ verò (quæ magis huc facit) semper priores esse, vel ex ipso Aristotele doceri potest. Etenim in Postprædicamentis, capite de Priori, secundum modum Prioritatis (qui, consensu interpretum, & ex ipsius loci evidentiâ, est prioritas naturæ vulgo dicta) ita exponit, ut dicat ea esse hoc modo priora, quæ non pendent ex alijs, sed ex quibus alia pendent, quomodo unum non pendet à duobus, sed duo pendent ab uno; quum unum esse queat, ut non sint duo; duo esse nequeant, quin sit unum, quum duo nihil sint aliud quam bis unum. Δεύτερον δὲ [ἕτερον ἑτέρου πρότερον λέγεται] τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν· οἷον, τὸ ἓν τῶν δύο πρότερον. δυοῖν μὲν γὰρ ὄντοιν, ἀκολουθεῖ εὐθὺς τὸ ἓν εἶναι. ἑνὸς δὲ ὄντος, οὐκ ἀναγκαῖον δύο εἶναι. ὥστε οὐκ ἀντιστρέφει ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἡ ἀκολούθησις τοῦ εἶναι τὸ λοιπόν. *Secundo [aliquid altero prius dicitur] quod non reciprocatur secundum existendi consecutionem. ut unum duobus est prius: nam si duo sunt, statim sequitur unum esse. quare non reciprocatur, ut, si unum sit, sequatur reliquum esse.* Idem repetit, sed planioribus verbis, quinti Metaphysicorum undecimo: Τὰ δὲ κατὰ φύσιν [πρότερα λέγεται] ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή. *Alia autem naturâ [priora dicuntur] quæ ejusmodi sunt, ut sine alijs esse possint, non item sine eis alia.* & in eandem sententiam ibi ait, accidens esse ratione prius ipso toto, quod ex subjecto & accidente constat. Καὶ κατὰ τὸν λόγον δὲ τὸ συμβεβηκὸς τοῦ ὅλου πρότερον, οἷον τὸ μουσικὸν τοῦ μουσικοῦ ἀνθρώπου· οὐ γὰρ ἔσται ὅλος ὁ λόγος ἄνευ τοῦ μέρους, καίτοι οὐκ ἐνδέχεται μουσικὸν εἶναι, οὐκ ὄντος μουσικοῦ τινός. *Ratione etiam accidens prius est toto ipso, ut musicum, homine musico. non enim erit tota ratio sine parte; tametsi fieri non potest, ut musicum sit, nisi aliquid sit musicum.* ad quæ verba ita Fonseca in commentarijs, *Etsi musicum est ratione posterius homine; ut accidens subjecto, tamen ut est pars hominis musici, prius est ratione quàm homo musicus.*

Ex-

Ex hisce evidentissime sequitur, & quasvis partes totis suis, & Formas compositis esse natura priores, ex ipsius Aristotelis judicio; quod ipsum & Aristotelici non pauci aperte profitentur. Etenim Pererius ait, *Prioritate naturæ Formam sine dubio esse priorem composito; quia ordine naturæ causa sit prior effectu, simplex composito, pars toto.* Et similiter Mercenarius, *In generatione ex Materia jam disposita id, quod primo oritur, & in esse erumpit, Forma est. enimverò quum Forma ipsius compositi Causa sit, necessario ipsum praire debet: non prius inquam tempore, quoniam hæc simul tempore fiunt, sed natura & causalitate.* Imo ipse Suarez, qui in hac tractatione ita loquitur, ut Formæ prioritatem absolute neget, postea tamen Disputatione 26. sect. 2. diserte ait, generale illud Aristotelis pronunciatum, *Causam esse naturâ priorem effectu suo*, in Forma quoque, non minus quàm in alijs Causis, verum esse; Formamq; naturâ prius esse, quam Compositum. Si ergo non veritas modo, sed Aristoteles quoq; decernit, Partes atq; Elementa esse priora natura Totis atque Compositis; siq; id, quod naturâ prius est, non potest esse generatione posterius eo, quod est naturâ posterius; omnino absurdum dictu est, Compositum prius fieri quàm Formam; contraq; potius dicendum, Formam primò fieri, ac Compositum secundario. & si id, quod secundario fit, consit seu congeneratur ei quod fit primo, non Forma Composito, sed Compositum Formæ congeneratur. Cap. I. 6. Phys. 5. Dilucid. 48.

LXII. Ad eam verò rationem, quę à Suarezio alijsq; affertur, cur Compositum debeat primo fieri, Forma autem confieri; facilis est responsio. *Ejus est* (inquit) *per se primò fieri, cujus est esse; idq; proprie est quod subsistit. Formæ autem non subsistunt, sed Composita.* ad quod nos breviter dicimus, non ea tantum esse proprie, quæ subsistunt (quo pacto ab ipsis subsistendi vocabulum sumitur pro eo existendi modo, quo suppositi existunt) sed & ea, quæ rerum ita subsistentium partes sunt. sane totum suppositi *esse* veluti precarium est, ac pendet à partibus ipsius

 essen-

Cap. I. essentialibus, quum ipsarum partium *esse* non pendeat à Composito, sed ex sese sint id quod sunt, suumq; *esse* conferant ad *esse* Compositi constituendum. Quamobrem Materia prima & Forma (si illæ sunt partes essentiales substantiarum compositarum, ut in Peripato supponitur) non modo sunt prius naturâ, quam compositum, uti modo ostendimus; sed & sunt magis proprie, quam ipsum: uti ex hac dissertatione liquet. nam quod non existunt per se (hoc est, ex eorum sensu, separata) hoc nihil ad rem facit, neq; vera rei essentia ex eo spectanda est, quod ita per se vel non per se existat, quum hoc nihil faciat ad verum rei esse constituendum aut variandum; cujus assertionis vel sola anima humana fidem fecerit; cujus una eademq; est essentia, quando corpori juncta, unum Compositum cum eo constituit, & quando ab eo sejuncta, per sese existit separata. Si ergo ejus est primò ac proprie fieri, quod primò ac proprie est; non Compositum primò ac proprie fit, sed ipsa Forma, quæ uti naturâ prior est Composito, ita & magis proprie est; quippe quidquid est, id est ex sese ac suopte marte, quum Compositum esse suum non ita habeat, sed totum dependens ac tanquam communicatum à partibus suis, quarum Peripatetici Formam dicunt esse præcipuam; adeo quidem ut multi ipsorum totam Compositi essentiam sive quidditatem, ut loquuntur, à Forma arcessant. Quodsi igitur actio, quâ Forma fit, & qua Compositum, Formâ ad Materiam adjunctâ, constituitur, una est; ut Suarezius supponit; non est ejus terminus adæquatus ipsum Compositum, sed Forma; quandoquidem illa & prius naturâ fit, & magis proprie, quàm Compositum, cujus productio & naturâ posterior est Formæ productione, & minus propria, quippe quod non ipsum per se producitur, sed ex partium prius productarum unione consurgit.

Habent quidem & aliam pro se rationem, quæ breviter atq; obscurius à Suarezio in loco supra recitato tacta, apertius à Mercenario sic proponitur: Dilucid. 48. *Ab Aristotele dicitur Compositum primo ac per se generari & corrumpi, non quia prius origine oriatur aut intereat, quam Forma;*

Forma; sed quoniam objectum est, quod primo & per se ab ipsa generatione respicitur. proinde Compositum dicitur primò & per se generari, ac objectum generationis esse, non autem Forma, tametsi Forma priùs in actum erumpat intereatq́; quàm Compositum. Volunt nimirum, ipsum Compositum esse primarium generantis scopum, ac proinde ejus generationem primario ac per se intendi; generationem autem Formæ non propter se, sed propter ipsum Compositum, in quantum ad ejus generationem est necessaria, neq; generari Compositum potest, nisi ut Forma generetur. Sed hoc adeo eos non juvat, ut potius contrarium, quàm ipsi volunt, inde sequatur, videlicet generationem Compositi esse generatione Formæ posteriorem, idcircoq; non Formam Composito, sed Compositum Formæ comproduci: idq; ex receptissimo illo ac decantato Aristotelis axiomate, quo dicitur Finem, qui fit primus in intentione, esse ultimum in executione; quo ad propositam rem applicato, concludendum erit, quod, si Compositum est ultimus generantis finis, Forma autem subordinatus, Forma prius effici debeat à Generante (si non tempore, saltem ordine naturæ) quàm Compositum; quandoquidem illud, quod non propter se, sed alterius acquirendi aut producendi causa acquiritur aut producitur, omnino ordine acquisitionis vel productionis antecedere oportet illud, cujus acquisitioni vel generationi inservit; uti & per sese liquet, & illa Aristotelis de Fine doctrina manifesto flagitat.

LXIII. Quandoquidem ergo ad tollendas aut minuendas illas de Formarum ortu difficultates, nihil plane faciunt, quæcunq; de Formarum è Materiæ potentia eductione, deq; earum comproductione, aliaq; in eandem rem comminiscuntur Peripatetici, sed vana ac frivola, summæq; absurditatis plena deprehenduntur, sicuti superiori sermone planum fecimus; omnino nihil aliud Aristotelicis restat, ad tuendam suam hanc doctrinam, quod Formæ & sunt Substantiæ, & tum demum fiunt, quando aliquid genera-

Cap.I. tur, idq; ex non præexistenti: quam ut ad Deum ipsum cum Philopono recurrant, ab eoq; dicant Formas in rerum 1. Phys. 9. & 6. generationibus creari; quod & Ramus vidit, ac propterea Metaph. 3. & 7. ipse secutus est, ut Formas ab ipso Deo ex nihilo fieri di- 7. & 12. 1. ceret: imò ostendere quoq; laborat, quòd ipse Aristoteles ita senserit. sed hoc quidem inane est, cum sit omnibus, quicunq; Aristotelis scripta vel à limine salutarunt, quod ipse illam Dei summam potentiam, substantias ex nihilo faciendi, nullo modo agnoverit, sed plane contrarium, docuerit, uti & alij ante ipsum Philosophi pleriq; omnes. & ipsis Peripateticis hoc optime compertum est, qui proinde ipsi quoq; damnant (uti & supra diximus) hanc Philoponi opinionem, & in quævis potius incommoda se induant, quam ut huc confugiant, dicantq; Formas à Deo fieri: solis mentibus humanis exceptis, quas quotidie ad singulorum hominum productionem ab eo creari asserunt. De reliquis autem omnibus Formis contentissime negant, Dei omnipotentiam se ad earum productionem interponere: & sic omnem sibi ipsis viam intercludunt, ex hac difficultate evadendi; quum nulla creatura, ipsis itidem fatentibus, polleat hac vi, ut substantiam ex nihilo producere valeat; & Formæ tamen è nihilo producantur, ex planissima ipsorum confessione, damnatis etiam omnibus ijs, qui in hoc ab ipsis dissentiunt, Formasq; ex præexistenti fieri affirmant. Herculeum est igitur hoc contra Formas substantiales argumentum, ab earum origine desumtum; siquidem substantia nulla ex nihilo fieri potest, nisi à vi infinita, quam ab hoc negotio ipsi Aristotelici excludunt; & Formas ex nihilo fieri, ipsi fatentur; neq; quicquam efficiunt ineptissimis effugijs, quibus planissimæ huic confessioni postea rursus obluctantur: quum nos planum fecerimus, quicquid ex nihilo fit, simpliciter & absq; ulla exceptione ex nihilo fieri debere.

LXIV. Una videtur illis relicta ratio ad effugiendum ex his angustijs, si nimirum Alexandro accedant, qui nullam aliam agnoscit Formam, ne in hominibus quidem, nisi Formas Elementorum certa proportione in quocunq;

misto concurrentium, atq; sua harmonia velut unam Formam constituentium. hoc enim si sequantur, non urgebuntur illa difficultate, ut substantiam creent ex nihilo. sed hæc opinio dum unam vitat absurditatem, in alias incidit complures, quas Aristotelica de Formis doctrina ferre nullo modo potest, unde & Peripatetici pleriq; illam damnant pro ineptissima,& quovis potius se redigi patiantur,quam ut illam approbent; qua in re sufficiet Scaligerum produxisse testem, qui & alibi multis in locis in Alexandri hanc opinionem invehitur, & præcipue Exerc. 307. 20. ubi hunc ad modum scribit: *Sunt enim invenustissimi, inscitissimi, infelicissimi omnium mortalium,qui putant ex multiplici Materia (hoc enim sunt Elementa) atq; ejus Formis contaminatis,posse per se fieri Formam unam, quæ totius molis autor sit existendi, sine adventu Formæ externæ unius, qua totum istud in fide atq; officio continuitatis atq; unitatis contineatur.* & multa addit in eandem sententiam. Nam de opinione illa, quam in Controversiis secutus est Cardanus, & Averroi quoq; ascribit, Formam Mixti inanimis, & similarium quoque partium in stirpibus & animalibus, esse Formam Elementi prædominantis, nihil attinet verba facere. essent enim omnia Mixta nihil nisi terra aut aqua, quippe in quibus terræ aut aquæ Forma prædominatur, argumento ipsius Cardani, qui Elementum illud dominari concludit, cujus motu Mixtum movetur. ast moventur omnia Mixta deorsum; qui motus cum soli terræ & aquæ competat, vel hujus vel illius Forma in omni Mixto prædominabitur; & quia Forma dat esse rei, necessario omnia Mixta erunt aut terra aut aqua, quum terræ vel aquæ Formam obtineant; quod delirium indignum est,de quo plura verba faciamus.

LXV. Et hactenus quidem de Formarum origine. sed & ab earundem interitu desumere licet eandem argumentationem. Etenim substantiam aliquam in nihilum redigi, æque est impossibile, atq; ex nihilo creari, nisi ab ipso & solo Deo. quare si Formæ in nihilum abeunt, neq; id fit ab ipso Deo (quod certe neq; est verisimile, stante hac mundi machina,

Cap.I.

machina, quotidie aliquas ejus partes à Deo in nihilum reduci; neq; ab ipsis dicitur uspiam) relinquitur, ut nequaquam sint substantiæ, quod per se evidens, juvat tamen ex ipso Scaligero amplius deducere. Is commentario in primum de Plantis probaturus ex Aristotelicis principijs animæ immortalitatem, ita fatur: *Si è nihilo nihil fieri potest, igitur id quod est aliquid, in nihilum reverti nequit. par enim ratio creationis & corruptionis. Præterea cum triplex substantia sit, Materia, Forma & Compositum ex utroq́, hoc quidem Compositum dicitur generari, Materiam scilicet ineunte Forma; eadem verò abeunte corrumpi. Sane ipsa Materia neutiquam per se corrumpitur, nempe semper obtinet suum τὸ Ὑ: sed per accidens corrumpitur, cum aliam subit Formam. at Forma quum longe sit nobilior quam Materia, tanto minus corrumpi illam decet. si enim quod fit, ut sit hoc, id est Materia ipsa, non aboletur; tanto minus abolebitur quod facit ut illa sit hoc. Ad id confugient ut dicant in Materiæ potentiam reverti, unde etiam Formæ omnes educantur. sed cum Materia, quæ est ignobilior, existat aliquid actu semper; igitur extare quoq́ semper actu Formam, quæ nobilior est, necesse est: præterea non esse Formas in Materiæ potestate, nisi quatenus earum susceptibilis est:* hæc ille quidem non pro omni Forma, sed pro anima humana. quominus tamen cunctis Formis ista sint communia, causa dici nulla potest. quod cum ipse videret, neque tamen vellet alias Formas ab interitu Compositi manere, in fine disputationis illius ait, ista à se prolata, ut eorum, qui animę immortalitatem negant, desperatam contumaciam quatefaceret, non quod ipse sic sentiret: sequeretur enim, Formas certo numero esse circumsciptas, id quod à Veritate prorsus penitusq; sit alienum. Nihil attinet nunc quærere, quam sapienter factum sit, tantam rem, quanta est animæ immortalitas, contra tam desperatæ contumaciæ adversarios, ejusmodi probare argumento, quod ipse pro vero admittere non audeas; hoc dicimus, sive ita senserit Scaliger, sive non, inevitabiliter sequi ut illa, quæ ibi dixit, vera sint, non de

anima

anima tantum, sed de omni Formâ, si Forma est substantia. Cap.I.
Itaq; & quæ alibi in eundem disputat finem, nihilo magis pro Anima faciunt, quam pro Forma, & si vera sunt de illa, sunt etiam de ista. ita enim argumentatur; *Animam esse simplicem & omnis compositionis expertem; proptereaq; cum è partibus non constet, ne in partes quidem resolubilem esse. & neq; ita posse corrumpi, ut in nihilum evanescat; quia sic è converso fieri etiam aliquid ex nihilo naturaliter posset, quod est contra decreta omnium Peripateticorum.* Exerc. 307. sect. 14. & 20.
hæc quin in omnes æque quadrent Formas, ac in mentes humanas, afferri nihil potest; ac propterea, si intereunte composito intereunt etiam Formæ, substantiæ non erant, siquidem in nihilum redigi substantia nequaquam potest. ast interire eas, tum sequitur necessario ex isto axiomate, Quod Formæ, præter Mentem, sunt inseparabiles, neque aliter nisi in subjecto subsistere ullo modo possunt: tum ab ipsis dicitur Peripateticis. Scribit enim Vicomercatus, *Post rei interitum nullam manere Formam, excepta sola anima humana*; & sic alij quoq; scribunt, Omnem Formam materialem esse interitui obnoxiam. materiales autem vocant Formas omnes præter Mentem. Pleriq; tamen silentio hunc scopulum prætervehuntur, & in fusissimis de Naturali philosophia tractationibus, inter innumeras, & sæpe admodum futiles quæstiones, verbum de hac re nullum faciunt, neq; omnino attingunt, quid de Formis fiat, ubi res, quarum Formæ sunt, intereunt. si tamen urgeantur, dicere aliud non poterunt, quam quod quidam eorum ingenue confessi sunt, Re intereunte, Formas unà interire. namq; si non intereunt, maneant necesse est. ast manere neq; in Materia illa, quam prius informabant, neq; extra illam possunt. non in ipsa, quia Forma specifica nova introduci in Materiam ex eorum decretis non potest, nisi pristina prius aboleatur. non extra ipsam, cum statuant Formas esse inseparabiles. itaq; interire necesse est. 2 Princ. nat. 9.

LXVI. Nimis autem est puerile, hunc nodum solvere axiomate isto Aristotelico, de quo supra tam multa dixi-

Cap. I. mus, nimirum non Formæ aut Materiæ, sed composito, ut Generationem, ita & Corruptionem competere; proptereaq; Materiam & Formam non nisi per accidens, ut generari, ita & corrumpi. hanc evasionem tanti facit Averroes, ut plurimis in locis illam repetiverit. sed nihil facilius, quam ipsius futilitatem ostendere. etenim de Materia prima quid sibi velint, quando eam interire negant composito intereunte, facile est intellectu. de Forma autem adeo est absurdum, ut quomodo id fiat, ne imaginari quidem possis. Materiam enim manere aiunt, & nihil aliud pati, nisi quod novam Formam induat. ast Formam manere, aut per sese existentem seorsim, aut immigrantem in Materiam novam, hoc verò ipsi pernegant. ast si non manet, interit. aut quæ dementia est, fateri aliquid desinere esse, & negare tamen illud interire? Interit igitur Forma; & si interit, nihil nostra interest, per sese an per accidens interire dicatur. Et tamen hoc ipsum falsum est, interire illam per accidens, cum potius è contrario ipsum Compositum per accidens interire dicendum sit, quippe quod non interiret, si Forma maneret. interit igitur, quia Forma interit, & propterea interit per accidens, quippe interiens ad interitum alterius. & certe Compositum non est re ipsa aliquid extra partes componentes; neq; corpus naturale, ex Materia & Forma Compositum, est aliquid tertium ab illis, nisi in intellectu. revera enim nihil est aliud, nisi Materia Formæ juncta, ex Peripati decretis; proptereaq; ne datur quidem ulla affectio, quæ primario fit ipsius, sed quicquid ipso fit, id fit aut ratione Materiæ, aut ratione Formæ, aut utriusq; simul. jam Materiæ neq; per se soli, neq; junctim cum Forma, competit aut ortus aut interitus, nisi improprie loquendo, quandoquidem & ante ortum Compositi ipsa erat, & post ejusdem obitum ipsa manet, ne mutationem quidem ullam passa essentialem, sicut ipsi docent. ast Forma cum Composito & esse incipit & definit, neq; aliud est Compositi generatio & corruptio, quam ipsius Formæ in Materia ortus & obitus. tunc enim unamquamq; rem generatam esse dicunt, quando in Ma-

teria incipit existere talis Forma; & tunc corruptam, quando Forma illius interijt. unde facile est colligere, rem prorsus contrario modo se habere, quam Aristoteles dixerit, & ortum atq; interitum ipsi Formæ primario ac per se competere, Composito tantum per accidens, quippe quod nequaquam totum aut generetur aut corrumpatur, sed altera tantum sui parte, nimirum Formâ, quæ sola & principium habet & finem, cum neutrum cadat in Materiam, utpote æternam ex ipsorum sententia: quod adeo sequitur ex illis Principijs, ut ipse effugere nequiverit Aristoteles, quin id aliquando confiteretur; quod fecit undecimo Metaphysicorum planissimis verbis, Μᾶλλον ἀρχὴ κυριωτέρα τῆς ὕλης δόξειεν ἂν εἶναι τὸ εἶδος καὶ ἡ μορφή. τοῦτο δὲ φθαρτόν. ὥστ' ὅλως οὐκ ἔστιν ἀΐδιος οὐσία, χωριστὴ καὶ καθ' ἑαυτήν. *Videtur principalius Principium, quam Materia, esse species & Forma. hoc autem est corruptibile. itaq; haudquaquam est essentia æterna, separabilis & per se [existens.]* Phrasin autem, *Per accidens*, ita hic usurpamus, quomodo usurpatur in ista re ab ipso Aristotele, & Aristotelicis: quum alioquin haudquaquam probemus, ut ea, quæ necessariâ consequentiâ fiunt, per accidens fieri dicantur. sed cum balbis sæpe nobis, vel invitis, balbutiendum est, ut tanto melius eos in ruborem demus. Confectum igitur est, Formam interire & in nihilum recidere: sicuti antea probatum est, illam ex nihilo oriri

Cap. I.

LXVII. Libet autem tractationem hanc, de Formæ in nihilum redactione, concludere verbis Pererij, viri acutissimi, & Peripatetici percelebris, qui Physicæ lib. 5. cap. 8. expressis verbis dicit, *omnes Formas physicas in rei interitu non solum separari à Materia, ut fit in anima rationali, sed penitus interire: nec tamen Formæ naturalis interitum, esse annihilationem.* Quæ verba profectò talia sunt, ut indignationem moveant vel moderatissimis viris. Quis enim non gravissime indignetur, magnos alioquin viros eo usque θαυμασιωτάτῃ illi philosophiæ fascinandos sese præbere, uti ad tuenda vanissima ejus ac falsissima de-

Cap. I.

decreta, ea proferant, quæ nemo nisi vecors crediderit? Quis enim sibi persuaderi patiatur, posse aliquid penitus interire; & tamen talem interitum non esse redactionem in nihilum, aut (ut ipsi amant loqui) annihilationem? Sed audiamus mirificas sane rationes, quibus inverecundum hoc effatum suffulciatur. prima est: *Alioquin ejus quoq; generatio deberet dici creatio.* cujus argumenti ineptia ex ijs, quæ supra diximus de Formarum origine, per se apparet. sive enim Forma abeat in nihilum, sive non abeat, ejus tamen ortus nullus relinquitur, nisi ut ex nihilo creetur: quandoquidem nulla substantia aliter nisi vel ex præexistenti fit, vel ex nihilo creatur; ipsi autem Formam ex præexistente fieri, acerrime negant; ut necessarium sit, si substantia est, ex nihilo creari: quod cum non fiat, neq; ipsi fieri velint, inde confecimus quod ipsa nequaquam sit substantia. Altera Pererij ratio, cur Forma, cum penitus intereat, tamen dici non possit, in nihilum redigi, hæc est: *Quod per eandem vim & dispositiones, quibus una Forma deletur ex Materia, continuo excitatur altera inhærens in eadem Materia; & sic corruptionem naturalem semper immediate consequitur generatio: cum necesse non sit, ut annihilationem sequatur semper alterius rei productio.* Profecto tam inanis est hæc ratio, ut nos pudeat eam refellere. faciendum tamen est, cum jam factum nobis sit, cum vanissimis opinionum & axiomatum larvis luctari. Dicimus igitur ad rem nihil pertinere, an aliquid in rei abolitæ locum succedat; neq; eo effici, quominus illa dici possit esse abolita penitus, &, si ita fors ferat, in nihilum redacta. alioqui ne aeris quidem frigus annihilatum erit (ut sic dicamus) quando à Sole vel igne calor in eum introducitur. namq; & hic abolitionem unius rei, sequitur immediata alterius productio. Quod si ne accidentia quidem inveniunt à successore solatium aut auxilium, quominus in nihilum abierint; imò si hoc ipso in nihilum abierunt, quia successorem acceperunt; sane potiori jure id de substantijs dicendum erit. Si enim Formæ sunt substantiæ, neq; duæ Formæ possunt magis subsistere simul in una Materia,

ria, quam summus calor & summum frigus eodem tempore in eodem subjecto; neq; tamen Formæ uni plus unâ assignatur Materia, è qua ubi emigraverit, nullum aliud in mundo pateat misellæ receptaculum: quis non videt, à succedente Forma adeo nullum esse pereunti Formæ præsidium, quominus in nihilum abeat; ut ex eo ipso, quod altera ipsi Forma successit, certissime concludere liceat, eam in nihilum redactam. eo ipso enim indivisibili temporis momento, quo nova Forma in Materiam fuit introducta, pristinam emigrare necesse erat. emigranti autem cum nullum alibi præsto esset domicilium, neq; consistere sola posset; nihil aliud relinquebatur, nisi ut in nihilum abiret. nimis igitur mirabiles sunt istæ præstigiæ, dicere, aliquid non esse ibi, ubi fuerat prius, neq; esse alibi uspiam in universa rerum natura, & non esse quicquam omnino; & tamen non in nihilum esse redactum. sed de Pererij verbis satis. Quandoquidem igitur confecimus, Formam & oriri è nihilo, & in nihilum abire; cum neutrum cadat in substantiam (ex unanimi ipsorum quoq; Peripateticorum consensu) ut nimirum aut fiat ex nihilo, aut in nihilum abeat: efficitur necessario, Formam minime esse substantiam, propterea; vanam esse ac futilem totam Peripateticorum de Forma doctrinam, utpote nixam hoc fundamento, Quod Forma sit substantia. Cap. I.

LXVIII. Namq; sensisse Averroem, quod ipsi attribuit Fernelius, propriam partium similarium Formam esse ipsius temperamenti rationem; veremur ut pro vero admittant Peripatetici. dixit id quidem tum alibi, tum præcipue 1. Coll. cap. 1. sed & contrarium dixit locis non paucioribus; & si non dixisset, erroris illum notassent haud dubie Aristotelici, quibus nihil ægrius est, quam quod Galenus nullam aliam agnoscit Formam, non in Elementis modo, sed & in Compositis, præter illas quatuor qualitates, & illarum temperamentum: adeoq; hæc res cunctis videtur absurda, ut ne ipsi quidem Galenici audeant hic præceptoris sui partes tueri, sed eo deserto in Aristotelis ca- 2. Abd. 7.

Cap. I.

ſtra transfugiant, aut omnes, aut maxima ſaltem pars. hoc ipſum tamen debuerat illis anſam haud ſpernendam miniſtrare, altius de fictitia illa Forma ſubſtantiali cogitandi, quam à tanto viro non repudiatam modo ſcirent, ſed tantopere damnatam, ut indignam duxerit, cujus vel mentionem ullam faceret. namq; in immenſa iſta librorum turba, quæ ad manus noſtras pervenit, ne ipſum quidem nomen Formæ Ariſtotelicæ unquam comparet, niſi ſemel aut iterum. Per Totam enim Subſtantiam, & Proprietatem Subſtantiæ, quam toties ad partes vocat, ubi cum ſua Craſi expedire ſe in reddendis cauſis non poteſt, qui Formam intelligendam putet, haud ſatis ſe in ſcriptis ipſius verſatum oſtendat. utcunq; enim interdum Temperamentum & Totam Subſtantiam velut res admodum diverſas inter ſe opponat, ſemper tamen eo revolvitur, ut hæc rurſus inter ſe confundat, quod jam ante nos annotavit, & exemplis aliquot docuit, magnum Medicinæ columen Sennertus. (5. Inſt. part. 1. ſect. 1. cap. 2.) idq; ut magis etiamnum conſtet, nos ijs, quæ ab eo allata ſunt, nonnulla adhuc addemus. Quarto ſimpl. cap. 15. diſerte ſcribit, ut plus de hoc vel illo Elemento ineſt in aliquo Compoſito, ita exurgere illam ſubſtantiæ proprietatem. Ενια μὲν γὰρ πυρὸς ἔχει πλεῖον, ἢ τῶν ἄλλων ϛοιχείων, ἔνια δὲ ὕδατος, ἄλλα δὲ, εἰ οὕτως ἔτυχε, γῆς, ἔνια δὲ ἀέρος. ἐξ οὖν τῆς τοιαύτης ἀνισότητος αἱ τῶν κατὰ μέρος σωμάτων ἰδιότητες ἀποτελέσθησαν. *Quædam enim habent plus ignis, quàm aliorum elementorum, quædam plus aquæ, alia, ſi ita uſu veniat, plus terræ, quædam autem aeris. ex tali igitur inæqualitate particularium corporum proprietates conſtituuntur.* & qui paſſim totam alimentorum rationem, & cur illo, quo unum animalis genus nutritur, aliud nequaquam nutriri poſſit, referat ad (3. Facul. nat. 10. 7. de uſu par. 8.) κοινωνίαν τινὰ καὶ συγγένειαν καὶ οἰκειότητα ἐν ταῖς ποιότησι, *communicationem quandam & affinitatem & familiaritatem in qualitatibus*: & tertio Simpl. 6. dicat illam οἰκειότητα fieri κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας, *ſecundum proprietatem totius ſubſtantiæ*: quod & repetit 4. ſimpl. 10. Τροφαὶ μόνα τὰ σύμφυλα καὶ οἰκεῖα ταῖς ὅλαις τῶν τρεφομένων οὐσίαις· καὶ διὰ τοῦτο καὶ

τῶν

τῶν ἐδεσμάτων καὶ τῶν φαρμάκων οὐχ' ἓν εἶδος ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστί. κατὰ γὰρ τὴν οἰκείαν ἕκαστον αὐτῶν οὐσίαν τε ἅμα καὶ διάθεσιν ἥδεταί τε καὶ ὠφελεῖται πρὸς ἀμφοῖν. *Ea sola alimentorum vicem præbent, quæ sunt cognata & familiaria totis substantijs eorum quæ nutriuntur. ideoq́, non est omnibus animalibus unum idemq́, ciborum atq́, medicamentorum genus. quippe ipsorum unumquodq́, pro peculiari substantia simul atq́, dispositione delectetur & juvatur ab ambobus:* alibi tamen hanc totius substantiæ affinitatem ad temperamenti leges revocat. Ἐπειδὴ τὰ μὲν μᾶλλόν ἐστιν οἰκεῖα τῇ τοῦ σώματος ἡμῶν φύσει, τὰ δὲ ἧττον, καὶ τὰ μὲν ἐν τῇδε τῇ συζυγίᾳ τῆς κράσεως, τὰ δὲ ἐν τῇδε. *Quandoquidem alia sunt magis familiaria naturis corporum nostrorum, alia verò minus: & alia quidem in hac temperamenti conjugatione, alia verò in alia.* & capite sequenti nihil nisi calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem crepat, quorum moderatione aut excessu fiat, ut aliud alijs sit familiare alimentum, vel secus. Similiter cum 5. simpl. 1. dixisset, Deleteria, sicut & purgantia omnia, & antidotorum ac attrahentium pleraq;, ἀλλοιοῦν καθ' ὅλην ἑαυτῶν τὴν οὐσίαν, *alterare secundum totam sui substantiam*, quod & repetit cap. 17. inquiens attrahentia illa agere οἰκειότητι ποιότητος, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐστίν, ἢ ὁμοιότητι τῆς ὅλης οὐσίας. *proprietate qualitatis, quod nihil aliud sit, quàm totius substantiæ similitudine.* quam totius substantiæ similitudinem, mox directo opponit crasi, quippe Antidota ἀλλοιοῦν ἤτοι κατὰ τινα ποιότητα μίαν, ἢ συζυγίαν ἐκ δυοῖν, ἢ κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας: *alterare aut secundum unam aliquam qualitatem, aut conjugationem ex duabus, aut secundum totas substantias:* eodem tamen in loco ad temperamentum rursus recurrit, εἰδέναι χρὴ τὰς δηλητηρίους ἁπάσας δυνάμεις ἐναντιωτάτας οὔσας τῇ κράσει τοῖς ὑπ' αὐτῶν βλαπτομένοις σώμασι: *sciendum est, omnes lethiferas qualitates maxime contrarias esse temperamento corporum, quæ ab ipsis læduntur.* E quibus satis apparet, eum ex aliorum sententia locutum esse libro περὶ συστάσεως cap. 11. quando

Cap. I.

4. Simpl. 15.

5i. Crassitate, calore, frigore, humore, siccitate.
4i. figuritate, rotunditate, quadratitate, obliquitate, angularitate.

Cap. 18.

Cap.I.

ait τὴν ὅλην οὐσίαν συνίστασθαι ἐκ συναμφοτέρων, τοῦ τε εἴδους, καὶ τῆς ὑποδεχομένης αὐτὸ ὕλης; *totam substantiam constare ex duobus, è Forma, atq; ex Materia ipsam suscipiente*, quæ verba videntur omnino Aristotelicam Formam approbare. reverâ tamen ne illic quidem aliam intelligit Formam, quam temperamentum, quod evidenter apparet ex his verbis: χρὴ γὰρ οὐ μόνον, ὅτι θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ κερασθέντων, ἕκαστόν τι γίνεται μορίον, ἐγνωκέναι τὸν ἰατρὸν, ἀλλὰ καὶ κατ' εἶδος ἐπελθόντα, τίς μὲν ἡ τῶν ὀστῶν ἐστι κρᾶσις, ὁποία δ' ἡ τῶν σαρκῶν τε καὶ νεύρων καὶ φλεβῶν, ἑκάστου τε τῶν ἄλλων τῶν ἁπλῶν. *Oportet enim medicum nosse, non modo quod calido, frigido, humido, atq; sicco inter se contemperatis, unaquæq; pars fit, sed & specialiter inquirere, quod sit temperamentum ossium, qualeq; illud carnium, nervorum, venarum, & uniuscujusq; similarium.* Alias autem per τὸ εἶδος intelligit non Aristotelicam sed Democriteam Formam, τὸ σχῆμα nimirum καὶ τὴν σύνθεσιν, *figuram atq; compositionem*, quod apparebit, siquis cap. 12. & 13. sexti de Usu partium legerit; ubi longo sermonis tractu de Causis agens, quatuor illis, quas ipse ponit, Scopo, Efficienti, Materiæ, Instrumentis, vix dignam putat quæ annumeretur quintam hanc, quam τὸ καθὸ & τὴν κατὰ τὸ εἶδος αἰτίαν, *id secundum quod, & formalem Causam*, appellat. qualia etiam sexti de Sanitate tuenda capite tertio ab ipso proferuntur.

LXIX. Cum igitur viderent tum Medici tum Philosophi, repudiatam fuisse à Galeno Formam substantialem, in suspicionem venire debuerant, non sine Causa factum id ab ipso fuisse. Quanquam enim nos nullius hominis autoritatem in quacunq; Philosophiæ parte valere quicquam velimus, nisi quatenus argumentis tueri se ipsam potest; cum illis tamen alia res est, qui omnia autoritatibus metiuntur. quare illi in tanti momenti re tanti viri judicium non debuerant ita neglectui habere; qui præsertim nec primus nec solus hoc Formæ commentum rejecit: quandoquidem

dem universa Stoicorum secta illam similiter damnavit, quamquam informem illam Materiam primam cum Aristotele agnoscerent. Attamen & ex illa communi Materia quatuor, Elementa, & ex Elementis omnia fabricabant, absq; ulla Forma substantiali, sola novarum qualitatum introductione contenti; quæ ipsa Platonis quoq; fuit Philosophia, uti ex Timæo clare apparet, quicquid Aristotelici in contrarium dicant. Non solus igitur Galenus, sed cum Stoicis secutus Platonem, veteresq; Philosophos ad unum omnes, quorum nemo istam substantialem Formam agnovit, hac in parte ab Aristotele discessit. neq; obest, quod à veritate & ipse non minus aberraverit cum sua Crasi, quam Peripatus cum Forma substantiali. facilius enim est, etiam maximis ingenijs, commissos ab alijs errores animadvertere, quam Verum invenire, inq; eorum locum substituere. Scimus quidem mancipia Aristotelicorum deliriorum solere amarulento dente Galenum proscindere, quod avidissimus carpendi se meliorem, sola obtrectandi prurigine, non Veritatis amore, in Aristotelem incursaverit, quoties aliquid in ipso redarguit. ast non Galenum, sed ipsos calumniandi studio nimium indulsisse, satis notum est omnibus, qui in Galenicis scriptis versati. quippe quod de seipso prædicat, ὅτι δούλους ὀνομάζει τοὺς ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντας ἀπό τινος ἀνδρὸς, ἐκλέγοι δὲ τὰ παρ' ἑκάστοις καλὰ, *quod servos nominet eos, qui ab ullo viro denominationem sibi assumunt, quodq; eligat quæ apud unumquemq; egregia sint*, apparet illum re ipsa studuisse implere: & si non semper optima elegit, non ipse, sed communis mortalium cæcitas accusetur: fecit quod in se erat; elegit quæ optima ipsi videbantur; neq; quicquam ipsi propterea minus placuit, quia Aristoteli placuerat, si verum id esse judicaret. imo in talibus solet cum perhonorifica mentione laudare Aristotelem ejusdem sententiæ autorem. & venia illi esse debuit Aristotelem reprehendendi, qui ne Hippocratem quidem (cui tantum ipse tribuit, quantum nemo ignorat) sustineat parcere, ubi ipsum Veritati parum consentanea locutum esse existmat: præsertim cum illa, in quibus Aristotelem castigat, sint

Cap. I.

De propr. libr.

Cap. I.

pleraq; adeo enormia ac portentosa, ut ipsa illa monstra, in quæ sententias Priscorum nequaquam ita pravas, sæpe etiam optimas, passim transformavit ac deformavit Aristoteles, aut æquent, aut antegrediantur; quicquid obstinati nugentur pro suo Præceptore ac contra Galenum Peripatetici. Et quam non obtrectandi studio ista coarguerit Galenus, vel hinc apparet, quod tam pauca attigit è tam grandi sylva. certe præter illa, quæ nos toto hoc opere, ipsa instituti hujus necessitate coacti, in medium producimus, tot adhuc Aristotelis errores supersunt, ut magnum ijs volumen implere possemus, neq; tamen quicquam eorum, quæ Ramus aut alij ante nos exagitaverunt, attingeremus. Sed & à candore nostro plurimum abest illa alienam Famam ex professo traducendi rabies, & ab instituto nostro, cum propositum nobis sit, Veritatem docere, non aliena errata παραδειγματίσαι, illis tantum exceptis, quæ nisi demoliamur, nostra introducere non possumus.

Job. 6. 24. Si docueritis me, tacebo. [illegible]

Et eundem quoq; Galeni animum fuisse, nemo nisi odio & iræ indulgens negabit; ac proinde ille, qui & vivebat eo tempore, quo Peripatetica Philosophia summopere in scholis florebat, & amicis ex illa secta utebatur quam conjunctissimis, & permulta ejus placita retinebat ac sequebatur, nunquam principale hoc illius caput sustulisset, nisi multæ magnæq; absurditates, quibus id est implicatum, hoc ipsi suasissent. quod tamen non in eum finem proferimus, ac si Galeni de Forma judicium pro argumento valere deberet. imo nisi aliunde, ac solidis rationibus, fecimus planissimum, Formam Aristotelicam esse figmentum merum, fidem nullam aut nobis aut ipsi haberi postulamus.

§. LXX. Iis autem ex abundanti addatur locus ille ex Aristotele, ubi Formam statuens extrinsecus[x] advenire, & esse aliquid per se subsistens, etiam priusquam compositum constituere incipiat, apertissimè suis de Forma placitis ipse contradicit, inter quæ Inseparabilitas est unum ex præcipuis, sicut omnibus notum est, qui Peripateticam Philosophiam

x seu altrinsecus à materia.

ſophiam vel à limine tantum ſalutaverunt, & nos jam antea attigimus. Eſt autem ille locus in primo de partibus, cap. 1. ubi longa oratione deducit, Animæ conſiderationem ad Naturalem philoſophum pertinere, quia Naturæ vocabulum etiamſi Materiæ quoq; tribuatur, præcipue tamen Formæ competat, quæ etiam ſit καὶ ὡς ἡ κινοῦσα, καὶ ὡς τὸ τέλος, *& tanquam Cauſa movens, & tanquam finis*, Forma autem in animalibus ſit Anima, aut Animæ pars una, vel plures. non dicit Animam ſimpliciter, quia τὸ νοητικὸν, *partem intelligendi vi præditam*, diſerte excludit, quippe quod non ſit κινήσεως ἀρχή, *principium motus*. itaq; vult tribus tantum illis Animæ partibus (partes ipſe appellat) competere, ut Natura ſint ac dicantur, Vegetativæ, Senſitivæ, ac loco motivæ : quarum unaquæq; ſit Principium certi motûs, prima αὐξήσεως, *augmenti*, altera ἀλλοιώσεως, *alterationis*, (quam recte hoc, ipſius diſcipuli viderint) tertia φορᾶς, *lationis*. Hiſce ita conſtitutis, pergit, hoc motus Principium ac Cauſam nos habere ex Vniverſo, ſicuti indidem habemus Elementa, è quibus corpora noſtra conflata ſunt, φαίνεται γὰρ ὥσπερ ἐν τοῖς τεχναστοῖς ἐστὶν ἡ τέχνη, οὕτως ἐν αὐτοῖς τοῖς πράγμασιν ἄλλη τις ἀρχὴ καὶ αἰτία τοιαύτη, ἣν ἔχομεν, καθάπερ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, ἐκ τοῦ παντός. *Apparet enim, ſicuti in arte factis eſt ars, ſic in ipſis rebus [naturalibus] aliud quoddam Principium & Cauſa ejuſmodi, quam habeamus ex Vniverſo, itidem ac calidum & frigidum*. Verba ſunt apertiſſima, neq; ullus patet effugio aut excuſationi locus. néque enim de Mente hæc intelligi poſſunt, quam expreſſiſſimis verbis ibi negat, eſſe tale motus Principium, ac ſunt reliquæ Animæ partes ; neq; de ſpiritu illo cœleſti, quem Animę ac Corporis vinculum facere ſolet ; quia Spiritus ille non eſt ipſi Anima, aut Animæ pars ; & propterea non illud motus Principium. Videtur quidem in prioribus iſtius diſputationis verbis tanquam dubitabundus in incerto poſuiſſe, ipſáne anima ſit Forma animalis, an aliquid præter ipſam, ſed ipſi tamen conjunctum individuo nexu, ſpiritum illum haud dubie innuens ; δῆλον τοίνυν ὅτι οὐκ ὀρθῶς λέγουσι,

Cap. I. καὶ ὅτι λεκτέον ὡς τοιοῦτον τὸ ζῷον, καὶ περὶ ἐκείνου, καὶ τί καὶ ποῖόν τι τῶν μορίων ἕκαστον; ὥσπερ καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς κλίνης, εἰ δὴ τοῦτό ἐστι ψυχὴ, ἢ ψυχῆς μέρος, ἢ μὴ ἄνευ ψυχῆς. ἀπελθούσης γοῦν· οὐκέτι ζῷόν ἐστιν, οὐδὲ τῶν μορίων οὐδὲν τὸ αὐτὸ λείπεται, πλὴν τῷ σχήματι μόνον. *Liquet itaq; quod non recte dicant, & quod dicendum sit, quod ejusmodi est animal; ac de ipso, quid sit ac quale quid unumquodq; membrum, sicuti & de Forma lecti, si modo hoc est anima, aut animæ pars, aut non absq; anima. sane ubi abierit, non amplius animal est, neq; ullum membrum relinquitur idem, nisi figura duntaxat.* sed in progressu satis mentem suam aperit, neq; aliud quid ab ipsa anima ad illam dignitatem admittit, ut sit animalis Forma & Natura. Cum autem dicat, nos habere hanc Naturam ἐκ τοῦ παντὸς, omnino sensit, eam aliquid fuisse, etiam antea quam nos illam haberemus. Non enim hæc ita exponere licet, ac si id intellexisset tantum de ratione effectionis, ut τὸ πᾶν sit cœlum, quod & alibi sic appellat; & multis in locis vult concurrere ad rerum generationem. hæc, inquimus, expositio locum habere non potest, ob adjuncta illa verba; καθάπερ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, quæ etiam cogunt τὸ πᾶν non de cœlo accipi, sed de Universitate rerum. non enim è cœlo veniunt Elementa in mixta (cum ibi nulla sint Aristoteli.) sed è mole Universi. Apparet igitur vel ex ipso Aristotele, quid de Forma illa substantiali inseparabili sentiendum sit, cui ipse tam parum confisus sit, ut pro ea nescio quid extrinsecus arcessitum in mista introduxerit; quod ejus officio fungeretur. Nam quæ de Animalium Forma dixit, generalius ad omnes aliarum rerum Formas transferri nihil vetat, cum nullam hic differentiam constituant Peripatetici, &. omnem Animæ aut partem aut speciem, præter solam Mentem, faciant ejusdem conditionis, ac Formam aliam quamcunque, quantum ad existentiam earum, ortumq; ac interitum attinet. itaq; ut reliquas Formas, ita Animas quoq; illas & è Materiæ potestate educi, & Materiæ illigatas, sive ut, ipsi loquuntur, materiales esse volunt, & inseparabiles; quæ omnia hoc Aristotelis

Cap.I. Sect. 20.

telis loco planiſſime evertuntur. Neq; ab eo multum abludunt illa, quæ Exerc. 307. ſcripſit Scaliger, *Non animam modo & mentem humanam, ſed omnem cujuſcunq; perfecte miſti Formam eſſe naturam quintam & rem cœleſtem, longe aliam à quatuor Elementis.* quanquam admirari licet, cur imperfecte mixta, & ipſa Elementa non ſit proſecutus pari liberalitate; præſertim qui ita ægre ferret Averroem diminutas Formas Elementis aſſignare, quas propterea non debuit ipſe è reliquarum Formarum ſocietate velut in exilium miſellas proturbare. ſed ut hoc ipſi donemus, ſequitur ex illis verbis, Omnes perfecte miſtorum Formas, æque ac Mentem; individuo illo Materiæ nexu nequaquam teneri, ſed & ſeparabiles eſſe, & ſeparari re vera, ac poſt compoſiti interitum ſupereſſe; ſiquidem Mentem eſſe immortalem, atq; à morte manere, putat abunde probari ex hoc Principio, *Quod ipſa eſt quinta natura, & res cœleſtis: nullam enim naturam cœleſtem eſſe corruptibilem.* Sect. 20. in princip.

LXXI. Ut igitur ſeponamus multas illas ac maximas planeq; inextricabiles difficultates atq; abſurditates, ex ipſa Peripateticorum de Formis doctrina orientes, eamq; inſeparabiliter comitantes, quarum unaquæq; per ſe ſufficit ad eas plane abrogandas, atq; de medio tollendas: qua fronte tantum in Philoſophia caput, atq; eſt illud de Subſtantialibus Formis, obtrudi mundo poteſt ob ſolam Ariſtotelis autoritatem (quippe nullo alio ipſæ fundamento nituntur, uti ſuperior ſermo declaravit) qui quum eam in Mundum primus omnium mortalium introduxerit, non modo nullis eam argumentis aſtruxit, ſed & ipſe alicubi ea planis verbis tradit, quæ præcipuis ſuis de ea decretis apertiſſime repugnent: ſicuti hoc loco ea dicit, unde liquido ſequatur (quod alibi, ubi ſuam de Formis doctrinam pertractat, ſummopere abhorret) Formas omnes & ante compoſiti ortum exiſtere, & poſt ejuſdem obitum manere: ſicuti & Scaliger, tenaciſſimus alioquin atq; pugnaciſſimus totius Ariſtotelicæ de Formis doctrinæ, uti & reliquorum Peripati ſomniorum, ſectator ac defenſor, hunc tantum in pro-

Cap. I. pria schola solæcismum commisisse deprehenditur. Certe præstitisset tales Formas semper ab ijs traditas fuisse. Potuissent enim & defendere illas sine ulla ingenti absurditate, & omnes illas difficultates, in quas nunc cum illa sua commentitia Forma se ipsos conjiciunt, effugissent; præsertim illam omnium maximam, quod substantiæ & oriantur è nihilo, & in nihilum revertantur: & metui Scaligeri; *Quod sic darentur Formæ certo numero circumscriptæ*, facile erat mederi: siquidem animæ plantarum, bestiarum, hominum (præter Mentes: coecutiunt enim, qui unam tantum in homine animam, neque aliam quàm immortalem, vident) nequaquam sunt certo numero circumscriptæ, & tamen existunt, antequam in corpora sua ingrediantur, manentq; postquam ex ijs emigraverint: neq; ob hoc est una geneneralis Mundi anima, quam invitissima Veritate introductam fuisse in Philosophiam, nos libro quarto prolixe monstraturi sumus. Quomodo autem sublatâ Animâ Mundi, verum tamen illud sit, quod nos de animis dicimus; ejus rei explicatio debetur alteri itidem hujus operis loco, ubi animarum conditio ex professo excutietur. Si itaq; talem invexisset Formam Aristoteles, qualem isto loco videtur animo concepisse, multo firmior erat futura ipsius philosophia, neq; ita subversu facilis, utpote veritati longe proximior; quanquam ne sic quidem ex toto vera. Est enim in plerisq; perfecte mistis talis aliqua natura, multorum effectuum, quos Formæ ascribere ipsi solent, autor; quæ propterea, ut & stirpium ac animantium animæ, Formę appellationem sustinere quodammodo posset; quanquam multæ aliæ conditiones illi desunt, quas Formæ suæ ascribunt Peripatetici, cum tamen neq; has habeat, neq; illas, utpote quæ nihil est ipsa, sicuti superiori sermone abunde est demonstratum: unde novum quoq; exurgit contra Materiam primam argumentum, quippe quæ sublatâ Formâ esse nulla potest; quod per se ita perspicuum est, ut probationis non indigeat, & satis sit verbo id indicasse.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

DE PRIVATIONE.

I. *Aristotelis sententia de Privatione.* II. *Privatio evertitur ex Aristotelica Principiorum descriptione.* III. *Ridiculæ expositiones, quibus Aristotelici illud Aristotelis dictum,* Principia semper manere oportet, *in alium sensum trahunt.* IV. *Vanitas istius effugij, quòd Privatio, etiamsi non componat res ipsas, componat generationes rerum; sive quod sit Principium generationis & rei generandæ, non rei genitæ.* V. *Examinatur alterum commentum, quod dicit Privationem esse Principium rerum; non ut partem componentem, sed ut terminum à quo.* VI. *Privatio non potest esse Principium, cum sit nihil omnino.* VII. *Privationem consistere cum Forma expellenda (quod multi dicunt Peripatetici) absurdum esse ostenditur. Vana distinctio inter Negationem & Privationem. Privationis non possunt esse ullæ differentiæ.* VIII. *Conimbricensium somnium, Privationem in instanti tantum existere, & rursus evanescere.* IX. *Privationis* ὀλιγότητα *ipse agnoscit Aristoteles; & tamen ejus inventionem, tanquam praeclari mysterij, magnæ sibi gloriæ ascribit.* X. *Privatio nihil; quum nunquam existat.* XI. *Privatio non contraria Formæ.* XII. *Vana distinctio inter Privationem, & Materiæ potentiam: immodestia Scaligeri adversus eos qui Privationem tollunt; quum tamen ipse fateatur alibi, Privationem nihil esse. Inanis Conimbricensium conatus, negantium Privationem esse ens intentionale.*

I. NUnc tempestivum erit, ad tertium Aristotelis Principium transire, nempe Privationem: quanquam fortassis nonnullis videbitur supervacuus hic labor, cum sublatâ Materiâ primâ & Formâ, sponte illam evanescere

Cap.I.

sit necesse, sed nihil nocuerit, ipsam quoq; per se seorsim examinare, ut tanto magis appareat, qualis hactenus philosophia regnum obtinuerit. Privationis necessitatem in rebus naturalibus ut probaret, plurimum sermonis insumsit Aristoteles in primo physicorum, & similia postea rursus per totam sparsit Metaphysicam. ita autem instituit probationem suam. In omni Generatione aliquid fit quod prius non erat. illa autem mutatio non fit ratione Materiæ, quippe quæ in se ipsa semper eadem manet, sed ratione Formæ. omnis autem mutatio fit ex contrariis. oportet igitur in Materia ante illius Formæ introductionem aliquid præfuisse ipsi Formæ contrarium, in cujus locum Forma successerit. non enim ipsa ex se invicem fiunt contraria, sed Materia, quæ utriq; suscipiendo æque habilis fit, altero deperdito alterum acquirit. Quum autem substantiæ non sint inter se contrariæ, ac proinde una Forma nequeat alteri Formæ esse contraria; Privationem Formæ dicit esse illud contrarium Formæ oppositum, inter quam ac Formam exerceatur generationis substantialis vicissitudo, sicuti reliquæ quoq; generationes inter sua quæq; contraria exerceantur. Quomodo igitur in aliis mutationibus Formam introducendam præcedat in subjecto Forma contraria; ita in generatione substantiarum asserit introductionem Formæ substantialis necessario in eadem Materia præcedere Privationem; quæ sit absentia Formæ generandæ, cum adjuncta aptitudine ad eam recipiendam. Hæc summatim est Aristotelis de Privatione doctrina; contra quam nos sic argumentabimur, ac si Materia prima ac Forma nondum à nobis essent eversa. ut tanto magis hujus commentitii Principii vanitas deprehendatur.

II. Dicimus igitur Privationem malo consilio inter Principia esse relatam ab Aristotele, qui hanc ipse fecit Principiorum proprietatem, ut res, quarum sunt Principia, ex iis fiant ac constent. ita enim 1. Physic. quinto ait. δεῖ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι, μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα. *oportet principia neq; ex se mutuo esse,*

esse, neq; ex aliis, sed ex ipsis omnia. & adhuc clarius ejusdem libri capite septimo: εἴπερ εἰσὶν αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρώτων εἰσὶ καὶ γεγόνασι, *Siquidem rerum natura constantium Causæ atq; Principia ea sunt, ex quibus primis constant atq; ortæ sunt.* Et eodem spectat, quod capite sexto dicit, τὰς δὲ ἀρχὰς ἀεὶ δεῖ μένειν, *Principia semper manere oportet:* quod idem est, acsi diceret, Quamdiu res manet, Principia ipsam constituentia debere manere, quippe quæ ita essentiales ipsius partes sunt, ut sine iis nec constitui nec manere aut perseverare ullo pacto queat. Jam ex Privatione res non gignuntur aut constant, neq; Privatio semper manet, quum & ipse 1. phys. 7. satis clare innuat, & omnes ejus sectatores magno consensu affirment, Privationem non manere in re genita, sed adveniente Forma evanescere. Aut igitur falsam tradidit Aristoteles Principiorum descriptionem, perperamq; hoc iis attribuit, ut semper manerent, utq; res ex ipsis fierent & constarent; aut male inter Principia ascripsit Privationem, è qua res nequaquam fiunt & constant, & quę nequaquam in rebus manet. Cap. I.

III. Aristotelicis quidem aliter videtur, & manifestissimæ huic contradictioni se mederi posse non desperant; quod ut faciant, multa & mirifica excogitant, sed admodum sane futilia, uti ex sequentibus apparebit. Etenim quantum ad illum locum, quo dicitur, quod Principia semper manere oporteat; verum ac genuinum sensum, qui ex illis verbis sponte fluit, nequaquam admittentes, aliam atq; alienissimam ipsius expositionem comminiscuntur, eaq; in re haud parum inter se dissentiunt, quum varii varias explicationes, diversissimas ac plurimum inter se discrepantes, afferant: quæ cujusmodi sint, facile erit judicium facere ex duabus illis, quas Conimbricenses ut omnium optimas selegerunt. Prima est, *Manere Principia, non omnia, sed quæ in rei compositionem coeunt.* sed hoc ex illo loco haberi non potest; imò contrarium prorsus apparet, cum tota illa priore capitis parte loquatur Aristoteles tantum 1. Phys. quæst. 10. art. 2.

Cap. I.

de duobus Principijs contrarijs, Forma & Privatione, quum de tertio principio, nimirum Materia, nihil adhuc constituerit. itaq; si hæc conditio competit Materiæ, de qua vix ullum adhuc verbum fecit, multo magis competere debet reliquis duobus Principijs, de quibus illic ex professo agitur. Altera solutio à Conimbricensibus posita, est, quod verba illa, *oportet principia manere*, ita explicanda sint, Quod omnia tria debeant concurrere ad singularum rerum generationem: quæ solutio risu diluenda est, quippe contrarium dicens ijs verbis, quorum explicationem profitetur. revera enim hoc dicit, Non esse necessarium ut Principia maneant in re generata, cum sufficiat illa concurrere ad ejus generationem. Ast Aristoteles non dicit, quod debeant concurrere, sed quod debeant manere. Et nihilo meliores esse reliquas quoq; expositiones, tum illam Alexandri, qui, *Principia semper manere*, in hoc sensu intellexit, quod Principia æterna sint; neq; eam Averrois (quam secutus est Mercenarius Dilucid. 9.) quæ istorum verborum hunc dicit esse germanum intellectum, Quod semper debeant manere in ratione principij, & ex alijs minime fieri; ita ut, *Principia semper manere*, nihil aliud sit, quàm *Principia ex alijs non fieri*: unusquisque, sobrie ista considerans, nullo negotio percipiet; & ex ijs quoque, quæ alij Peripatetici, alijs expositionibus addicti, contra istas disputant, poterit intelligere: ut nobis necesse non sit, pluribus commonstrare earum vanitatem; quam tamen ut alibi passim, ita hic effugere non valent Peripatetici, quamdiu summæ Aristotelis inconstantiæ summam suam pertinaciam adjungunt, ut quidvis pati, ac in quævis se malint vertere, quàm veram ipsi medicinam adhibere; ut quando adeo fluctuatur, ac sibi ipsi aperte repugnat, atq; ἀσύστατα statuit, detegerent ipsius vanitatem, aut saltem agnoscerent, eumq; sic agentem desererent: à quo tantum absunt, ut nulla tam absurda tamq; inconcinna in eo occurrant, quæ non propugnare atq; inter se conciliare adnitantur: quod dum agunt, plane nugas agant necesse est.

x inmutabilia sunt semper Regnum

Cap.I.

IV. Quomodo autem, ut Aristotelem à contradictione vindicent, ac Privationem salvis omnibus ipsius dictis in Principiorum numero retineant, valde incongruas istius sententiæ, *Quod Principia semper manere oporteat*, expositiones moliuntur Peripatetici; ita istud quoq; dictum, quo ex Principiis res fieri ac constare dicit Aristoteles, non minus mirabiliter intorquent, quo ejus vim effugiant, neq; propter ipsum cogantur fateri, quod Privationem male principiis annumeravit ipsorum Præceptor, legesq; Principiorum à se ipso scriptas eo violavit; quum omnes pro confesso ponant, quod Privatio non veniat in rerum compositionem, quodq; res minime ex ea constent. Et duabus quidem hic utuntur solutionibus, quibus efficere se posse sperant, ut quamvis Privatio non ingreditur rerum compositionem, in eam tamen quadrare valeat ista sententia, quâ definivit Aristoteles, Res ex principiis fieri. Primò aiunt, Privationem esse Principium intrinsecum productionis naturalis, etiamsi non sit ipsius Compositi; & quanquam rei ortæ principium nuncupari non possit, quum in ea non permaneat, sed accedente Forma aboleatur, esse tamen Principium ipsius generationis. *Admitto* (inquit Toletus 1. Phys. quæst. 11) *omnia Principia componere, sed generationem & mutationem rei: at vero rem ipsam tantum duo componunt, puta, Materia & Forma, privatio vero non: unde est intrinsecum generationis Principium (& hoc sufficit) non autem ipsius rei.* Et similiter Vicomercatus, *Quemadmodum ortus à re, quæ oritur, differt, tametsi ad eam referatur, in eamq; desinat, ita & ejus principium aliquod esse potest, quod rei genitæ non erit.* Quid autem sibi velint per hæc, quod Privatio sit Principium generationis, non rei genitæ, breviter indicat Toletus, aiens quòd sit Principium rei in fieri, non rei factæ; & prolixius declarat Vicomercatus, Privationem esse rei partem, dum oritur nondumq; perfecta est; ipso ortus momento terminari. itaq; rei, quamdiu fit, partem dici posse: mox tamen ubi genita est, & complementum suum nacta, desinere in ea esse ut partem, utpote Formæ adventu deperditam:

Tolet. 1. phys. quæst. 21.
Conimb. 1. phys. c. 9. quæst. 8. art. 2.
Vicom. 1. Princip. natur. 18.
1. Princ. nat. 18

Cap. I.

ditam: ad quod nos ita respondemus. Cum unaquæq; res per Formam sit id quod est, ne esse quidem omnino, quamdiu Formam non accepit, ast non entis partes esse non possunt. & si pars est rei, non est pars rei quæ generatur, sed ejus quæ interit, cùm ipsi fateantur, simulatque introducitur Forma, Privationem evanescere. & si illa sunt rei partes, quæ ipsi inerant, antequam fieret hoc aliquid per novam Formam, Forma amissa erit rei genitæ pars, quippe quæ in Materia fuit ad illud usq; momentum, quo nova Forma introducebatur. Si igitur, esse generationis principium, est (ut ipsi explicant) esse principium rei dum generatur; male aiunt privationem esse principium generationis rerum, seu principium rerum dum generantur. Quanquam enim duplex statuitur generatio, quarum altera, quæ est velut præparatio quædam ad prioris Formæ abjectionem, & novæ acquisitionem, habet aliquod temporis spatium, ac non subjecto tota, sed veluti per gradus peragitur; generatio tamen proprie dicta, ipsa nimirum Formæ introductio, non fit aliquo temporis tractu, sed in indivisibili momento, secundum ipsorum placita: ipso autem illo momento, quo Forma introducitur, privatio esse definit. Quodsi igitur, dum privatio est, res nondum est, neq; in totum, neq; ex parte (quum res non per partes, sed repente integras generari statuant) & simulatq; res esse incipit, privatio confestim aboletur atq; evanescit: nullo jure dicunt, privationem esse rei partem, dum generatur; atq; ita dicendo, suis ipsorum de Forma ac Generatione decretis evidenter contradicunt.

V. Alter modus, quo illam Principiorum conditionem, quòd res ex ijs fiant & constent, Privationi aptare student Aristotelici, in eo consistit, quod dicant in illis verbis, *Principia neq; ex se invicem fiunt, neq; ex alys, sed ex ijs omnia,* voculam, *Ex*, æquivoce sumi, ita ut illa duo priora *ex*, dicant habitudinem partis componentis; tertium *ex* dicat habitudinem termini; ut illorum verborum, *Et ex ipsis omnia fiunt*, sensus sit, Aut ex partibus, ut ex Materia & Forma;

Tolet. 1. phys. quæst. 11.

Forma, aut ex termino, ut ex Privatione. quippe Privationem esse *terminum à quo* ipsius generationis, & sic Principium rei genitæ. *Id unde per se generatio proficiscitur* (inquiunt Conimbricenses) *verè ac propriè principium illius est, ac proinde Privatio est principium per se generationis, quum generatio per se oriatur à privatione, quia generatio est progressio à non esse ad esse, ut à termino à quo; qui terminus quum non sit Materia (siquidem terminus, à quo res oritur, utpote Forma geniti contrarius, non manet: Materia autem semper manet) consequens fit, ut sit ipsa forma privatio.* Sed hæc distinctio, quod *fieri ex* in illa Principiorum definitione dupliciter sumendum sit, (pro fieri ex aliquo, vel tanquam parte componente, vel tanquam termino à quo) ex ipso Aristotele haberi non potest, qui in illo libro verbum faciat nullum termini à quo, aut quod privatio concurrat ad generationem tanquam terminus à quo. & si rectè dicitur, fieri res ex aliquo, tanquam termino à quo, inepta est illa Aristotelis interrogatio 1. phys. 6. πᾶς ἐκ μὴ οὐσιῶν οὐσία ἂν εἴη; *quomodo ex non substantijs substantia fieret?* Præterea si satis est Privationi ut rei Principium dicatur, quia res ex ea generetur, tanquam ex termino à quo; nihil impedit, quin ipsius quoq; Formæ Principium dicatur, cum & Forma fiat ex ex Privatione, ut ex termino à quo, sicuti ex nocte fit dies, atq; ex tenebris lumen. Ast si hoc recipiatur, & si vocula, *ex*, ita late sumatur in illa Principiorum descriptione, non constabit illa conditio, quam ipsis ibi attribuit Aristoteles, *Non fieri ex se mutuo.*

Cap. I.

1 Phys. 9. quæst. 8. art. 2.

VI. Sed ut hæc omittamus, atq; ipsis concedamus, ut particulam hanc pro libitu explicent, aliámque prioribus locis, aliam posteriore significationem ipsi attribuant: quomodo erit principium alterius rei, quæ non est ipsa quicquam. Non esse quicquam, ipse fatetur Aristoteles, qui dicit eam esse μὴ ὄν, neq; id per accidens, sicuti Materia est, οὐκ ὄν, sed simpliciter & per sese, quippe quæ nullo pacto sit substantia, sicut illa. ast non ens nequit esse Principium entis, neq; nihil potest conferre quippiam ad corporis naturalis gene-

1 Phys. c. 8 & 9

Cap.I. generationem, nedum ut ejus Principium statui mereatur. nimis enim vanum est, quod afferunt Conimbricenses, *Quanquam ens non possit dependere à non ente, ut ab influente aut ab impartiente aliquod esse, posse tamen ab eo dependere, tanquam à termino, atq; ut ab eo, quod essentialiter ad suum conceptum requirit.* Profecto & locum omnis res essentialiter ad sui conceptum requirit, quippe sine quo fieri nullo modo potest, quare & illum facere Principium debuerant. neq; est quod causentur, disparem esse loci ac Privationis rationem, cum ille sit extra rem, hæc verò intra ipsam: neq; enim intra ipsam esse potest, neq; extra, quod est nihil omnino. & si vel maxime esset aliquid, non tamen esset quid internum, cum dicant esse terminum à quo: talis autem terminus non est intra rem ipsam: & quomodo sit intra eam, cum qua aut in qua ne ad minimum quidem temporis momentum subsistere potest, ut ipsi dicunt.

VII. Quanquam mirum est, tantam intercedere Privationi inimicitiam cum Forma illa, cui viam & aditum munivit ad Materiam, & nullam intercedere cum ipsa, cui exitium molitur: quæ tamen adeo ipsam non aspernatur, ut uno in contubernio admodum socialiter vivant; ubi altera illa Forma, quæ tantum ipsi beneficium debet, ne ad punctum quidem temporis consortium ipsius vult tolerare. etenim si privatio non est cum illa Forma, cui interficiendæ navat operam, non est unquam omnino. oporteret enim dari tempus aliquod, in quo Materia post amissionem prioris Formæ, & ante susceptionem novæ, omni prorsus Forma careret; quod validissime omnes negant Peripatetici, asserentes Materiam ne indivisibili quidem temporis momento posse sine Forma subsistere. cum itaq; in instanti fiat prioris Formæ excessus, & novæ introductio, Privatio autem cum illa Forma, ad quam habet relationem, non possit consistere: oportet aut non sit unquam, aut sit cum priore Forma. & hoc posterius multi affirmant Peripatetici, Simplicius, Piccolomineus, Zabarella, Vicomercatus,

Toletus;

Toletus; nempe, Privationem in subjecto, in quo inest, ponere aliquam Formam positivam, aut contrariam, aut aliquo modo oppositam Formæ producendæ. & hoc coguntur dicere necessario, quippe qui statuant, Omnem generationem præsupponere aliquod compositum, ex quo res generanda per transmutationem fiat, cum Materia nuda non subjiciatur actioni agentis, quod debet generare. imò Zabarelię adeo necessaria conjuncta est Privationi Forma, ut dicat ex Materia nuda & penitus inaffecta, si daretur, fore ut nihil penitus generari posset, quia apta non esset ad sustinendam actionem agentis. Sed æque absurdum esse, ut conjungatur huic Formæ, quam ut illi, facile monstrare possumus. Dicendum enim est, aut unicam tantum esse Privationem, omni Formæ contrariam, aut plures esse Privationes, ita ut alia alij Formæ sit contraria. Prius si dicant, per se evidens est, quod cum una Forma non possit Privatio magis constere, quam cum alia, si omnibus simpliciter adversatur, contraria autem in eodem subjecto simul morari non possunt. necesse igitur est, ut dicant alterum. Et hoc quidem dicunt omnes, quippe nullo modo cupientes admittere, quod Privatio idem sit cum negatione. hanc enim, quæ sit universalis omnium Formarum absentia, & nihil sit, ac esse penitus tollat, & solum removeat, nec quicquam ponat, multum differre à Privatione, quæ connotet subjectum definitum: esse enim absentiam Formæ in subjecto apto recipere Formam, & habilitatem ad id habenti. namq; eam importare potentiam quandam proximam in eo subjecto, in quo inest, ad eam Formam, cujus est Privatio. itaq; duplicem esse Privationem, aliam in Materia prima, quæ dicit potentiam primam ad quamlibet Formam, & unam tantum esse hanc; aliam in Materia proxima ad quamlibet Formam, quæ sit terminus propinquus generationis: & hanc esse multiplicem, sicuti multiplex est Forma introducenda. Sed hæc Privationis multiplicitas (ut sic dicamus) facile everti potest, & proinde totum hoc de Privatione commentum, quæ absq; illa proxima potentia non

Cap. I.

Tolet. 1. Phys. quæst. 15.

1 De Mat. 8.

Zab. 1. de Mat. 7.

Averr. 4. Metaph. com. 4. Vicom. 1. Princ. nat. 17. Tolet. 1. Phys. text. 49. & text. 70. & text. 83. Piccol. 1. Phys. text. 61.

differet

Cap.I. differet à negatione, quod tantopere ipsi reformidant. Etenim illæ potentiæ proximæ ad certas Formas suscipiendas, dicunt differentias Privationis. Ast in Privationem non cadunt differentiæ, quippe quæ est non ens, non entis autem nec sunt nec esse possunt ullæ differentiæ. nec est quod cavillentur, non ens multipliciter sumi: nos enim capimus pro eo, quod simpliciter & absolute non est quicquam omnino; quod à nobis sumi debere si negaverint, tanquam τὸ ἐν ἀρχῇ, meditentur jam non quid nobis, sed quid Aristoteli respondeant, cujus hoc est axioma, & Privationem esse non ens simpliciter, quippe quæ nec substantia sit nec accidens; & propterea non admittere ullas differentias. Οὐκ ἔστι δὲ διαφορὰ στερήσεως, ᾗ στέρησις. ἀδύνατον γὰρ εἴδη εἶναι τοῦ μὴ ὄντος. *non est differentia privationis, inquantum est privatio. impossibile enim est, ut sint species non entis.* & in quarto Phys. quoq; contra eos, qui ponebant vacuum, ob motum, ita argumentatur, ut dicat, Posito vacuo contrarium prorsus sequi, quam ipsi volunt. necesse enim esse, ut in vacuo omnia quiescant, quia non erit, quorsum moveantur; quia inanis nullæ sint differentiæ. ἐν κενῷ ἀνάγκη ἠρεμεῖν· οὐ γὰρ ἔστιν, οὗ μᾶλλον ἢ ἧττον κινηθήσεται· ᾗ γὰρ κενὸν, οὐκ ἔχει διαφοράν. *in vacuo necesse est quiescere. non enim est, quò magis aut minus movebitur. inquantum enim vacuum, non habet differentiam.* Dicent; Privationis nullas esse differentias per sese, sed ratione Formarum, quibus opponuntur; & sic revera differre Privationes Formarum, quomodo realiter defferunt Privationes habituum, & diversa est Privatio lucis à Privatione saporis. sed hoc pacto etiam negationis erunt differentiæ. non potest enim ulla negatio physica esse indefinita, sed necesse est semper exprimatur id, cujus est negatio, ut cum aqua negatur esse amara aut calida. & sic Causam nullam habebunt, cur negationem tam enixe à Privatione separent. nam quantum ad potentiam proximam attinet, illa non est à Privatione, sed ipsius Materiæ: & quod aer tenebrosus habet potentiam proximam ad suscipiendum lumen, hoc non habet à tenebris, quippe quæ potius

1 De part.3. cap.8.

potius deberent obsistere luci, propter contrarietatem; Cap. I.
cum privatio sit habitui ac Formæ contraria, ex decretis Aristotelis. non dabunt nobis vitio, quod exemplum sumimus ab accidentibus, cum Aristoteli & ipsis nihil sit magis solenne, quam generationem & corruptionem substantialem exemplis generationum & corruptionum accidentalium declarare. Et cum illa proxima potentia ac aptitudo sit accidens aliquod in Materia non coæternum ipsi, sicuti generalis illa potentia, quam Materiæ primæ attribuunt, & semper manere volunt, sub quacunq; Forma, sed per vices & oriens in ea, & interiens, Privatio ipsius causa esse nequit, cum omne accidens (ex ipsorum doctrina) fluat ab aliqua Forma. Et si vel maxime ipsa per se Privatio esset causa istius affectionis, esset tamen plane inefficax, quia obscuraretur à contraria affectione, Materiæ impressa à Forma præsenti. cum enim dicant omnem Formam quærere sui perpetuitatem, & totam Materiam esse in Formæ imperio ac potestate, haud dubie Materiam ita disponet, ut velit præsenti suo statu contenta, novationem nullam appetere; neq; causa ulla est, cur affectio à Privatione fluens debeat esse potentior illâ, quæ fluit ab ipsa præsenti Forma, imo cur hæc illam non penitus expellat, & veluti perpetuo edicto extra fines suos releget, quippe cum Materia, ex eo quod absentium Formarum Privationem in se cohibet, actum Formæ, cui velut matrimonio conjuncta erat, repudiet, ut actum Formæ, quo caret, admittat, ita adulterina quadam ratione maleficium committens; quæ sunt ipsa Conimbricensium verba. nullum igitur relinquitur tempus quo unquam sit Privatio. siquidem cum illa Forma, cujus est Privatio, consistere posse ipsi negant Peripatetici: cum præcedenti non posse morari nos ostendimus, quia generalis Privatio omni æque Formæ contraria est; particularis Privatio neq; datur, & si daretur, Forma per illam abolenda nullo modo eam secum in eodem subjecto tolerare vellet.

1 Phys. cap. 9. quæst. 7. art. 2.

VIII. Et certe ipsi quoq; Conimbricenses, soli fere inter

1 Phys. cap. 9. quæst. 8. art. 2.

Cap. I.

inter eos quos novimus Peripateticos, non audent dicere, quod Privatio introducendæ Formæ sit cum priori Forma conjuncta, quanquam paulo aliud ob argumentum; quia cum Privatio sit negatio Formæ in subjecto naturâ apto, ante punctum generationis Materia non est apta ad Formam, cum nondum habeat dispositionum omnium apparatum ad eam excipiendam, non possit Privatio tempore antecedenti esse in Materia. hęc quidem velut ab alijs objecta dicunt, volentibus probare nunquam dari Privationem. sed ipsorum responsio eodem recidit. nam quanquam dicunt Materiam, quamdiu Formam non habet, esse illa absolute privatam, aptamq; ex sese ad eam excipiendam; addunt tamen, Quod proximam & completam aptitudinem tunc solum obtineat, cum perventum fuit ad terminum complementumq; omnium accidentium, quibus ab agente disponitur, qui terminus in ipso tantum generationis momento datur. itaq; in ipso puncto generationis Materiæ, antequam Formam recipiat, inesse summam aptitudinem ad eam recipiendam, quæ sit exactissima Formæ Privatio: Nec repugnare, quod in eodem instanti temporis secundum aliam & aliam considerationem detur in Materia & Privatio Formę, & ipsa Forma; licet talis Privatio in eodem instanti reipsa ac simpliciter aboleatur.

Profecto piget tędetq; tantis ineptijs an delirjis confutandis diutius immorari. sed cum hæc ipsa plus quam febriculosa somnia per immensi temporis præscriptionem tam alte hominum animis insederint, ut præ ijs sanam doctrinam contumacissime respuant, devorandum nobis est hoc tædium, & prolixe refutanda illa, de quibus apud animos à præjudicio liberos vix tria verba commutare opus esset; cum Luciani Veræ narrationes non contineant majora portenta in Historia, quam pleraq; Aristotelica dogmata in Philosophia: quæ dum mordicus retinent Peripatetici, necesse est ab uno absurdo ad aliud absurdum trudantur (falsas enim theses nisi falsis argumentis tueri haud promtum est; &, quod Asclepiadæ olim exprobabat Galenus, Οὐκ ἐῶσι μοχθηραῖς δογμάτων ὑποθέσεσι χρησάμενον

σάμενόν τινα, μὴ ὂ καταγέλαστον ἀυρίσκεσθαι πανταχόθεν *fieri non potest, quin qui pravis dogmatum hypothesibus utitur, undequaq; ridiculus inveniatur)* & non modò cum Veritate, quacum semper male ijs convenit, sed & secum ipsis pugnent passim. Quale enim hoc est, quod hic nugantur Conimbricenses, in eodem instanti & gigni Privationem, & aboleri, & Formam introduci. si satis est dicere, quod hæc non repugnant secundum aliam atq; aliam considerationem, eodem jure nihil non dicere licebit. & si hæc non è diametro repugnant doctrinæ Aristotelicæ, qua τὸ νῦν statuitur indivisibile, non repugnat etiam, dicere, quod summus calor ac summum frigus possint esse simul in eodem subjecto.

IX. Et quid disputamus diutius contra Privationem, cum ipse Aristoteles in eodem illo libro, ubi tam operose illam astruit, satis manifesto illam repudiet? Quippe dicit Causas & Principia, è quibus res essentialiter constent ac genitę sunt, esse Materiam & Formam. 1 Phys. 7. Φανερὸν οὖν, ὡς εἴπερ εἰσὶν αἴτιαι καὶ ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρώτων εἰσὶ καὶ γεγόνασι, μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, ἀλλ' ἕκαστον ὃ λέγεται κατὰ τὴν οὐσίαν, ὅτι γίγνεται ἅπαν ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς. *Manifestum igitur est, siquidem rerum natura constantium Causæ sunt ac Principia, ex quibus primis constant atq; ortæ sunt, non per accidens, sed unumquodq; quod dicitur secundum essentiam, omnia fieri ex Subjecto atq; Forma.* non esse modò dicit res ex his duobus Principijs, sed & generari, ut appareat futilitas istius distinctionis, quod Privatio non sit Principium essentiæ, sed generationis. & postea addit, Καὶ δῆλόν ἐστιν, ὅτι δεῖ ὑποκεῖσθαί τι τοῖς ἐναντίοις, καὶ τὰ ἐναντία δύο εἶναι. τρόπον δέ τινα ἄλλον οὐκ ἀναγκαῖον· ἱκανὸν γὰρ ἔσται τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ποιεῖν τῇ ἀπουσίᾳ καὶ παρουσίᾳ τὴν μεταβολήν. *Et apertum est, quod oporteat aliquid esse subjectum contrarijs, & contraria duo esse. alio autem modo non est hoc necesse. alterum enim contrariorum sufficiet ad*

Cap. I. *faciendam mutationem suâ absentiâ & præsentiâ.* quibus verbis suam ipsius levitatem prodit quam apertissime, qui hoc pro Principio necessario invexerit in Philosophiam, quod non esse necessarium ipse ultro ac gratis fateatur, quia sola Materia cum Forma sufficiat: qui tamen alibi præceptorem suum Platonem, hoc ipsum dicentem, ac Privationem à generatione excludentem, graviter incessat: & in eodem isto primo physicorum, paulo post suprapo- sita verba, acriter invehatur in priscos philosophos, quod ob Privationem ignoratam in tam crassum prolapsi sint errorem, ut simpliciter negarent quicquam fieri, quandoquidem absq; illius mysterij cognitione non poterant comprehendere, quomodo aliquid fieret ἐκ μὴ ὄντος, *ex non ente.* Hoc autem se invenisse, & introducta Privatione monstrasse; nihil quidem fieri simpliciter ἐκ μὴ ὄντος, fieri tamen per accidens ᾗ μὴ ὄν, *in quantum est non ens.* quasi vero tam bardi ac stupidi fuerint primi illi naturalium rerum indagatores, ut non possent comprehendere, in omni mutatione rem fieri aliquid quod non erat prius, & induere illum habitum, quo prius carebat ac privata erat. ingens verò hoc secretum, ut tot tantiq; viri nequiverint ad ejus perceptionem aspirare. non igitur ob ejus ignorantiam negaverunt generationem, quam tu generationem vocas, qua nimirum aliud fit ex alio; sed illam negaverunt, qua substantia fit ex nihilo, & verissime negaverunt, quod ne tu quidem ipse potes negare, quantumcunq; tergiverseris.

ž De Gener. corr. 9.

X. Sed de hoc Veterum axiomate & dictum fuit antea plus semel, & dicendum alibi erit rursus; quare nunc eo misso, revertamur ad Privationem, de qua ex prius dictis apparet, eam, posita tali generatione, qualem somniat Peripatus, ex Materia prima & Forma, nihil tamen esse, ac propterea absurde poni pro Principio rerum naturalium; siquidem Forma Formæ immediate succedit, & ne punctum quidem temporis intervenit inter excessum prioris Formæ, & introductionem recentis, quo illa fit in Materia.

& nec

& nec postea est in Materia, omnium confessione, nec antea, ut partim ipsorum fatentur, partim nostris argumentis ostensum est: quare relinquitur ut nunquam sit. proptereaq; entium Principium esse nullo modo potest, ne ita quidem, ut sit terminus à quo; siquidem nihil proficisci potest à termino, qui nec existat, neq; unquam extiterit. Cap. I.

XI. Imo falsum est totum fundamentum, cui Privationem Aristoteles superstruxit, nimirum omnem mutationem, & proinde etiam generationem, esse motum à contrario in contrarium; quod alibi probabitur. & si vel maxime verum esset, deberemus illam contrarietatem in in ipsis Formis quærere, quia habitus & privatio non sunt vere contraria, siquidem vera est illa definitio, contraria esse quæ sub eodem genere plurimum distant: ast Forma & Privatio non possunt sub eodem genere comprehendi, cum illa sit substantia (ut ipsi volunt) hæc vero ne accidens quidem, ut ipsi dicunt (quod quam belle cohæreat cum eo, quod eam dicunt esse in Materia, ipsi viderint) quare temperare sibi non potuit Themistius, quin diceret plus semel, Privationem & Formam nimis licenter vocari contraria, cum non possint invicem agere ac pati, & Privatio nihil sit nisi Formæ absentia.

1 Phys. text. 69. & 5. Phys. 9.

XII. Sed si omnia velimus exequi, quæ de hoc inutili figmento chartis illeverunt homines alienis nugis nimium feriati, nimis infructuosum laborem sumereus. Quis enim sine indignatione aut risu legere queat anxias illas distinctiones inter Materiæ potentiam tum primam tum secundam, sive generalem & specialem, & Privationem, cum omnia eorum dicta eo recidant, ut Privatio nihil sit aliud, nisi propinqua illa Materiæ potentia, atq; ipsa recipiendæ Formæ aptitudo; cum qua licet reipsa penitus confundant, verbis tamen sejungere coguntur, ne prodant præceptorem suum, cujus honori parum consulerent, si faterentur id rerum naturalium Principium ob eo factum fuisse, quod

 alterius

Cap.I. alterius Principij & quidem ignobilissimi, non nisi accidens esset, & quidem evanidum. Ut appareat quid censendum sit de furiosa illa Scaligeri invectiva, qua eos, (Exerc. 365.) qui Privationem de numero Principiorum exemerunt, stultos vocat & vecordes mundi novatores, putidos grammaticos, Aristotelis obtrectatores; quæ scurrilia convitia tanto sunt intolerabiliora in ipso, quanto ipse fatetur alibi, Privationem nihil esse nisi in intellectu, ita enim inquit: (Comm. in 6. Caus. 6.) *Privatio sequitur omnium essentiam prædicamentorum, quæ essentia cum abest, illud abesse dicitur Privatio, cujus esse est, non esse, neq; aliquid est nisi intellectu.* si enim omnia alia argumenta desint, hæc una confessio suffecerit, ad Privationem è Principiorum senatu ejiciendam. quid enim insulsius dici aut cogitari potest, quam inter Principia, è quibus substantiæ naturales constent ac generentur, illud collocare, quod nihil sit nisi mentis conceptus? certe non est satis mirari Themistium, qui cum dixisset *Privationem nullibi subsistere*; (1. Phys. in digress.) addit, *necessariam esse tamen, ceu alteram naturam, quæ alteri naturæ accidat.* nullum est monstrum, quod dicere non audeant mirabiles isti philosophi. neq; enim est intelligere, quomodo id alteri naturæ accidat, quod non est usquam, nisi in ipsius Intellectus conceptu. Negant quidem hoc multi Peripatetici, Privationes in sola mentis notione esse, inter quos sunt Conimbricenses. (1 Phys. cap. 9. quæst. 7. art. 1.) sed nihil solidi afferunt, quo negationem suam tueantur. omnis enim eorum probatio petita est ex illis Aristotelis verbis, Quod Forma & Privatio versantur circa idem subjectum. ergo [inquiunt] quoties in tempore à naturâ constituto subjectum Forma caruerit, inerit ei Formæ Privatio: hoc autem contingit seclusa qualibet mentis actione: igitur Privatio inest in rebus formaliter sine intellectu. sed hæc consequentia nihili est, cum ipsi fateantur, subjectum nunquam vel ad minimum temporis punctum Forma carere. & sua ipsorum dicta verbis sequentibus manifestissime evertunt, quando Privationi omnem denegant existentiam; quia cum existentia positivum quippiam sit, fieri non potest, ut negationem re ipsa proprie

prie informet. Sed jam ἄλις βορβόρου; verbum non amplius addimus de Privatione. & sicut hæc omnia nondum satisfaciunt (animis enim pertinaciter in aliqua secta obfirmatis nulla rationum momenta satisfacere queant) ille Materiam primam & Formam substantialem asserat prius à nostris objectionibus, & postea super Privatione pedem nobiscum conferat. namq; illis sublatis hanc ne ipsi quidem posuerint Peripatetici.

SECTIO QUINTA.

Transitur ad examinandam Aristotelis sententiam de Causis. Principia sua Aristoteles & Aristotelici etiam Elementa vocant. A Causis potius quam à Principiys incipere debuerat Aristoteles. II. *Aristotelis scopus in tractatione de Principiys ac Causis.* III. *In quibus culpemus tractationem Aristotelis de Causis, in secundo Physicorum institutam.* IV. *Vanitas istius axiomatis, Efficiens, Formam & Finem, idem esse in naturalibus.* V. *Difficultas, quomodo Agentia naturalia, cognitionis expertia, agant propter finem: & Aristotelis ad eam responsio.* VI. *Cavillatoria vanitas istius responsi; aliaq; in eo absurda.* VII. *Quod Aristoteles statuit, Naturam agere propter finem; in eo nihil novi dixit, quum recepta Veterum hæc fuerit sententia.* VIII. *Vera Veterum assertio, Agentia naturalia agere ex congenitâ necessitate: explicatur.* IX. *Aristotelis inconstantia. sententiam modo dictam maligne detorquet.* X. *Incusatur Aristoteles, quod nihil de natura ac modo operandi Finalis Causæ tradiderit. Absurda plerorumq; Aristotelicorum opinio, Finem agere secundum esse reale.* XI. *Absurditas Peripateticorum, negantium Causalitatem Finis consistere in motu, quo ciet appetitum. Finis non est peculiare Causæ genus, sed Efficientis quædam species.* XII. *Alij defectus in hac tractatione de Fine. Epilogus totius dis-*

qui-

I. HActenus igitur Aristotelis de internis rerum Principijs, è quibus constent ac generentur, sententiam examinavimus, & quæ ille tria ponit, Materiam primam, Formam, & Privationem, nulla esse omnino ostendimus. nunc consequens esset, ut nostram de Principijs opinionem aperiremus: sed quia adeo conjuncta est apud Aristotelem Principiorum ac Causarum tractatio, ut divelli sine maxima perturbatione non possint, statuimus prius ipsius de Causis quoq; placita perpendere; & sic postea nostram de Principis ac Causis sententiam proponere. Repetendum autem nobis est, quod supra attigimus, Principium ac Causam nihil prorsus differre Aristoteli, ac passim in omnibus ejus scriptis pro eodem usurpari promiscue, & & persæps etiam utrumq; simul jungi plane συνονυμῶς, neq; alia cum significatione, quam si alterutrum tantum positum esset; ut non possit dici, alterum altero esse generalius, aut hoc sub illo comprehendi. in solo primo Physicorum discrimen invexit, & Principij vocabulum duobus illis, Materiæ & Formæ (addita etiam Privatione, sed quæ in Materiæ ratione intelligenda sit) proprie assignavit, excluso Efficiente ac Fine, & solo Causæ nomine ijs relicto; quod prioribus illis, quanquam peculiariter attributa ijs Principij appellatione, non auferret: sicut è secundo physicorum apparet, ubi, quemadmodum semper alibi, in Causarum ennumeratione Materiam & Formam de novo ponit. Ex his itáque sequitur, in illis libris generalius esse Aristoteli Causæ quam Principij vocabulum, cum hoc sub comprehenderit, non contra. & Principij vocabulum hoc pacto usurpatum, nihil differt ab Elemento; quomodo ipse Elementi vocabulum usurpat, non modo de Materia secunda, & de ijs, quæ vulgo Elementa dicuntur, sed & de Materia prima ac Forma, imo & de Privatione. itáque ipse in primo physicorum semel iterumq; στοιχεῖον pro ἀρχὴ posuit, cap. 6. Τὸ μὲν οὖν τρία φάσκειν τὰ στοιχεῖ' εἶναι, δόξειεν ἂν ἔχειν τινὰ λόγον. Τὸ δὲ πλείω τριῶν, οὐκέτι. *Dicere igitur,*

quòd

quòd tria sint Elementa, videtur aliquam rationem habere: plura autem tribus, nequaquam. & mox, ὅτι μὲν οὖν οὔτε ἓν τὸ στοιχεῖον, οὔτε πλείω δυοῖν ἢ τριῶν, φανερόν. *Quod igitur neq; unum sit Elementum, neq; plura duobus aut tribus, manifestum est.* & 12. Metaph. 4. ὥστε στοιχεῖα μὲν κατὰ ἀναλογίαν τρία. αἴτια δὲ καὶ ἀρχαὶ τέσσαρες. *Itaq; Elementa quidem secundum analogiam tria sunt, Causæ autem & Principia quatuor.* (ubi Principij vocabulum latius usurpat, ut Causæ synonymum) Et quanquam Privationi non competit Elementi definitio, cum non sit rei pars, extenditur tamen ad eam ex accidenti, quia quatenus est Principium internum, est eadem cum Materia; & aliquo modo Forma, inquit Piccolomineus; quod quale sit, hic non discutiemus, cum nunc tantum velimus ostendere, Principij vocabulum, quatenus tribus illis attribuitur, nihil ab Elemento differre. & certe istis, præsertim Materiæ & Formæ (si talia essent, ac ab ipso ponuntur) omnino competit Elementi definitio ab ipso tradita 5. Metaph. 3. ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος, ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει *ex quo compositum est primo inexistente, indivisibili secundum speciem*, non solis Elementis corporeis; ut asseverat etiam [a] Piccolomineus. Imò [b] Averroes dicit Elementum in propria significatione sumtum, de Causis intrinsecis, Materia & Forma, dici; quod secutus est & [c] Zabarella ita etiam [d] Scaliger, *Sane Forma Elementum est.* & [e] alibi, *Materia & Forma, compositi partes atq; Elementa sunt.* & Exerc. 364. 2. *Elementum, ex quo quid constituitur, duplex, Materia & Forma.* cum igitur Principia (ut hic sumuntur) non differant ab Elementis, hinc quoq; sequitur, Causam ipsi latius patere quam Principium, in hoc primo Physicorum libro; quare quod proposuerat à maxime generalibus incipere, non præstitit. Non tamen hoc dicimus, quod ab Efficiente & Fine potius, quam à Materia & Forma ordiri Physicam debuerit, sed quod propositæ in Principio rerum naturalium Causæ, ita illi partiendæ fuerint, ut diceret duas istarum peculiariter hoc sibi nomen vindicare; reliquas duas, etiamsi & ipsæ generico hoc no-

Cap. I.

1 Phys. text. 98. in dubit.

a 6 De Mat. 2.
b 1 Phys. com. 1
c De constit. sci. nat. 11.
d 4. Caus. 3.
e Com. in 2. plant.

Cap. I. mine vocari consueverint, magis tamen speciali Principiorum nomine gaudere. & sic deinde nihilominus à Principiorum pertractatione potuisset incipere, Efficiente & Fine in secundum librum, sicuti nunc quoq; fecit, rejectis: ubi tunc non opus habuisset Materiam & Formam otiose de novo repetere. & sic plurimos bonos viros, sectatores atq; interpretes suos, magna molestia liberasset, qui nunc causam istius repetitionis dum exquirunt, mira sibi somnia confingunt, sicuti ante latius executi sumus.

II. Porro ut hoc mittamus, Aristotelis scopus in tractatione Principiorum ac Causarum (de quo tot tamq; dissentientes sunt ipsius interpretum opiniones) hic videtur fuisse. Primo tradere voluit interna rerum Principia, è quibus constant atq; generantur. & quia duplex est eorum consideratio, vel quatenus partes rerum sunt atq; Elementa, vel quatenus operationum authores; priore quidem respectu de ijs egit prius, in primo libro physicorum; altero, in principio secundi, sub nomine Naturæ, quod ijs competat, quatenus effectiones ab ijs proficiscuntur. Tunc demum transijt ad Principia externa, Causam efficientem & finalem; de quibus solis cum illic verba facere debuisset, Materiam & Formam cum ijs rursus supervacue posuit. Hæc est Aristotelis methodus, qua rerum naturalium Principia & Causas executus est in duobus primis physicorum libris, per se bona satis; hoc vitij habens, quod in principio dicere neglexit, quomodo se haberent Principia ad Causas, & quid inter hæc duo interesset, quodq; Materiam & Formam inter Causas non recte repetivit. absq; hoc methodus illa est proba, quanquam non exactissima, si ad ipsius scita exigatur; cum dicat, in principio primi physicorum, non modo à maxime generalibus, sed & ab omnium primis ordiendam esse Physicam: Causa autem Efficiens est magis prima, quam Materia aut Forma; imo & Finis quoque, ex ipsius doctrina. Non tamen, ut ipsa nobis non multum displicet, ita & res quæ eâ tractantur. namq; illo ordine agi de rerum naturalium Causis & Prin-

& Principijs, possumus quodammodo probare; Principia Cap. I. ipsa & Causas ab Aristotele tradita, nequaquam: cum partim falsa sint, partim manca, quæ ab ipso traduntur. & de Principijs quidem generationis ac constitutionis, jam diximus. sed neq; placent nobis, quæ de ijsdem tradit, quatenus sint Principia operationum, & Naturæ nomine ab ipso insigniuntur; quod postea peculiari ac prolixa tractatione (ita enim rei dignitas postulat) persecuturi sumus.

III. Restat igitur impræsenti, ut de Causis quid dicatur ab Aristotele perpendamus: ubi inprimis id nobis displicet, quod ita levi pede illas pertransiverit. Quanquam enim, aggressurus Causarum explicationem, dicat id necessarium esse, ut ortum ac interitum, omnesq; naturales mutationes ad eas referre sciamus; ita tamen laxe id fecit ac negligenter, ac si in tyrocinio Logicæ, non in Disciplina Naturali versaretur; quod de Efficienti præcipue intelligi volumus: quam nequaquam subjecto suo accommodavit, aut accommodare aggressus est, adeoq; oscitanter eam transcurrit, ut fere nihil aliud de ea dicat, nisi quum Causarum sint quatuor genera, unam de isto numero esse Causam Efficientem. & de Finali quoq; Causa diligentiam haud multo majorem præstitit. de Materia & Forma paucissima delibavit, sed ea ipsa sunt nimia, cum nullum de ijs verbum hic facere debuerit, utpote de quibus antea tam verbose seorsim egerit. Itaq; multi accusant Aristotelem, quod illa de Causis in secundo physicorum tractatio nequaquam physica sit, sed logica penitus. & ipse Zabarella, qui multum laborat, ut ostendat, rite & loco dicta esse, quæ De Scien. nat. ibi de causis dixit Aristoteles, fateri tamen cogitur, Quod, 11. de illa tractatione, quæ in primo libro habetur, dicere possumus, nos per eam cognovisse primas Causas rerum naturalium; sed de illa, quę habetur in secundo libro, nihil tale dicere nos posse, quia per eam nullas cognoscimus rerum naturalium Causas, ex quarum notitia aliorum cognitionem adipiscamur: namq; eo in loco agi tantum de

 gene-

Cap. I. generibus modisq; causarum, non de causis ullis affectuum naturalium. & Simplicius, tam pauca, ac tam parum ad propositum quæ facerent, de Efficienti Causâ dicta videns, in eam venit opinionem, ut crederet, Aristotelis intentionem fuisse, ut de solo Fine ageret; & quia Finis Causæ species sit, per eam occasionem de Causis in genere nonnulla locutum esse.

IV. Nimis igitur leviter Efficientem causam transcurrit Aristoteles, neq; eam physice accommodavit; quippe non amplius quàm nominans ipsam: quum plurima, ac scitu perquàm digna & necessaria, de ipsa dicenda sint Physico, qui muneri suo vel tolerabiliter velit satisfacere. quin interdum velut somnians, ita de ipsa loquitur; quippe tria hęc; Formam, Finem, Efficiens, unum & idem esse in naturalibus. sic enim ait. 2. Phys. 7. ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις. *Sæpe tria ista in unum veniunt.* & clarius 2. de Anim. 4. Ὁμως δ᾽ ἡ ψυχὴ κατὰ τοὺς διηρημένους τρεῖς τρόπους αἰτία. καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὐτη, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα καὶ ὡς ἡ οὐσία τῶν ἐμψύχων σωμάτων ἡ ψυχὴ αἰτία. *Attamen anima secundum triplicem illum modum Causa est. namq; & Principium motus est hæc, & Causa finalis; & tanquam essentia corporum naturalium causa est anima.* quæ verba nimis odiosâ ludunt homonymia. Animam enim esse Efficiens, nemo sanus negaverit. namque & actiones omnes ab ipsa fluunt, & corpus ipsa fabricavit, quod ut verissimum est, ita ipse quoq; sensisse videtur. 7. Metaph. 9. qua de re alibi agendum erit. Propterea tamen ipsa Efficiens Plantæ aut animalis, cujus Anima est, dici nullo pacto debet. non enim corpus tantum est animal aut planta, sed corpus animæ junctum; proptereaq; quando Efficiens quæritur, non solius corporis Efficiens afferendus est, sed totius, hoc est, ipsius quoq; Animæ. & quanquam Anima, quæ erat in semine canis, corpus ipsius architectata est; quando tamen de Efficiente canis quæstio est; non Anima alleganda est, sed illud, quod ipsam quoq; animam fecit, & semini implantavit, ac viribus illis donavit, ut ex semine corpus sibi

mo-

moliri ipsa posset, non enim seipsam anima fecit, sed cum aliquando non esset, à Principio Efficienti ut esset accepit; propterea; animalis Efficiens Anima dici non meretur, cùm ipsa, nobilissima animalis pars, aliud Efficiens agnoscat; quod ut per se manifestum est, ita ipsi quoq; alicubi testatum, illis verbis, γεννᾷ δ' οὐθὲν αὐτὸ ἑαυτό. *Nihil autem generat seipsum.* Itaq; prorsus absurda est illa sententia, Animam esse Efficiens animalium. Et secundo physicorum mirificos dat lusus, in explicatione istius theseos supra citatæ, ἔρχεσθαι τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις. cum enim dicendum illi esset, quo pacto Anima esset ejusdem rei Forma & Efficiens, eo revolvitur ut dicat, Efficiens esse idem specie cum Forma. τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ἕν ἐστι. τὸ δὲ ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον, τῷ εἴδει τὸ αὐτὸ τούτοις· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. *Etenim Forma & Causa finalis, idem sunt. id autem, unde motus primò est, idem specie est cum hisce. namq; homo hominem generat.* si esse idem, non est aliud, quam esse specie idem, omnino recte dixerit, Animam esse idem cum Efficiente, sed si plurimum inter hæc interest, temere illud posuit, quod explicando ipse everteret. namq; si homo generat hominem, non generat homo seipsum, ac proinde Anima hominis non est hominis Efficiens, ejusdem nimirum hominis. nam cum de uno quæritur, de alio respondere, sophistæ potius est, captionum laqueos nectentis, quam Philosophi veritatem docere profitentis. itaq; frivolum dictu est, *Efficiens esse idem quod τὸ εἶδος; Formam, quia sit idem τῷ εἴδει, specie.* in ista enim τοῦ εἴδους homonymia fundatum est hoc axioma, qua sane & alibi abutitur, ut quod dicendum susceperat περὶ τοῦ εἴδους in significatione *Formæ*; id de eo explicet in significatione *speciei*; vel contra. itaq; plane extra chorum saltat, dum istam affert probationem, cur Forma & Efficiens sint unum, quia sunt unum specie; ad quod suis ipsi verbis respondemus; Οὐκ ἓν ἅπαντα, ὧν μία ἡ οὐσία, ἀλλὰ πολλὰ καὶ διάφορα. *Non sunt unum omnia, quorum eadem est substantia, seu essentia, sed multa*

Cap. I.

3. Metaph. 4.

Cap. I. *& differentia.* Averroes tamen (cui pessima quæq; in Aristotele maxime placuerunt) non dubitavit hoc tanquam probatum à præceptore usurpare. scribit enim, *Quod Causa formalis, finalis, & movens, sint idem secundum subjectum; neq; differant nisi secundum modum:* & alibi quoq; similia repetit; estq; hoc axioma apud reliquos quoq; Peripateticos vulgatum & receptum.

12. Metaph. com. 6.

V. Profecto sæpe ita agit Aristoteles, ut non tam docere, quam ludere velle videatur, ac captata ambiguitate, sophisticas captiunculas nectere: quod non modo in cudendo hoc axiomate, *quod tria in unum sæpe veniant*, sed & alibi rursus in secundo hoc physicorum libro ipsi accidit, in solvenda quadam circa Causam Finalem objectione; quomodo agentia naturalia, quæ id, quod faciunt, sine cognitione faciunt, agant propter Finem, quum hoc videatur iis tantum competere, quæ cum cognitione & ratiocinatione agunt. Etenim id, cujus gratia aliquid fit, scopi rationem obtinet: atq; hac appellatione à Philosophis affici solet, uti videmus inter alios fecisse Galenum sexti de Usu partium, cap. 12. & 13. ubi plurimum de hac Causa sermonem habet. & frivola est illa inter scopum, & Finem, seu τὸ οὗ ἕνεκα, distinctio, à Scaligero tradita, *quod nimirum scopus sit opera sive officium; finis, quod movet artificem ad operam, id est operæ perfectio. operam quidem movere etiam artificem, sed non simpliciter, quia movet propterea quod movetur, neq; primo, quia finis primo movet.* inanis, inquimus, est illa distinctio, neque ipsa actio sive opera, ut ipse vocat, est scopus, sed medium, & iter, quo ad scopum & finem pervenitur. & propterea non modo non movet primo, sed ne secundario quidem. namq; medici scopus non est medicari, sed id quod medicando obtineri potest, sive id sit sanitas, sive duntaxat morbi levamentum. etenim scopus (nisi omnino pervertere velimus ordinem loquendi) est id, quod expetitur & intenditur; non autem per se expetitur ulla earum actionum, quæ aliquid efficere natæ sunt, sed illud ipsum, quod ab iis efficitur.

Comm. in I. Plant.

neq;

neq; si aliquid, quod intendebamus, non assequimur, propterea minus est τὸ οὗ ἕνεκα illius actionis, quæ propter illud suscepta erat. & sane mirabilis est illa distinctio apud autorem Introductionis, *Id quod optatur, & non attingitur, dici scopum: dum vero attingitur, dici finem*; quasi vero id, quod attingitur, propterea scopi nomen amittere debeat. itaq; superfluam illam subtilitatem merito repudiant [a] Piccolomineus & [b] Sennertus; neque scopus quidquam omnino differt ab eo, quod aliter finis sive τὸ οὗ ἕνεκα appellari solet. Iam scopum sibi proponere, eumq; sibi feriendum destinare, sicuti in scopo proprie dicto fieri sine cognitione haudquaquam potest; ita & in scopo metaphorico locum id habere videtur, quum propterea præcipue Finis scopi nomine afficiatur, quod Agens eum sibi assequendum proponat, actionesq; suas ad eum dirigat ac collimet. Hinc porro oritur difficultas, quomodo agentia naturalia, cognitionis expertia, dicantur agere propter Finem, quum eum sibi proponere, seseq; ac suas operationes ita ad eum dirigere non valeant. Hanc objectionem ut solvat Aristoteles, ait, non opus esse ut id, quod propter Finem operatur, deliberatione utatur, quum ars non deliberet, & tamen propter Finem agat. eandem autem esse hic naturæ, quam artis, rationem. ἄτοπον δὲ, τὸ μὴ οἴεσθαι ἕνεκά του γίνεσθαι, ἐὰν μὴ ἴδωσι τὸ κινοῦν βουλευσάμενον. καίτοι καὶ ἡ τέχνη οὐ βουλεύεται· καὶ γὰρ εἰ ἐνῆν ἐν τῷ ξύλῳ ἡ ναυπηγική, ὁμοίως ἂν τῇ φύσει ἐποίει· ὥστ' εἰ ἐν τῇ τέχνῃ ἔνεστι τὸ ἕνεκά του, καὶ τῇ φύσει ἔνεστι. μάλιστα δὲ δῆλον, ὅταν τις ἰατρεύῃ αὐτὸς ἑαυτόν· τούτῳ γὰρ ἔοικεν ἡ φύσις. *Absurdum autem est, putare rem non fieri alicujus gratia, si non videant causam moventem deliberare. namq; & ars non deliberat. si enim in ligno inesset ars fabricandi naves, eodem modo, ac natura, ageret. itaq; si arti inest hoc, ut alicujus gratia operetur, etiam naturæ inest. maxime autem manifestum hoc est, si aliquis sibi ipsi medeatur. huic enim similis est natura.* An idonea sit hæc responsio, & an absurditati, quam alteri parti impingit, ipsa non multo magis

Cap. I.

a Introd. 23.
b 1. Inst. 1.

Cap.I. gis sit affinis, & quidem non uno modo; nemo, qui eam perpenderit, poterit dubitare.

VI. Sane, qui hanc moverunt dubitationem, quomodo agentia naturalia agant propter Finem, quum ita agere, proprium sit ijs, quæ cum deliberatione agunt; non aliud ijs verbis voluerunt, quam ad actiones non temerarias nec fortuitas, sed quæ in certum Finem tendunt, necessarium esse, ut Finis sit præcognitus, atq; appetatur, ac proinde actio cum certa intentione ad eum assequendum dirigatur: quæ suppositio veritati est omnino consentanea, nec à quoquam negari potest; fatentibus ipsis Aristotelicis, è quibus sufficiat nominasse Suarezium, qui diserte ait, Disp 23. sect. 6. §. 2. & 3. *Ut finis causet, necessarium omnino esse, ut præcognitus sit; hancq́; esse omnium philosophorum receptam sententiam: & sæpe quidem fieri, ut finis causet, quando non existit; nunquam autem, si non sit cognitus.* Sed Aristoteles cavillationis ansam invenit in ambiguitate vocis βουλεύεσθαι, *deliberare*; quia deliberatio intelligi solet de ijs rebus, quæ in utrumq; agitari ac ventilari ita solent, ut quæratur, utrum potius faciendum sit; & quod agendum est, hoc potius an illo modo agi debeat: quod certe concedimus Aristoteli, in artibus plerumq; locum non habere; quum in magna illarum parte artificibus absq; ulla consultatione certum sit, quid ac quomodo agere debeant. Sed hæc non est sola vocis βουλεύεσθαι significatio, quippe quæ sæpissime etiam sumitur pro eo, quod est, in animo habere, & certo consilio apud se statuere; quo pacto non est ut artifex ἄνευ βουλεύσεως operetur, sed quotiescunq; aliquid agere aggreditur, necesse est ut constitutum apud se habeat, quid agere velit, certaq; intentione in illud, quod agendum sibi proposuit, feratur. Solutio igitur hæc, quæ nihil impedire ait, quominus natura agat propter certum Finem, quanquam non adhibita deliberatione, quia & ars agat ob Finem, nec tamen deliberet; absurda est, quippe vocabulum Deliberationis in diverso sumens sensu, quàm autores objectionis sumi id voluerunt: quorum non alia mens fuit, nisi

Cap. I.

nisi ea, quæ alicujus gratia agunt, agere certa ratione; quærendo porrò, quomodo agentia naturalia possint agere certa ratione, quum ipsa sint rationis expertia. Nam quod agant certa ratione, nemo nisi demens negaverit; omnesq; sani cerebri concesserint, quod & in hoc 2. Physicorum tantopere inculcat Aristoteles, & repetit quarti de Gener. Anim. secundo, *Omnia, quæ natura fiunt, non secus quam quæ arte, certa ratione fieri:* sed hoc non tollit dubitationem, quomodo ratione agant, quæ carent ratione. Sane Galenus, si quisquam unquam Philosophus, & vidit, & acerrime defendit, naturæ opera ob certum Finem fieri, suamq; illis rationem exactissime constare: ac summam in ijs non potentiam modo, sed & sapientiam, pleno ore passim deprædicat. hoc autem adeò non minuit ipsi hunc scrupulum, ut nemo sollicitius ipso quæsiverit, quo pacto tam sapienter agat natura, ὀ μόνον ὀυκ ὀῦσα σοφὴ, ἀλλὰ καὶ παντάπασιν ἄλογος, *non modo non sapiens, sed omnino rationis expers:* sicuti hac de re loquitur in libro de Formatione fœtus, ubi plurimis verbis tractat præsentem difficultatem. ad quam solvendam profecto nihil facit hæc Aristotelis responsio, utpote cavillatio mera, non ipsam rem enodare laborantis, sed unius verbi, quod in ea proponenda adhibitum fuit, ambiguitate abutentis, indeq; ludicram hanc captiunculam exsculpentis. cui hoc præterea absurditatis accedit, quod ea huc congeruntur ab Aristotele, quæ cum proposita quæstione ne minimam quidem habent affinitatem. Namq; suppositio illa (admodum sane inficeta) de naupegica existente in ligno, uti & exemplum medici curantis seipsum, fortassis aliquid faciant ad declarandum, quomodo natura sit Principium internum operationum. quam autem lucem afferant ad explanandum, quomodo natura, rationis expers, agat tamen cum ratione, ne oculatissimi quidem videre possunt. ut mirari liceret, quomodo Aristoteli in mentem venire potuerit, hæc isto loco asſuere; nisi si passim ejus scripta scaterent ejusmodi exemplis, quæ rebus, ad quarum illustrationem ipsa adhibet, tenebras longe majores offundunt; utpote adeo obscura,

Gg atq;

Cap. I. atq; à proposito in tantum discrepantia, ut diligentissimi quoq; atq; addictissimi ejus interpretes, ubi plus satis sudaverunt, cogantur re infecta discedere, neq; alterum alteri queant accommodare: aut si quid afferunt, (uti in desperatissimis quoq; locis afferre tamen aliquid semper satagunt) frigidissima loquantur, & quæ nemini libere ac sane judicanti queant persuaderi. unde etiam fit, ut intestinis inter se discordijs collidantur, dum alius aliud comminiscitur, ac socij commenta repudiat, ipse nihilo saniora apportans: cujus rei specimen rursus habemus mox post hunc ipsum locum, videlicet capite nono, ubi ad illa verba, Ἐπεὶ γὰρ τὸ εὐθὺ. &c. ita Conimbricenses; *Adverte, non parum esse difficultatis & dissensionis in explicando exemplo mathematico, quod hic Aristoteles adhibuit.* & ejusmodi exempla innumera in omnibus Aristotelis libris Physicis ac Metaphysicis sparsa sunt. sed hoc quidem nunc omittatur: atque ad propositum de Fine sermonem revertamur.

VII. Profectò hoc quidem rectè Aristoteles, quod naturam alicujus gratia agere sentit; atq; opera ipsius nequaquam esse fortuita, sed certâ ac summâ ratione constantia. in quo tamen non putamus eum quicquam novi attulisse, neq; quicquam abstrusi aut obscuri. namq; res adeo est evidens, & ita in oculos sponte incurrit, ut negari haud possit, nisi summa cum stoliditate ac vecordia. Extitit quidem post Aristotelem Epicurus, qui brutam hanc opinionem, qua omnia naturæ opera casu fieri, neq; certum in Finem spectare asseritur, auderet profiteri; è cujus schola Lucretius pro magno damnat errore, siquis oculos factos dicat, ut ijs videremus, aut pedes, ut ijs progrederemur, aut manus, ut ijs res apprehenderemus; eósque, qui sic statuunt, perversam ait ac præposteram inire rationem. & pergit: *Nil adeo natum 'st in corpore, ut uti Possemus: sed quod natum 'st, id procreat usum.* ac postea repetit, *prius ipsa Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis.* concluditq; ita, *Quare etiam atq; etiam procul est, ut credere*

credere possis *Utilitatis ob officium potuisse creari* (videlicet sensus ac membra) quam dementissimam ac plane pecuinam sententiam amplexus etiam fuit, atq; ab Epicuro acceptam, sectæ suæ tradidit Medicus Asclepiades; quem Galenus in plurimis locis divini operis De usu partium, præsertim verò libro undecimo, nervosissime impugnavit atq; expugnavit. Sed qui ante Aristotelem fœdum hunc errorem erraverit, neminem putamus fuisse celebriorū Philosophorum. Quanquam enim vel ex Platonis nono de legibus constet, jam olim fuisse nonnullos, qui ita sentirent, ut & ipsam mundi originem fortuitis Materiæ motionibus ferrent acceptam & omnem deinceps generationem ab eodem fonte repeterent: priscos tamen illos atq; præclaros philosophos, Parmenidem, Anaxagoram, Democritum, Empedoclem, cæterosq; fuisse ab hoc crimine immunes, casumq; & fortunam à natura relegasse, vel ex ipsius Aristotelis testimonio constat, qui hujus libri cap. 4. scribit, Ἀπορήσειεν ἄν τις, διὰ τί ποτε οὐθεὶς τῶν ἀρχαίων σοφῶν, τὰ αἴτια περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς λέγων, περὶ τύχης οὐδὲν διώρισεν, ἀλλ' ὡς ἔοικεν, οὐδὲν ᾤοντο οὐδ' ἐκεῖνοι εἶναι ἀπὸ τύχης. *Dubitare autem licet; quare nemo veterum sapientum, generationis ac interitus Causas edisserens, de fortuna quicquam definiverit. Sed, ut videtur, ne illi quidem putabant quippiam fortuito fieri.* quæ sane veriora, quàm quod ibidem, non multo post hæc verba, Empedocli affingit, quod dixerit, Τὰ μόρια τῶν ζώων ἀπὸ τύχης γενέσθαι τὰ πλεῖστα, *plerasq; animalium partes fortuito factas fuisse.*

Cap.I.

VIII. Sicut autem nihil novi hac in parte attulit Aristoteles, neq; aliud dixit, quàm quod cum per se clarum, tum plerisq; ante ipsum Veteribus jam dictum fuerat; ita longe post illos est, quantum ad difficultatem illam modo tactam, quomodo natura, quum rationis expers sit, agat tamen propter Finem. Ad hoc enim nihil ipse affert (sicuti vidimus) præter inanem captionem, quæ ad rem illustrandam nihil plane faciat: Veteres autem, si non omnes, at nonnulli rem acu tetigerunt. Quippe aiunt,

Cap. I.

agentia naturalia sic agere, quia sic agere nata sunt, & quia ipsis necessitas sic agendi imposita est; quod ipse testatur Aristoteles his verbis: Phys. 7. Εἰς ταύτην τὴν αἰτίαν ἀνάγουσι πάντες, ὅτι ἐπειδὴ τὸ θερμὸν τοιονδὶ πέφυκε, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ ἕκαστον δὴ τῶν τοιούτων, ταδὶ ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ καὶ γίνεται καὶ πέφυκε. *Omnes ad hanc Causam reducunt; quòd quandoquidem tale natum est calidum, & frigidum, & unumquodq; ejusmodi rerum, hæc necessario sint, & fiant, ac nata sint*: quæ sane sententia verissima est, si recte explicetur; quod nimirum, sicuti calida necessario calefaciunt, & frigida frigefaciunt, ita omnia agentia naturalia necessario agant id quod agunt, & eo modo ac agunt; quia ipsis vis sic agendi indita est, ac congenita. Quum enim agant propter certum Finem, & ad ita agendum requiratur ut Finis præcognitus sit, atq; intendatur; quod ipsa facere non valent, quum ratione ac cognitione in totum careant: alterutrum necesse est, ut Causa superior, atq; ratione prædita (sive ipse Deus, sive, ut vocant, Intelligentiæ) vel cooperetur ijs, atq; ad omnes ipsorum actiones concurrat, easq;, quod ipsa facere non possunt, ad certum Finem dirigat; quomodo nimirum magister pueri scribere discentis manum sua manu apprehensam dirigit, ut certos atq; destinatos literarum ductus efformet: vel ut cuiq; agenti naturali simpliciter eas vires indiderit, quibus ad Finem, sibi quidem præcognitum ac destinatum, ipsi autem agenti ignotum, perveniret; ut quanquam ipsa nesciant, quid agant ac propter quid, & quis actionis sive operationis suæ exitus sit futurus, certus tamen illis scopus sit propositus, quem sua actione debeant attingere, ac quem, viribus suis utendo, attactura sint nihilo secius, neq; minus certo, quam si cognitione prædita essent, eumq; sibi ipsa proponerent: sicuti asinus molarius operæ suæ scopo, qui est comminutio frumenti, æque satisfacit cum ista ignoratione, acsi eum vel maxime cognitum haberet, sciretq; se propterea circumcursare, ut frumentum commoleretur. Horum modorum alterum necessario amplecti debent, quotquot Agentia naturalia, cognitionis exortia, propter certum

Finem

Cap. I.

Finem, & alicujus gratia operari fatentur. Et prior quidem modus plurimos omni ævo Aristotelicos habuit, à quibus foveretur, totaq; fere scholasticorum (ut vocatur) turba eo concessit; qui & ipsum Aristotelem eo pertrahunt. in quo tamen falluntur, quum neque hoc in libro (ubi locus erat cummaxime) verbulum ea de re ullum faciat; neq; ij loci, quos in hoc allegant (ut quod primi de cœlo capite quarto, Deum & naturam conjungit, dicens nihil facere frustra; quodq; alibi plus semel ait, naturam nihil frustra aut temere agere) eum habeant sensum: sicuti & nos alibi oportuniore loco declaraturi sumus, & nonnulli de ipsis Peripateticis agnoscunt; inter quos Pererius verè scribit; *Intelligentias secundum Aristotelem non alio modo movere aut regere res sublunares, quàm per motum ac lumen cœli.* Sed quum hic modus à vero alienus sit, ob rationes postmodo à nobis exponendas; relinquitur ut alter modus sequendus sit, utq; agentia naturalia dicantur ob Finem operari propterea, quia tales vires à Conditore suo acceperunt, ac necessitas ita operandi ipsis ab eo imposita est. Quodsi Veteres illi insitas hasce facultates necessario sic operandi, ut ad certum Finem certo perveniatur, Materiæ sponte insitas putaverint, non à Deo creatore inditas; in eo sane graviter erraverunt, atq; castigationem merentur. Ad veritatem tamen sic quoq; propius accesserunt quam Aristoteles, qui de duobus illis modis (præter quos haud alius hic datur) neq; priorem amplectitur, neq; hunc secundum; sed rem hanc, quomodo agentia naturalia propter Finem agant, plane indecisam relinquit; ludicra tantum & captiosa responsiuncula eam diluisse contentus. 8. Phys. 3.

IX. Sed insignem sane, ut alibi sæpissime, ita hic Aristotelis inconstantiam est animadvertere; qui hanc opinionem, quod agentia naturalia faciant omnia, ὅτι οὕτω πέφυκε, sive *per congenitam necessitatem*, aliquanto post, quam eam ex veterum sententia proposuit, rursus velut suam ac propriam promit, hisce verbis: οὐδὲν ὡς πράττε-

Cap.I. ται, ὅτω πέφυκε. καὶ ὡς πέφυκεν, ἂν μή τι ἐμποδίζῃ, ὅτω πράττεται. *unumquidq; ergo, quomodo agitur, sic agi natum est: & quomodo natum est agi, ita agitur, nisi quid impediat.* Et tamen postea toto capite nono impugnat hanc sententiam, facitq; eos, qui eam tuentur, extirpare Finem & τὸ οὗ ἕνεκα ex natura; acsi propterea, quia dicunt naturalia agentia necessario agere id quod agunt, dicerent, actiones eorum ad nullum certum Finem dirigi; quod & in alijs multis suorum librorum locis repetit. Sed hæc male colligit, neq; ex eo, quod agentia naturalia dicuntur agere ex congenita necessitate, statim sequitur, ea non agere ob certum Finem. Exempli gratia, qui hominis dentes anteriores acutos, molares planos ac latos factos dicit, quia vis illa formatrix, quæ dentium fabricationi præsidet, necessario alios dentes sic habentes, alios vero aliter, efficit; non propterea dicit, dentes non esse cum ista varietate factos ad commodiorem cibi commolitionem: sed hoc tantummodo dicit, facultatem illam huic quidem scopo satisfacere; non tamen propterea sic operari, quia sic manducationis utilitas & commoditas requirebat (quum nullam istius rei cognitionem habeat, utpote omnis cognitionis expers) sed quia πέφυκεν ὅτω ποιεῖν, *nata est sic agere*, ut ipsius actio necessario hunc Finem attingat: idq; moderatione superioris Agentis, qui cum hunc Finem & cognosceret, & obtineri vellet, Agens hoc inferius ita instituit, ut sic operetur ex necessitate, quomodo operaretur μετὰ βουλεύσεως atq; ex destinatione, si ratione atq; cognitione præditum foret. Ipse tamen Aristoteles longe aliter torquet hanc, quam veteres isti physici loquebantur, necessitatem, aitq; eo redire, ac si quis diceret parietem ita factum, quia quæ gravia erant, sponte ac necessario in inferiorem locum descenderunt; quæ le-
2 Phys. 9. viora, superiorem occuparunt. νῦν δ' οἴονται τὸ ἐξ ἀνάγκης εἶναι ἐν τῇ γενέσει, ὥσπερ ἂν εἴ τις τὸν τοῖχον γεγενῆσθαι ἐξ ἀνάγκης νομίζοι, ὅτι τὰ μὲν βαρέα κάτω πέφυκε φέρεσθαι, τὰ δὲ κοῦφα ἐπιπολῆς. διὸ οἱ λίθοι μὲν κάτω,

καὶ

Cap. I.

καὶ τὰ θεμέλια· ἡ δὲ γῆ ἄνω, διὰ τὴν κουφότητα· ἐπιπολῆς δὲ μάλιστα τὰ ξύλα. κουφότατα γάρ. *Nunc enim putant neceſſitatem eſſe in generatione ita, ac ſi quis exiſtimaret parietem neceſſario factum eſſe, quia gravia nata ſunt deorſum ferri, levia autem ſurſum: quare lapides quidem & fundamenta ſint inferius: terra autem ſuperius, ob levitatem: ligna verò maxime in ſummo, quum ſint leviſſima.* Sed, ô bone, (reſpondere illi poſſent) non hæc, quam tu nobis affingis, eſt illa neceſſitas, de qua nos loquimur, ſed alia longe diverſa: quod in tuo ipſius exemplo facile eſt nobis declarare. Quomodo enim faber parietem ita ædificat, parteſq; ejus ſic diſponit, quia ſic melius ipſi videtur, atq; uſus ita requirit; ita ſi ars parietem ita ædificandi poſſet lapidibus atq; lignis indi (cujuſmodi ſuppoſitione tu ipſe in hac tractatione uteris) ſic quidem ut hoc tantum modo, & non alio, poſſet parietem ejuſq; partes extruere atq; diſponere; recte diceremus parietem neceſſario ita factum fuiſſe, quia Principium ædificativum ita erat determinatum, ac veluti circumſcriptum, ut non poſſet aliter ædificare, quippe inſitam habens neceſſitatem ita ædificandi. Hanc igitur volumus in rerum generationibus intelligi neceſſitatem, non quę à proprio ac ſpontaneo ipſius Materiæ motu pendeat, ſed quæ à certa ac congenita Principiorum effectivorum, Materiam regentium, facultate pendeat. Sane hanc fuiſſe iſtorum Philoſophorum mentem, quoad neceſſitatem in generationibus, longe eſt credibilius, quam quę illis attribuitur ab Ariſtotele, qui nimium ſane exercitatus eſt in bonis atq; probis, aut ſaltem non valde improbabilibus Priſcorum ſententijs, in aliena atq; oppidò quàm monſtroſa figmenta detorquendis. Quod ſi omnino ita ſenſerunt, quomodo eos hic ſenſiſſe facit Ariſtoteles, attamen ne ſic quidem pejori ſunt loco, quantum ad præſentem quæſtionem, quam ipſe, qui contentus dixiſſe, quod actiones agentium naturalium non ſint temerariæ, nec fortuitæ, ſed certos Fines, ad quos perveniant, habeant propoſitos; in medio reliquit hanc difficultatem, quomodo res cognitionis expertes poſſint actiones ſuas ad

Cap. I. certos Fines dirigere (quod omnino est rationis & intellectus opus) neq; ad ejus enodationem quicquam omnino attulit, quum tamen hic proprius esset ejus pertractandæ ac decidendæ locus.

X. Sed & de natura hujus Causæ, ac modo operandi, dictum aliquid oportuit. quanquam enim ad aliam forte scientiam plenior istius negotij disquisitio pertinet, omnino tamen & physiologo aliquid de ea dicere opportunum est, ne rem tanti in sua disciplina usus, ac Finalem Causam in Physica ipse facit Aristoteles, totam aliunde emendicare habeat necesse: & qui tantum sermonis in libris hisce physicis insumsisset de loco, tempore, infinito, alijsq; rebus, ad investigandas corporum naturalium generationes non admodum necessarijs, excusatius ac majori jure aliquam saltem in eo operam posuisset, ut ejus Causæ, cujus summam in physiologia dignitatem toties ac tantopere nobis commendat, conditionem ac naturam quadamtenus saltem nobis explicaret. Iam verò non modo hic non fecit istuc, sed ne alibi quidem uspiam: ac proinde uberem, pro more suo, discipulis dubitationum atq; rixarum messem reliquit, qui multum in eo æstuant, ac inter se digladiantur, utrum Finis moveat, ac Causæ vim obtineat, *secundum esse suum reale* an *secundum esse* (ut vocant) *intentionale*. Et quanquam res, sobrie considerantibus, ita plana sit, ut nullus videatur relinqui dubitandi locus, utrum ex duobus sequendum sit; longe tamen major numerus abijt in deteriorem partem, ac statuit Finem movere *secundum esse reale*; quod sane non parvam habet absurditatem. Sæpe enim id, quod Finis rationem obtinet, atq; ob quod actio suscipitur, nondum existit in rerum natura, sed illa ipsa actione producendum est: imo interdum non modo nondum est, sed ne futurum quidem est, atq; aliquando ne esse quidem potest. Dictu autem absurdum est, ejusmodi res movere per esse suum reale, quod ipsæ nullum habent, quum ipsæ realiter non existant. Ipsis quidem pro nihilo est, Gordium hunc nodum solvere (sicuti mirifici sane sunt homines,

homines, & quibus nihil tam arduum aut desperatum occurrit, ad quod non aliquid in promtu habeant: quum semel apud se statuerint, hypotheses suas custodire, quidcunq; tandem ipsis futurum sit) ac explicare, quomodo id, quod non est omnino, possit aliquid agere realiter, & secundum esse suum reale. Aiunt enim, *se intelligere illud esse reale, non quod est verum & positivum Ens, & non dependens ab intellectus notione; sed ita fuse, ut complectatur omne esse, quod quoquo modo est possibile obtineri, vel saltem tanquam possibile aut non impossibile offertur appetitui, sive positivum aliquid sit, sive habeat esse in rebus, sive in sola mente, prout tamen prædictam possibilitatem vel non impossibilitatem in ordine ad possessionem induit.* sed ludunt certe nimis proterviter in vocabulis, qui id vocant Esse reale, quod nihil sit positivum, neque habeat esse in rebus, sed in sola mente, atq; ab intellectus notione dependeat. nam si hoc non est Ens intentionale, cui omnia ista competunt, nullum profecto est in Mundo. nam quod ad ista probanda dicunt, *Rem, quæ Finis dicitur, secundum id, tanquam secundum rationem formalem causandi, movere, quod cum obtinetur, desiderium satiat: hoc autem non convenire ei secundum esse, quod habet in mente, quia sic appetitum acuit, non explet, sed secundum esse reale, quo adepto quiescit agens: neq; esse objectivum Finis expeti aut procurari ab agente, neq; ægrotum desiderare esse intentionale valetudinis, sed esse reale*: speciosa quidem sunt, sed errore plena, in quem impulsi sunt, dum speciem rei animo oblatam, à re ipsa non discernunt. Certum enim est, nos appetere res, ut realiter subsistunt, non ut in mentis conceptibus foventur. Attamen id, à quo movemur ad appetendum, non est res ipsa, sed species rei animo obversans; quam speciem esse ens rationis, non reale, neq; ipsi negare queunt. Et res hæc declarari potest exemplo. qui amat alterum, non ab ipso movetur, aut ab esse ejus reali, sed ab ejus specie, hoc est ab esse ejus intentionali; idq; inde manifestum est, quod amamus etiam absentes, imo jam mortuos, ita ut multi charorum morte

Cap. I.

Conimbr. 2. Phys. cap. 7. quæst. 23. art. 2.

Ibid.

Cap. I. sublatorum desiderio contabescant: cujus amoris ac desiderij causa non est esse reale, quod ipsi tunc nullum habent, sed esse intentionale; species nimirum ipsorum, animo amantium impressa. neque est quod cavillentur, animas a morte manere. non enim anima hic inter mortales est amoris objectum, sed homo integer, ex anima & corpore compositus: & si alterutrum seorsim amatur, corpori sæpius quam animæ hoc accidit, & corporis magis quam animæ amatoribus illud evenit, quod hic dicimus. Quod si res realiter existens, non tamen movet animum secundum esse suum reale, sed secundum esse intentionale; multo minus id fecerint Fines, qui plerumq; esse reale nullum habent, nisi postquam ab agente id acceperunt, quippe qui agentis actioni non præexistunt, sed ab eo efficiuntur. & certe sibi ipsis contradicunt, qui itidem dicant, *Et si Finis, cum actu causat, non existat secundum esse, quod habet in rebus, existere tamen secundum esse intentionale, quod in mente obtinet, dum apprehenditur, qua apprehensio sit conditio, sine qua Finis suam causalitatem exercere non possit.* Itemq; *motionem, qua res sub ratione convenientis appetitui objecta, ipsum allicit, esse rationem causandi Finalis Causæ.* hujusmodi enim species appetitui objecta non est ipsum esse reale objecti; ac proinde verum non est, quod dicunt Finis rationem formalem causandi, esse ipsius ens reale: idq; non modo sinceræ rationis dictamini, sed & ipsorum confessioni, vel invitis, expressæ, adversari deprehenditur.

Conimb. 2. Phys. 7. quæst. 20. art. 2.

Quæst. 21. art. 3.

XI. Sicuti autem discipulis male hac in parte cum suo silentio consuluit Aristoteles, ita nihilo melius de ijs meruit, aut plus adjumenti attulit, quantum ad alteram quæstionem, ingentem sane ac difficillimam, uti ipsis videtur; quippe quæ aut omnino tollit Finem è Causarum numero, aut saltem efficit, non constituere eum peculiare Causæ genus, sed ad Efficiens esse reducendum. Etenim duobus tantum modis Finis considerari potest; vel ut est ultimum simpliciter, atq; id in quod actio desinit, & quod ab agente tan-

te tandem vel efficitur, vel acquiritur: vel ut movet appetitum agentis, eumq; ad sese obtinendum excitat. Sed utrumvis horum elegerint, aqua ipsis herebit. Priori enim modo, Finis nequaquam Causæ, sed effecti duntaxat rationem obtinet, uti per se perspicuum est, atq; ipsi fatentur. Altero autem modo ipsi quoq; aiunt, Finem obtinere rationem efficientis. *Finis* (inquit Toletus) *si consideretur in ratione objecti moventis intellectum & appetitum nostrum ad operandum, habet rationem Causæ Efficientis; quum objectum ad potentiam apprehensivam & appetitivam se habeat ut Agens.* taliaq; passim est apud alios Peripateticos reperire. Et hoc adeo in confesso ponunt, ut proinde omnes absq; ulla cunctatione pronuntient, *In hoc non consistere rationem Finis, neq; eum Causæ locum obtinere, inquantum movet appetitum:* quo certe nihil mirabilius cogitari potest. nam si Finis non est Causa, quatenus movet, non est Causa omnino; quum omnis Causa necessario aliquam debeat habere effectionem, quo Causæ nomen mereatur. Fini autem non alia relinquitur effectio, nisi illa, qua Agens movet, ejusq; appetitum excitat ad se persequendum. quare qui Fini hoc eripiunt, neq; Finalis causæ rationem in eo consistere volunt, nihil sibi reliqui faciunt, ob quod Finem in Causarum censum recipiant. Sane tam inextricabilia sunt, quæ in hoc negotio proferunt Peripatetici, adeoq; cum veritate ac inter se pugnantia; ut vix animo capere queamus, quomodo fieri potuerit, ut viri non dicimus acuti ac docti, sed vel communi sensu præditi, animo suo quiverint imperare, ut ejusmodi opinionum monstra crederent, atq; aliis credenda proponerent. Sed non tam ipsorum hæc culpa est, ac rei, quam tuendam susceperunt, quæq; aliter defendi non potest, nisi ut quis monstrosis ejusmodi assertionibus atq; contractionibus se involvat. Hujus enim difficultatis unicum remedium est in eo, quod tantopere ipsi reformidant, nimirum quod Finis non peculiare aliquod Causæ genus constituat, sed ad Efficiens pertineat, ejusq; quędam species sit; quanquam

Cap.I.

2 Phys. quest. 14.

Cap. I. quam longe diversa ab Efficiente vero ac proprie dicto: quum effectio ipsius sit duntaxat metaphorica, ac proprie loquendo non efficiat quicquam omnino (quantum quidem ad animi impulsionem attinet) sed totum hoc, quod efficere ipse dicitur, sit actio ipsius animi seipsum libere ac sponte moventis: qua de re alias plura dicentur. Hanc rem (cognitu non adeo difficilem, si quis paulo diligentius eam rimetur) si ignoravit Aristoteles, tanti nominis Philosophus, effugere non potest quin reprehensione dignus sit. Si autem cognovit eam, multo majorem castigationem meretur, qui eam non patefecerit: quod si fecisset, sectatores suos à magno labore, à-q; multis & ingentibus absurditatibus, in quas nunc prolapsi sunt, liberasset.

XII. Quod si autem vel maxime & hæc, & alia, quæ prius attigimus, de Fine pervidisset ac tradidisset, ne sic quidem erat ut pensum suum se absolvisse, propositóque satisfecisse arbitraretur: quum instituta in hoc libro de Causis, in quantum ad Physicum earum consideratio pertinet, tractatio requireret præterea, ut aliquid de diversis Finium generibus diceret; ac nos edoceret, omnesne æqualiter ad Physicam spectent, paremq; in rerum generationibus vim ac dignitatem obtineant; an verò diversa sit eorum ratio; et siqua hac in parte inter ipsos intercedat differentia, quinam præcipue ac primario cadant sub physici considerationem, quive minus exactam ipsius contemplationem requirant. Hæc aliáque plura de Fine dicenda fuerunt Aristoteli in hoc secundo Physicorum, quem librum ex professo pertractandis Causis, (inquantum Physiologi interest eas cognoscere ad investigandas rerum generationes) dicavit: quum nunc paucissima dixerit de illo, uti & de Efficiente; ac ne minimam quidem partem ejus disquisitionis, quæ ipsi hic incumbebat, impleverit: quod sicuti jam nunc partim apparet ex ijs, quæ à nobis ea de re dicta sunt; ita multo fiet manifestius, si ea, quæ ipse in hoc libro de Causis perstrinxit, cum ijs, quę nos postea

super-

super hoc negotio edissertaturi sumus, conferantur: quando ex ipsa comparatione clarissime dilucescet, quam immani laboret defectu, quamq; extreme jejunus sit ac mancus Aristotelicus hic de Causis naturalibus sermo. Et sic quidem modus fiat huic examini Aristotelicæ de Principijs ac Causis Doctrinæ: in quo mirum videri non debet, si qua prolixius à nobis fuerunt tractata, quum summa hic Peripateticæ Philosophiæ capita versentur, quibus reliqua omnia superstructa sunt; quæq; proinde non nimis strictim aut perfunctorie delibanda fuerunt. Quum enim ista secta per tot secula tantam habuerit celebritatem, ut hodieq; vel ob hanc solam causam, maximę nimirum vetustatis prærogativam, plurimorum animis pertinacissime insederit, qui infelicissimo judicio contemnentes seculi sui felicitatem, & præfracta admodum pertinacia obdurati ad defensionem veterum nugarum, oculos adversus Veritatem occludunt, seq; ipsos perpetua rerum ignoratione condemnant: non erat satis, breviter ipsorum errores perstringere, sed præcipui saltem ad vivum fuerunt resecandi, cunctæq; absurditates ex ipsis pullulantes, evidenter ob oculos ponendæ, atque suis quæq; rationibus coarguendæ, ut appareret nihil à nobis leviter factum, neque novandi studio, sed multis atq; gravissimis de causis nos eam repudiasse philosophiam, quæ uti ex nugis atq; commentis conflata fere tota est, ita in ipso statim limine erroribus tota implicatur: ad quorum nonnullos digitum ante hac intendit Ramus, sed cursim nimis atq; ἐνδεῶς omina delibans, utpote Aristotelis vitia magis, quam Aristotelicæ philosophiæ defectus detegere allaborans. Recenter autem vir magni spiritus Sebastianus Basso valde animose versatus est in hoc argumento, ut Aristotelicæ Philosophię Principia refutaret. in cujus tamen labore non debuisse nos acquiescere, facile erit cuivis animadvertere, qui hæc nostra cum ipsius scriptis contulerit. Quippe nec omnia, de quibus nos egimus, attigit; & in ijs, quæ juxta nobiscum pertractavit, etiamsi multa ac bona (præser- Cap. I.

Cap. I. tim in disputatione contra Formam) dixerit, nobis plurima reliquit dicenda. Quare omnino de novo suscipiendum nobis fuit hoc fundamentorum Aristotelicæ Philosophiæ examen; à quo nunc tempestivum erit ad nostram de Principijs & Causis sententiam aperiendam transire.



DE



CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPIIS AC CAVSIS NOSTRA SENTENTIA.

SECTIO PRIMA.

I. *Notio ac vis vocabuli Principij in vulgato loquendi usu. Principium & Initium, idem.* II. *Suarezij fluctuationes, super primaria ac vulgata hujus vocis notione. Primus in ordine locûs non rectè dicitur Principium eorum, qui post ipsum.* III. *Ita neq; Primogenitus, Principium dicendus reliquorum liberorum. Hebraica vox Reschith, multo latius patet, quam Græca ἀρχὴ, aut Latina Principium.* IV. *Philosophicus vocis Principij usus, incertissimus apud Aristotelem, atq; ad plurimas diversissimas res promiscue accommodatus.* V. *Enumeratio significationum hujus vocabuli, non rite facta ab Aristotele in initio quinti Metaphysicorum.* VI. *Ineptissimus Aristotelicorum conatus, ad distorquendum illud magistri sui dictum, ubi conceptis verbis fatetur, Causam & Principium reciproce dici.* VII. *Censura Aristotelis, super isto vocum abusu.*

vaga.

Cap. II. *vaga atq; incertissima ipsius in libris Physicis & Metaphysicis fluctuationes. Immethodica Aristotelis in docendo ratio, à Scaligero castigata: idemq; adhuc acrius ab eo factum per latus Theophrasti. Rami tamen intemperantia in lacerando Aristotele, non approbata.* VIII. *Vera notio vocis Principij in Philosophia.*

PRincipij vocabulum è medio desumtum, suo proposito accommodaverunt, qui rerum originem primi indagare aggressi sunt prisci Philosophi. Neq; enim in vulgata loquendi consuetudine eum habet usum, quem ab ipsis accepit: sed eodem modo ac Finis, qui est ipsius correlativum, ita ipsum quoq; de Dimensionibus tantùm usurpatur, ita ut in quantitate continua id sit Principium & Finis, quod in discreta est Primum & Ultimum. neque vero omni competit quantitati continuæ, sed lineæ tantum & tempori: neque ulli rei tribuitur Principium aut Finis, nisi quatenus longitudinem habet, aut in spatio aut in tempore; quod in plerisq; manifestum, verum etiam est in ijs, ubi minime videtur. nam & Principium libri dicitur non alio respectu, nisi ratione longitudinis: quam qui in libro videre non potest, nequeat etiam in Mæandro, Serpentinis, Glomis, Spiris, quorum nullum habet suam in directum protensam longitudinem, & longitudinem tamen habent ista omnia certissimam, sic etiam bello, miserijs, felicitati, Principium & Finis competit ratione longitudinis, quam in tempore obtinent; idemq; de actionibus quoq; & passionibus cunctis, quæ aliquam habent durationem, dictum esto. & tale Principium & Finis non est aliquid extra rem ipsam, sed cum ipsa, & in ipsa. neq; enim rei Principium statim potest, nisi ubi jam est aliquid de ipsa, neque Finis, nisi ubi adhuc est (nam quod interdum illud, quod post rem ipsam est, Finis ejus vocatur, ut si gaudium voces tristitiæ Finem, minus exacte loquentium est) sensile enim Principium intelligimus, non punctum aliquod indivisible. Et quidem videntur Principium & Finis opposita

ſita eſſe ſub uno genere Extremitatis; ut Principium ſit extremitas rei incipientis, quomodo Finis eſt extremitas rei deſinentis: quod & Ariſtoteles agnovit, quando dixit ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ, πέρας τι. τὸ δὲ πέρας, οὐ πᾶν ἀρχή. *Principium eſt extremitas quædam: non autem omnis extremitas eſt Principium.* eodem ſpectant illa tertij Phyſicorum quarto, τοῦ δ᾽ ἀπείρου οὐκ ἔστιν ἀρχή. εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας. *Infiniti nullum eſt Principium: eſſet enim extremitas ipſius.* Sumpſit autem à Platone, cujus hæc eſt in Parmenide ſententia: Καὶ μὴν τελευτή γε καὶ ἀρχὴ, πέρας ἑκάστου: *Finis & Principium ſunt cujusq; rei extremitas.* Illa autem ſignificatio, qua Principium rei dicitur id, quod primum in ea fit, quomodo carina navis, & fundamentum domus Principium appellare ſolent, ad primam ejus notionem pertinet. ejuſmodi enim res dicuntur Principia, habita ratione temporis. fiunt enim in Principio iſtius temporis, quod faciendæ toti rei impenditur: & eadem ratione Principium alicujus ſcientiæ dicitur ea pars, unde primum auſpicari ſolent, qui eam tradunt & diſcunt: quopacto phyſiologia eſt Principium Medicinæ; & orthographia, principium Grammaticæ. hunc igitur uſum Principij atq; initij (nam de Fine non eſt ut nunc dicamus) cum inveniſſent primi philoſophi, ad aliam illud peculiarem notionem tranſtulerunt. Principium & initium conjungimus, quia duobus iſtis vocabulis unica res ſignificatur, ut vel ex Græca lingua apparet, quæ non niſi unum vocabulum hic habet, ἀρχὴ, quod Latinè utrovis iſtorum aptè exprimitur: quare etiam Cicero & Seneca in philoſophicis *Initia* rerum & *Principia* indifferenter dicunt. Videtur quidem aliquod diſcrimen conſtitui poſſe, ut initium actionibus tantum accommodetur, principium reliquis. ſed loquendi uſus non agnoſcit tale diſcrimen; atque ut Hebræis *Reſchith* & *Techilla*, ita Latinis *Initium* ac *Principium* promiſcue uſurpantur. Quia tamen Latinis Philoſophis Principij tantum vocabulum placuit, non Initij, ad illum uſum, ad quem Græci philoſophi vocem ἀρχὴ tranſtulerunt, nos illos hac in re ſequemur; quippe quibus non

Cap. II.

5. Metaph. 17.

Ii placet

Cap. II. placet novare quicquam, ubi novandi nulla necessitas incumbit.

II. Et hæc quidem de vocabulo Principij præfari placuit, deq; vulgato ipsius usu; super quo multa turbat Suarez, aiens latissimum esse, & varijs modis posse multiplicari: quum tamen omnes modi, tum quos ipse affert, tum quos à se omitti significat, commode ad duo illa capita à nobis posita possint revocari, illis duntaxat exceptis, qui plane fictitij sunt, sicuti quum ait, *In ordine loci eum, qui sedet primum, dici principium cæterorum*, falsum enim hoc est, & nemo ita loquitur. Nam quod Aristoteles ait, Ταὐτὸ λέγω πρῶτον καὶ ἀρχήν, *idem dico primum & principium*, aliam habet mentem, & neq; de Principio vulgari, neq; de Philosophico aut Physico ab eo prolatum est, sed de Dialectico. Omne quidem principium (nimirum in vulgari significatione) est primum ejus rei, cujus principium dicitur: non tamen, quicquid primum est, potest propterea principium appellari: quum illa (ut sic dicamus) primitas, quæ in ordine loci consistit, omnino sit à Principij notione aliena.

Metaph. Disp. 12. sect. 1.

1. Post. 2.

III. Ita etiam neque primogenitus quidem recte dicatur Principium liberorum, & ne in vulgari quidem sermone hoc fieri solet, contra quam Suarez asserit. Locutus quidem sic est Vetus Scripturæ interpres, Genes. 49. 3. & Deuter. 21. 17. sed decepit eum ambiguitas vocis Hebraicæ *Reschith*, quæ ita Principium significat, ut significet etiam alia, quæ nullo modo vi Græcæ vocis, ἀρχή, aut Latinæ, Principium, continentur. Durissimus enim fit sermo, & consuetudinem Latinæ Græcæq; linguæ planissime violans, siquis pro primitijs dicat ἀρχὴν aut Principium. At Hebræis illæ non aliud nomen, quam *Reschith* habent, ut cuivis istius linguæ perito notum est. *Reschith* etiam illis dicitur, quod in quaq; re præcipuum est ac principale; ut Amos 6. 6. *Reschith schemanim*, primarium unguentorum, *id est*, unguentum primarium, pro quo Vetus transtulit,

Disp. 12. sect. 1. § 30.

x capo di latte

Optimum

Optimum unguentum. &c in ejusdem capitis versu primo, Cap. II. *reschith haggoiim*, præcipuum gentium, id est, gens præcipua. Sic Iob 40. 14. elephas dicitur *reschith darce el*, præcipuum operum Dei, id est, unum de præcipuis operibus. &c sic vulgatissimum illud verbum, Principium sapientiæ est timor Domini, quod in Hebraico est, *Reschith chochmæ Irath Adonai*, Timor Domini, sive pietas, est præcipua sapientia. Alio etiamnum modo *Reschith* Hebræis dicitur, primus alicujus rei inceptor, sive autor, sic enim Prov. 17. 14. *reschith madon*, quod Vetus convertit, *Caput jurgiorum*, à Rabbi Salomone Iarchi, doctissimo commentatore, exponitur, *Hammatchil bammeriba*, qui litem incipit. Quum igitur *Reschith* habeat tot significationes, quas Latina voce Principij nequicquam exprimas, non est ut Scripturæ testimonio confirmetur, Primogenitum rite dici Principium liberorũ. Videtur autem exponendum, Primitiæ liberorum: quod non mirabitur, qui legerit apud Hieremiam Prophetam illa verba, *Israel sacer Domino, primitiæ frugum ejus*, qua phrasi in Novo fœdere etiam Christus vocatur ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, primitiæ defunctorum, 1 Cor. 15. vers. 20. & 23. & familia Stephanæ, ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, primitiæ Achaiæ. Falsum igitur est hoc Suarezij exemplum: ac falsum quoq; alterum, quod è Damasceno ponens, ipse etiam rejicienti quam approbanti proximior videtur, nimirum, *Regem dici principium eorum quibus præest*: nisi si Principium capias pro Principe, quod in Latina lingua plane inusitatum in Græca fit interdum, ut ἀρχὴ pro ἄρχων ponatur. sed plane ridiculum est, in philosophia ejusmodi amphibologijs ludere. ubi enim quæritur, quotupliciter vel in vulgo, vel apud philosophos, dicatur ἀρχὴ, ut Principium significat, insulse isti disquisitioni immiscetur altera illa diversissima significatio, quæ imperium aut magistratum, vel eum qui imperio aut magistratu fungitur, denotat. Namq; Aristoteles sane hic excusandus videtur, qui & ipse τὰς κατὰ πόλεις ἀρχὰς, *Urbium magistratus* affert, ubi de multiplici hujus vocis usu tractat: sed alia ratione, quatenus nimirum Magistratus

Cap. 2. vers. 3.

Rom. 16. 5.

Cap.II. sunt species Efficientis: omnis autem Efficiens principij philosophice sumti species est.

IV. Porro cum vulgari hujus vocabuli usu, de quo hactenus dictum, magnam habet similitudinem philosophicus ejusdem significatus: qui cum unus debeat esse & certus, magnopere sane culpandus est Aristoteles, qui in suis scriptis ita laxe & promiscue eo usus est, ut præter illam vulgarem notionem, de qua modo egimus, illud adhibeat passim novem aut decem adhuc alijs inter se diversis significationibus; ita ut divinandum sit, ubicunq; hoc vocabulum occurrit, quid per illud in eo loco voluerit intelligi. hoc ne quis calumniam putet, appositis testimonijs docebimus. 1. Facit Principij vocabulum generalius quam Causæ, quippe cujus ambitu & omnes Causæ, & alia præterea contineantur. Privationem enim inter Principia numerat; inter Causas vero nunquam, nisi 12. Metaphysicorum 2. ad quem locum omnes dicunt interpretes (quos etiam sequitur Suarez) Aristotelem ibi improprie Causæ nomen usurpasse, atq; vulgari modo, prout Causa dicitur, quicquid ad aliud quovis modo requiritur. 2. Alibi vero passim ista duo, ἀρχαὶ καὶ αἴτια, usurpat plane pro synonymis, ac si nullum prorsus discrimen inter illa intercederet; & proinde nihil referat, sive utrumq; nomen conjunctim, sive alterutrum separatim ponatur. itaq; secundo Physic. in proœmio tractationis de Causis, cum dixisset necessarium esse in unaquaq; scientia, scire τὸ διατί περὶ ἕκαστον, καὶ τὴν πρώτην αἰτίαν; *propter quid unumquodq; est, & primam ejus causam*, subjungit, idem faciendum quoq; in physicis, ὅπως εἰδότες αὐτῶν τὰς ἀρχὰς, ἀνάγειν εἰς αὐτὰς πειρώμεθα τῶν ζητουμένων ἕκαστον, *ut cognitis ipsorum Causis, conemur ad eas reducere unumquodq; eorum quæ quæruntur.* item quarto de Gener. Animal. in fine. Διὰ τὸ γίνεσθαι πολλὰς ἀρχὰς, αἳ τὰς γενέσεις τὰς κατὰ φύσιν καὶ τὰς φθορὰς ἐμποδίζουσι, πολλάκις αἴτιαι τῶν παρὰ φύσιν συμπιπτόντων ἐστί. *quia multa existunt principia, naturales*

Disp.12. sect.1. §. 29.

les ortus & interitus impedientia, sæpe causæ sunt eorum quæ contra naturam eveniunt. sic cum secundo de Part. Animal. septimo dixisset, περὶ τούτων ἐν ταῖς τῶν νόσων ἀρχαῖς ἁρμόττει λέγειν, *de his convenit agere in principijs morborum*: nihil aliud intellexit per Morborum principia, quàm quæ alias Morborum causæ dicuntur. & passim loci occurrunt, ubi ἀρχὰς καὶ αἴτια ut ταὐτὸ δυναμοῦντα conjungit. de quorum numero & hic est. ὥστε στοιχεῖα μὲν, τρία, αἴτια δὲ καὶ ἀρχαὶ τέσσαρες. *itaq; Elementa quidem sunt tria: Causæ autem & Principia quatuor.* 12. Metaph. 4. Alias verò uni alicui ex illis suis quatuor causis hoc nomen facit peculiare, modo Efficienti, modo Materiæ, modo Fini. nam de Forma nihil attinet dicere, quandoquidem dictum de eo satis est antea, quomodo ipsi, cum Materia prima, & Privatione, hoc nomen peculiariter attribuerit. 3. Pro Efficiente usurpavit primo de Ortu & Interitu septimo. Ἡ δὲ ἀρχὴ, πρώτη τῶν αἰτίων. *namq; Principium, est prima Causarum.* item in hisce. τὸ δὲ δυνάμενον πέττειν σπέρμα ἔχον ἀρχὴν εἴδους, ἄρρεν. λέγω δ' ἀρχὴν οὐ τοιαύτην, ἐξ ἧς ὥσπερ ὕλης γίνεται τοιοῦτον, ὃ ον τὸ γεννῶν, ἀλλὰ τὴν κινοῦσαν πρώτην. *Id quod potest coquere semen habens Principium speciei, mas est. dico autem Principium non tale, è quo tanquam è Materia fit tale, ac est ipsum generans, sed primum movens.* [b] Ἔστι δὲ ἡ σελήνη ἀρχὴ διὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον κοινωνίαν. *Est autem luna Principium ob cōmunicationem cum sole.* [c] Τῆς δὲ τῶν ἄστρων τούτων περιφορᾶς, τάχα ἂν ἕτεραί τινες εἶεν ἀρχαί. *Circularis motûs astrorum fortasse quædam alia sunt Principia.* [d] Τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης. *Præstantius est agens patiente, & Principium Materia.* Ἡ μὲν οὖν τέχνη, ἀρχὴ ἐν ἄλλῳ. *Ars est principium in alio.* & 9. Metaph. 12. Αἱ τέχναι, ἀρχαὶ μεταβλητικαί εἰσι. 4. Pro Materia seu Elementis posuit in hisce: [a] τούτων οὖν ταῦτα στοιχεῖα καὶ ἀρχαί. *Horum igitur ista sunt Elementa & Principia.* dicit hæc de calido & frigido, è quibus caro & ossa componantur. [b] Τὰς ἀρχὰς, τὰ καλούμενα ὑπό τινων

b 4 De Gen. Anim. 10.
c Ibid.
d 3. De Anim.
a 12. Metaph. 4.
b 11. Metaph.

Cap. II. καὶ στοιχεῖα. *Principia, quæ à nonnullis vocantur Elementa:*
[c] 2. De Ortu & Inter. 2. c Οὐ μὲν οὖν τὰ πρῶτα ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα καλῶς ἔχει λέγειν, ἔσω συνομολογούμενον, ἐξ ὧν μεταβαλλόντων, ἢ κατὰ σύγκρισιν καὶ διάκρισιν ἢ κατ' ἄλλην μεταβολὴν, συμβαίνει γένεσιν εἶν καὶ φθορὰν. *In confesso igitur sit, quod recte Principia et elementa dicantur prima illa, è quibus mutatis, per seu concretionem et discretionem, seu per quã aliam mutationẽ, accidit ortum & interitum fieri.* 5. Pro Fine sumit 9. Metaph. Ἅπαν ἐπ' ἀρχὴν βαδίζει τὸ γιγνόμενον καὶ τέλος. ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα. *Omne ortum vadit ad Principium, & ad Finem. Id enim, cujus gratia aliquid fit, Principium est.* 6. Præterea usurpat interdum pro eo, quod Latine Rudimentum dicas; illud nimirum è quo quæq; res oritur, & in quo primam existentiam accepit; quale in plerisq; est semen, in alijs quid analogum. exempla sunt in hisce: a Τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτὰ, ἀμφότερα γεννητικά. γεννητικὰ δ' ἐκ τῶν ἀρχῶν, οἷον τὸ δένδρον ἐκ τοῦ σπέρματος. αὕτη γὰρ τις ἀρχή. τὸ δὲ μετὰ τὰς ἀρχὰς, οὕτως ἔχει. ὡς γὰρ ἂν ἔχωσιν αἱ ἀρχαὶ, οὕτω καὶ τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν ἔχει. *Animalia et stirpes, ambo sunt generativa; & quidẽ generativa è Principijs, veluti arbor fit è semine. hoc enim est Principium quoddam. quod autem Principia consequitur, perinde se habet. prout enim se habent Principia, ita et ea se habent, quæ ex Principijs fiunt.* b Τῶν μὲν οὖν μικρῶν, καὶ ὅσα γίνεται μὴ ἐξ ἀλλήλων, αἴτιον τοιαῦτα γίνεσθαι, διὰ ἐξ ἀρχῆς ἐγεννήθησαν, ἡ τοῦ σπέρματος μικρότης. τοῦ γὰρ ἐλάττονος, καὶ ἡ ἀρχὴ ἐλάττων. *Parvorum igitur, eorumq̃, quæ non ex se invicem fiunt, Causa est (ut talia fiant; qualia à principio genita sunt) seminis exilitas. minoris enim & principium minus est.* in quo loco, verbis proxime antecedentibus, duo diversa hujus vocabuli significata ridicule confundit. ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ, παντὸς ἔργου μέγιστον· ἥμισυ γὰρ. τὸ δὲ σπέρμα, ἀρχή. *Principium enim est cujusq̃ operis maximum, utpote dimidium ipsius. semen autem est Principium:* in hac autem oratione præter illam absurditatem, quod quæ de Principio in una significatione dicta sunt, illi in altera significatione applicat;

× θάνατος. ἀρχὴ ... [handwritten marginal note]

a 1. Eth. magn.

b 10. Probl. 15.

altera

altera etiam inest, quod pro verbiale dictum hyperbolicum, Cap. II.
sumit pro certo axiomate : unde deberet sequi, Semen, aut analogum, habere dimidiam magnitudinem ejus, quod ex eo nasciturum est, nisi si in animo habuit Formam suam substantialem, cujus ratione mereatur semen τὸ ἥμισυ dici, aut plus quoque : quo respexerit & istis verbis, Ἡ ἀρχὴ 1 De Cœlo 5.
δυνάμει μείζων ἢ μεγέθει. διόπερ τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν ἐν τῇ τελευτῇ γίνεται παμμέγεθες. *Principium maius est potestate, quàm magnitudine. propterea quod in Principio parvum est, in Fine fit maximum.* sed Formam τοῦ γεννηθησομένου σώματος, *corporis quod nasciturum est*, esse in semine aut analogo, acriter negat permagna pars Peripateticorum. In hac significatione frequens est Theophrasto Principij vocabulum, ut 1. Caus. 4. Ῥᾴδιον γεννῆσαι τὰ ἀτελέστερα, καὶ ἀπ᾽ ἐλάττονος ἀρχῆς. *Facilius est gignere imperfectiora, & à minori Principio.* 7. Alias per Principium id designant, quod Medicis vulgata phrasi Pars Princeps dicitur: quia nimirum quasi imperium habeant in vitam ejusmodi partes. exempla sunt hæc: Ἔνια τῶν μορίων, ἀρ- 4 De Gener.
χαί εἰσιν. ἀρχῆς δὲ κινηθείσης, ἀνάγκη πολλὰ μεθίστασθαι Anim. 1.
τῶν ἀκολουθούντων. *Quædam partes sunt Principia. Principio autem moto necesse est multa de consequentibus dimoveri.* Rationem hujus usurpationis ibidem indicat his verbis: ἐν τῇ ἀρχῇ καὶ τῷ μορίῳ τῷ ἔχοντι τὴν τῆς φυσικῆς θερμότητος ἀρχήν. *in principio, inque parte habente caloris naturalis principatum.* quasi diceret ἀρχὴν esse μόριον ἔχον ἀρχήν : quare eodem in loco pro eodem dicit etiam μόριον ἐπίκαιρον, Ἑνὸς δὲ μορίου ἐπικαίρου μεταβάλλοντος ὅλη ἡ σύστασις τοῦ ζώου πολὺ τῷ εἴδει διαφέρει. *Una præcipua parte immutata; tota animalis constitutio multum specie differt.* Hoc sensu Theophrastus dixit, Αἱ ῥίζαι ἀρχαί τινες τῶν δένδρων. *Radices sunt quædam Principia arborum.* 2. Caus. 13.
Interdum sumit pro parte, quæ prima formatur (qui usus à vulgari non multum abhorret) Ἀρχὴ ἡ καρδία τῶν ὁμοιομερῶν καὶ τῶν ἀνομοιομερῶν. *Cor est Principium similarium & dissimilarium.* 8. Imo & pro parte, à qua aliæ ex- 2. De Gener. Anim. 4.

Cap. II. oriuntur; quò pacto ejusdem libri capite octavo dicit Cor esse ἀρχὴν τοῦ αἵματος καὶ τῶν φλεβῶν. *Principium sanguinis & venarum.* quod etiam dicitur 3. de Part. 4. cum subjunctis verbis, quæ rationem hujus appellationis ostendunt: ἡ δὲ καρδία τῶν φλεβῶν ἀρχή. φαίνονται γὰρ ἐκ ταύτης οὖσαι, καὶ οὐ διὰ ταύτης. *Cor autem est Principium venarum. apparet enim quod ex ipso sint, & non per ipsum.* 9. Alibi vero pro parte præcipua sumit, non quod principatum obtineat, sed quoad molem, aut ob alias utilitates. ita 2. de Part. anim. 8. dicit Carnem esse
3. Hist. Anim. 2. ἀρχὴν καὶ σῶμα τῶν ζώων. *Principium & corpus animalium.* & alibi dicit, τὴν τοῦ αἵματος φύσιν, καὶ τὴν τῶν φλεβῶν, ἀρχῇ ἐοικέναι. *naturam sanguinis & venarum, Principij instar se habere.* 10. Est & ubi ἀρχὴν usurpat pro eo, quod vulgo subjectum dicitur. ita certe sumit 12. Probl. 2. ubi dicens bonum odorem non ita bene percipi, siquis nimis aut prope aut procul à re odorata absit, ait: Οὔτε ἐγγὺς οὔσης τῆς ἀρχῆς, πλεῖστον γίνεται τὸ ῥέον, οὔτε λίαν πόρρω. *Neq; prope constituto Principio, plurimum est id quod effluit, neq; valde longe.*

V. Tot significationibus hoc vocabulum passim adhibet Aristoteles, & alijs adhuc pluribus, uti comperiet quiscunq; ejus scripta evolverit; in quæ omnia non optime quadrat illa nota, τὸ πρῶτον εἶναι ὅθεν ἢ ἔστιν ἢ γίνεται ἢ γινώσκεται: *esse primum, unde quid, aut est, aut fit, aut cognoscitur.* quam tamen vult πασῶν κοινὴν εἶναι τῶν ἀρχῶν *communem esse omnium Principiorum,* 5. Metaph. 1. quo in loco varias hujus vocabuli significationes enumerat. Est autem illa enumeratio non uno modo culpanda. ait enim Principium esse, ὅθεν ἄν τις τοῦ πράγματος κινηθείη πρῶτον, unde aliquid primo movetur, ut longitudinis & viæ: vel ὅθεν ἂν κάλλιστα ἕκαστον γένοιτο, unde quidq; rectissime incipitur, ut in disciplinis interdum ab eo incipitur, quod non est rei Principium, ἀλλ' ὅθεν ῥᾷστ' ἂν μάθοι: vel ὅθεν πρῶτον γίνεται ἐνυπάρχοντος, quod in quaq; re primum fit, ut carina in navi: vel, ὅθεν πρῶτον ἡ κίνησις ἄρχεται, unde

unde primum motus incipit, quomodo parentes sint Principium liberorum, & convitium pugnæ: vel, ὃυ κτ̀ προαίρεσιν κινεῖται τὰ κινούμενα, cujus arbitrio res geruntur; ut magistratus & principes, itemq; artes: vel, ὅθεν γνωσὸν τ̀ πρᾶγμα πρῶτον, *unde res primò cognoscibilis*, quomodo hypotheses sint principia demonstrationum. deinde adhuc duo addit, Materiam sive Elementum, & Finem, sic inquiens: ἤτε φύσις ἀρχὴ, καὶ τ̀ σοιχεῖον, καὶ διάνοια, καὶ ἡ προαίρεσις, καὶ ὀυσία, καὶ τ̀ ὃυ ἕνεκα: *& natura est Principium, & Elementum, & mens, & propositum, & essentia, & id cujus gratia quid fit*: ubi fortasse per ὀυσίαν intellexerit Formam. & sic in universum novem erunt Principiorum species illic ab ipso enumeratæ. Ast mirum sane est, quod non paucas earum significationum, in quibus hoc vocabulum usurpare ipse solet (ut ostendimus) in isto catalogo omiserit, cum tamen adeo liberalis fuerit in recensendo Principiorum numero, ut ea quoque distraxerit, quæ conjungi omnino postulabant; & Parentes fecerit unam Principij speciem; Magistratus & Artes alteram: cum utraq; sub una & communi Efficientis ratione sibi Principij nomen vendicent. Imo illud quoq; erratum ejus non parvum est, quod tres illas Principij species, quas primo loco posuit, huc attulerit; siquidem istarum significationum hic nullus erat commemorandi locus, ubi Philosophicæ duntaxat Principij significationes erant exponendæ, vel ipso mox teste, quando ait, Causæ vocabulum æque late patere, ac Principij. ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται. πάντα γδ̀ τὰ αἴτια ἀρχαί. *totidem modis & causa dicuntur. omnes enim Causæ sunt Principia.* hoc enim falsum, si omnes Principij significationes ibi recitatas respexeris. quippe tres illæ priores nullo pacto ad ullam quatuor Causarum ab ipso assignatarum revocari possunt. ut neque illa, qua hypotheses demonstrationum vocantur Principia. Ista igitur quatuor perperam, ipso judice, illic adducta sunt. reliqua omnia quæ illic nominat, præter Elementum & Formam, ad Efficiens pertinent. Ut igitur verum esset quod ipse dicit, Principium & Causam æque

Cap. II.

Kk

Cap. II. æque latè patere; debuerat illorum quatuor priorum non meminisse. Quanquam ne sic quidem effugisset reprehensionem. Sic enim eadem est utriusq; vocabuli vis, Principij & Causæ, & æque amplus utriusq; ambitus; quorsum attinebat de utroq; seorsim dicere, & Principiorum prius, deinde Causarum species distincta tractatione persequi: cum potuerit longe minori & ipsius labore, & lectorum tædio, utrumq; conjungere, & quidcunq; de eorum notione ac speciebus dicendum erat, simul ac semel expedire.

VI. Namq; ridere sane libet inanem Interpretum conatum, qui nullum non movent lapidem, ut negent Aristotelem hic dicere, quod causa æque late pateat ac Principium. Itaque verba illa, quæ apertissime dicunt id, quod ipsi postea dictum negant, alius aliter torquet. *Quod Aristoteles plane dicit* (ait Fonseca) *tot modis dici Causas, quot Principia, intelligendum est negative, quasi dicat, non pluribus dici Causam, quam Principium.* hoc est, (ut Suarez amplius exponit) *Causam non dici alijs modis quam his, quibus dicitur Principium, licet non necesse sit dici omnibus illis modis.* Alij aiunt, Causam hic ab Aristotele sumi lato & vulgari modo, non ita arcte, ut quando de quatuor illis dicitur. Alensis verò exponit; Tot modis dici Principium, quot dicitur Causa, quia omnis Causa est Principium; ita ut post enumeratas significationes Principij subjunxerit Aristoteles quasi generalem regulam, qua Principium etiam dicitur omnibus modis, quibus dicitur Causa, quamvis non illis solis. Thomas vero ea verba sic explicat, quasi eorum sensus sit, principij acceptiones ibi enumeratas omnes convenire causæ, quamvis non sub eadem ratione: nam ex causa incipit motus; & sic de alijs. Et hanc expositionem amplectitur ipse Suarez, eámque amplius enarrat ad hunc modum: *Juxta hanc expositionem* (inquit) *probatio Aristotelis aliter est inducenda, scilicet, ut inde confirmet, illas acceptiones habere locum in principia, quia etiam locum habent in causa, quia omnis causa principium est: inde tamen non sequitur, causam & principium reciproce dici, quia licet acceptiones ibi enumeratæ*

1 Metaph. c. 7. q. 1. sect. 5. & 5. Metaph. 1. q. 7. art. 2. Disp. 12. sect. 1. §. 27.

ratæ secundum alias rationes possint causæ accommodari, tamen principium latius patet, quia dicitur omnibus illis modis, quibus dicitur causa, & secundum propriam rationem causæ; & præterea dicitur aliis modis secundum generalem principii rationem. Sed has omnes expositiones esse totidem depravationes, verba Aristotelis manifestissimè pervertentes; in proclivi est ostendere. Et de secunda quidem, ipsi fatentur Fonseca atque Suarez esse absurdam, & apertè contra mentem Aristotelis pugnare. Etiam tertiam, quanquam vehementer illi faveat, rejicere cogitur Suarez, *quia non possit accommodari ad Aristotelis verba.* Quantum ad primam, quæ est Fonsecæ, & à qua Suarez quoque ostendit se non esse alienum; & illa planissimè contradicit verbis, quorum expositionem profitetur. quis enim tam bardus est, qui sibi persuaderi patiatur, quando aliquid dicitur totidem modis accipi, quot aliud, hoc significare, non totidem modis, sed non pluribus? quod eodem redit, ac si dicas, *totidem modis*, significare, *paucioribus modis*, qua expositione ineptius nihil cogitari potest. Sed non minus inepta est ratio, quam ipsi prætexit Fonseca, quamque tanti facit Suarez, ut dicat illam videri cogere ad admittendam hanc expositionem, *licet proprietas huius vocis, tot modis, ipsi videatur refragari.* Ratio autem hæc est; quod post illa verba, *Totidem modis causa quoque dicitur*; subjungatur, *Quoniam omnes causæ principia sunt*: ex qua ratione (inquiunt) ineptissimè inferretur, causam dici omnibus modis, quibus dicitur Principium: esset enim argumentatio à superiori ad inferius affirmative, ut si quis colligeret, Omnis substantia est ens: ergo quot modis dicitur Ens, totidem dicitur substantia. sed hæc ratio nulla est. primò enim nihil vetat, quo minus concedamus id quod ipsi inferunt, vitiosam fore Aristotelis illationem sub ista argumentationis forma. non enim hoc insolens est Aristoteli ut ἀσύστατα loquatur. Non est necesse tamen, ut eo confugiamus; sed dicimus alterum illud membrum priori subjunctum esse, ad mentem suam clarius exprimendam, quasi diceret: Totidem modis, quot dicitur Principium, dicitur etiam Causa; quod ne cui videatur durum ob finem,

Cap.II. quem inter causas numero, quum tamen videatur cum ipsius natura pugnare, ut sit Principium: assero tamen illum quoque esse Principium, ac proinde omnes Causas esse Principia: hæc est vera illorum verborum, *Omnes enim Causæ, Principia*, expositio, aut saltem æque verisimilis, ac ulla alia; ideoque cadit argumentum ex ijs desumptum à Fonseca, à Suarezio; qui eo solo argumento, quod hæc verba cum præcedentibus non satis apte videbantur congruere, ausi sunt fabricari aut amplecti absurdissimam illam interpretationem, quod *Totidem modis* significet *Paucioribus modis*: cujus perversionis insulsitatem vel puer deprehendat. Quantum verò ad Thomam attinet; argute ille quidem, sed parum probabiliter. Nulla enim est hæc consequentia: motus fit à causa: igitur principium viæ, unde motus incipit, potest quodammodo appellari viæ causa, aut Efficiens: ab Efficiente enim fit motus. Et æque absurdum sit, Carinam appellare Efficientem navis, quia fiat ab Efficiente. Et sic de cæteris. Miros autem hic Suarez ludos dat, qui cum profiteatur se hanc Thomæ expositionem amplecti, ita eam enarrat, ut fiat diversissima. Eo enim evadit ipsius oratio, ut dicat, eam esse verborum Aristotelis mentem, Quod principium dicatur omnibus illis modis, quot causa, non autem Causa omnibus modis, quibus principium. quam ipsam quoque expositionem palam respuunt verba textus, siquidem in eo non dicitur Principium dici totidem modis, quot dicitur causa, sed causam dici totidem modis, quot dicitur Principium. Cum itaque commenta mera sint, quæcunq; ad hunc locum afferunt interpretes, insoluta manet, ac veritatem habet objectio, quam hinc sibi formavit Fonseca; *Aristotelem hic plane assere, tot modis hic dici causam quot principium, proptereàque dubium non esse, quin sentiat æque late patere causam ac principium. Si enim putaret latius patere Principium, non minus falso diceret, tot modis dici causam quot principium, quam si affirmaret, tot esse homines, quot animalia.* Et sane non hoc tantum loco istud dixit Aristoteles, Causam & Principium æque late patere. ut enim nunc omittamus locos superius adductos ubi illum

5.Metaph. l. q. 7. sect. 2.

× capo di tutta la capo d'anno. scapar le lettere

hæc

hæc duo vocabula promiſcue uſurpare monſtravimus; 4. Metaph. 2. ait, ita inter ſe comparari cauſam & principium, quomodo ens & unum, Τὸ ὂν καὶ τὸ ἓν ταὐτὸν, καὶ μία φύσις, τῷ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις, ὥσπερ ἀρχὴ καὶ αἴτιον, *Ens & unum ſunt idem, & una natura, eò quod ſe invicem conſequantur, itidem ac principium & cauſa*; quibus verbis planius nihil dici poteſt, ad ſignificandum, quod Cauſa & Principium inter ſe reciprocentur. Nam quantum ad ſtrophas illas, ad quas ex more ſuo hic quoque confugiunt Expoſitores, ut vim tam aperti loci effugiant, ac præceptorem ſuum aliud loqui faciant, quam quod loqui ipſe voluit; adeo ſunt, ut ſemper, frigidæ ac ridiculæ, ut pigeat illas huc referre, aut refellere. ſufficit enim civili illas bello permittere, atque invicem conficiendas dare. non magis enim cum verbis Ariſtotelis pugnant omnes illæ, quam ipſæ inter ſeſe. quæ enim ſolutio uni cata videtur & lepida, illam alter abſurdam judicat & inſulſam. Eſtque ſane hoc perpetuum illorum hominum, qui adeo ſerviliter Ariſtoteli ſacramento dixerunt, fatum, ut dum præceptorem ab antilogijs vindicare contendunt, ſibique conſentanea ubique loqui cogunt, ipſi in maximas ac manifeſtiſſimas incidant abſurditates; quum poſſent longe leviori negotio ſe expedire, ubicunque tale aliquid in eo occurrit quod cum ipſius placitis minus bene quadrat, fatendo ingenue, illum ſibi ipſi contradicere, proptereàque non quid ibi, ſed quid alibi dicat, attendendum eſſe. Sed illis hoc facere non permittit ſacroſancta Magiſtri Majeſtas, quam vilem ac protritam futuram vident, ſi ipſi hoc iter ingrediantur, quum innumeris antilogijs ſcateant ipſius ſcripta. quas omnes cum excuſare ac conciliare nitantur, mirum non eſt, ſi ad ſummas ipſi ineptias redigantur. Sed hi homines, quandoquidem ita ipſi volunt, infelicitati ſuæ relinquendi ſunt.

Cap. II.

VII. Hoc tamen ſciant, non habere ipſos iuſtam querendi de nobis Cauſam, qui ſicuti in alijs fere cunctis Phyſiologiæ partibus, ita in hac quoque de Principijs ac Cauſis tractatione deſeruimus ipſorum præceptorem, apud

Cap. II. quem non modo falsa sunt, quæ de re ipsa tradidit (quo de satis in superiori capite dictum est) sed & tam immanis in vocabulis hallucinatio, ut ea non modo ad plurimas & diversissimas significationes passim in suis scriptis adhibeat, lectori divinandum relinquens, quomodo quoquo in loco accipienda sint; sed & ibi, ubi ex professo de ipsorum vi ac significatione agit, adeo & se ipsum contradictione, & negotium totum partim absurdis, partim supervacuis atq; à proposito alienis divisionibus intricet, ut nulla major liberalibus atq; erectis ingenijs crux figi possit, quam ut ejusmodi senticeta rimentur. Ut sane condonandum quodammodo Ramo videatur, si intemperantius subinde Aristotelem incessit, præsertim in Physicis & Metaphysicis; qui libri adeo scatent toti istis non modo falsis, sed amethodis prorsus atq; pugnantibus sermonibus, ut vel adamantinam patientiam expugnare, atq; contra se irritare possint. Et quisquis ita affectus est, ut servili alienorum dogmatum necessitati manifestam audeat anteponere veritatem (quod paucissimi hactenus cum ratione facere sustinuerunt aut sciverunt) fateatur necesse est, pessime de Re philosophica meritum esse Aristotelem cum libris istis Physicis ac Metaphysicis, quæ & veritatis vix scintillam habent, & præterea falsas atq; absurdissimas theses tanta enarrant cum fluctuatione & confusione, ut videantur ad aliud nihil comparata esse, nisi ut animos hominum atq; ingenia non modo erroribus penitus involverent, sed & infinito in plerisq; rimandi ipsam autoris sententiam labore, miserrime exercerent atq; attererent. Nihil hic à nobis frustra dici, testantur enormia illa atq; ridicula opinionum portenta, quæ ex Aristotelicis fundamentis necessario sequentia, tantum abest ut sectatores ejus ad sanam mentem redire, atq; de ejusmodi fundamentis attentius cogitare faciant, ut illa pro verissimis axiomatis unanimiter excipiant omnes, atq; alijs obtrudant; ob illud ipsum, quod ex ipsis hypothesibus sequuntur: cum pleraq; eorum talia sint, ut si quis Peripateticis figmentis non imbutus ea audiat, juraturus sit, nisi ab insanis talia pronunciari

ciari aut credi non posse. Testantur rursus ex altera parte id quòd nos dicimus, innumerabiles atq; acerrimæ summorum Peripateticorum de præcipuis quibusq; suæ disciplinæ capitibus concertationes, unoquoq; Aristotelem in suis partibus collocante, atq; suam sententiam in ipsius scriptis contineri affirmante: cujus rei, ut & præcedentis, multa ac magna jam dedimus specimina, plura procedente opere, atq; sic efflagitante nostri instituti ratione (cum veritatem introducere, nisi exagitatis atq; sublatis erroribus non possimus) exhibituri. Certe immodicus ille Aristotelis admirator atq; laudator & animosissimus omnium ipsius figmentorum propugnator Scaliger, altero tamen illo, quod hic attigimus, scriptorum ipsius vitio, incertissima nimirum atq; inconditissima fluctuatione, tantopere offensus fuit, ut non raro ipsum super hoc culpaverit, partim quidem tacite sua in ipsum dicta jaciens, partim nomine quoque ipsius expresso; in ijs commentarijs, quos ad Theophrasti de Causis libros scripsit. *Confusa* (inquit) *non raro capita, haud facile tam apud hunc, quam etiam apud Praeceptorem, explicari possunt.* Et alibi, *Prisci illi viri, domi forisq; magni nominis, methodos quidem docuere nos, nobisq; earum curam injecere; ipsi plerumq; nullam aut perexiguam habuere.* Ac rursus, *Sane laxiuscula fuit veterum Philosophia multis in locis, quaq; non nisi cognitionis jecerit fundamenta.* Libro etiam tertio, capite quarto Aristotelem perstringit, *quod incondita sint ejus & fluctuantes in topicis ac metaphysicis vestigationes.* Sic libro sexto, capite tertio. *hoc est peculiare vitium Peripateticis, ut non semper statuant, quid in animo certi habeant, sed simul cum discipulo venentur conclusiones. sic pæne per totos Metaphysicæ libros.* Et libro sexto, capite decimo quinto, *Utinam vero unum quempiam ex Scotistis & Walteristis audirem tractantem hæc: paucissimis verbis plura, meliora, ordinatiora, quasi ex rebus ipsis expicta, longe commodius perciperemus. Cæterum isti Græci semper in suis disputationibus jactationem patiuntur; id quod ad fastidium vexati, ad fastidium monuimus.* Ac rursus eodem libro,

Lib. 1. cap. 18.
Lib. 2. cap. 20.
Lib. 4. cap. 4.

Cap. II. libro, capite decimo nono. *Simillimas labyrinthis animadvertimus apud hos Græcos errationes. videntur enim tanquam clausis oculis circumferre se, quoad ostium nanciscantur. interea offendunt sæpe ipsi; auditorem vero ad cruces sistunt.* Et multo plura haud dubie dicturus fuerat de hoc argumento, nisi eum pudor deterruisset. Qui enim ubiq; se profiteatur Aristotelis discipulum, idq; sibi gloriæ ducat; non potuit non contentissime ipsius honorem tueri, ac vitia dissimulare; quanquam ipsorum enormitas omnem interdum ejus patientiam ac dissimulandi studium expugnavit, & velut invito justas expressit querelas. Sed quam non ausus est in præceptore nisi parce & carptim exercere censuram, illam in discipulum ejus Theophrastum plenissime destrinxit: quem acriter persæpe & acerbe, nec sane immerito castigat. ast nihil est eorum, quæ in ipso reprehendit, quod non & in Aristotelem æque bono jure dici possit. Fuit enim non degener discipulus, eamque scribendi formam, quam à magistro acceperat, ad vivum suis scriptis expressit; quæ adeo Aristoteli placuerunt, ut ob illa, qui prius Tyrtamus dicebatur, Theophrastum appellaverit, quasi divina quadam differendi ac scribendi facultate præditum; quare ex universa quoque sectatorum suorum cohorte hunc potissimum delegit loci sui ac magisterij successorem. Et qui utriusque scripta contulerit, inveniet eâdem prorsus venâ utraque fluere, nisi quod amœnior & aliquando copiosior paulo est Theophrastus. Quæcunque igitur in hoc culpat Scaliger, quantum ad methodum & docendi modum, eadem omnia in Aristotelem quoque ab eo dicta existimare debemus. Sunt autem illa ejusmodi, ut nos omnino clementes Aristotelicorum vitiorum exagitatores debeamus videri, si cum tali censore conferamur: id quod manifestum erit cuivis, si aliquot ipsius locos è modo dictis commentarijs ascribamus. In præfatione igitur conqueritur, *non pauca à Theophrasto coacervata, alia repetita, plurima inculcata, nec pauciora præpostera.* Et mox, *Multa confundit, multa repetit: quædam tam perplexe & misere tractat, ut explicatio longe majorem pariat dubitationem, quam ipsa quæ-*

Laert. in vita Theophr.

Agell. 13.5.

stie,

Cap. II.

stio. Alibi, *solere perplexissime & morosissime implicare potius quam explicare quæstiones.* Et rursus, *Plane subsultare ipsius disceptationes, & hoc vitium ipsi maxime peculiare esse, ut perplexissime doceat. Acutiora judicia nunquam satis conqueri posse de istius viri securitate.* Item, *Autorem eum meritum esse non de nobis, ut speremus ab eo doceri nos posse: caterum nobis plus esse laborandum ad sententiarum perceptionem, quam ipse in scribendo sumserit opera. omnino vero indignum esse, quem in scripturis nostris ullo modo imitemur.* In hisce verbis qui non Aristoteleum æque ac Theophrasteum scribendi genus vivis coloribus delineatum videat, illum quavis talpa cæciorem esse oportet. Et cum ita se res habeat, nemo nobis vitio vertere potest, quod non ipsarum modo rerum falsitatem, sed perplexissimam quoque & morosissimam docendi rationem in Aristotele culpamus. Peccavisse tamen Ramum quoque nimia Aristotelem insectandi immodestia, haud gravate concedimus; quandoquidem multa mala multis bonis pensavit, & non prava tantum atq; damnosa scripta, sed & egregia atq; fructuosa nobis reliquit; ut oporteat nos & pro hisce gratias agere, & eorundem respectu, æquanimiores nos ipsi atq; ignoscibiliores, in quibus peccavit, præbere; ijs duntaxat exceptis, ubi non ignorantiâ, sed malitia erravit. Quòd enim veterum sententias in ejusmodi portenta convertit, ac potius pervertit, de quibus illi ne per somnium quidem cogitaverant, ut tanto majorem & favorabiliorem haberet eos, insectandi prætextum, (quód fecit nimis quam sæpe) profecto veniam nullam meretur: ut neq; in ijs, ubi cum errore insignis aliqua impietas conjuncta est. In alijs vero erratis, quantum vel ad res ipsas, vel earum tradendarum modum, quanquam & creberrima illa sunt & gravissima, clementer tractari meretur, ita ut vitia quidem ipsa, quoties id res poscit, suis coloribus depicta detegantur, & quantum satis sit refellantur; convitijs verò in ipsum autorem, & acerbis insectationibus abstineatur. Nobis enim vehementer placuit semper illud Nostri Senis, qui de veterum erroribus loquens alicubi, sic infit: Μεμφθῆναι μὲν οὐδενὶ αὐτῶν ἀξιόν

Lib. 1. cap. 4.
Lib. 1. cap. 13.
Lib. 1. cap. 13.
Lib. 2. cap. 22.
Lib. 1. de Dign. in princip.

Cap. II. ἄξιόν ἐστιν, εἰ μὴ ἐδυνήθησαν ἐξευρεῖν ἐπαινέσαι δὲ μᾶλλον πάντας, ὅτι ἀλλ' ἐπεχειρήσαντο ζητῆσαι. *Nullum ipsorum culpare æquum est, quod non potuerint invenire; sed potius omnes laudare, quod saltem aggressi sunt quærere.* Itemq;

6 Natur. quæst. 5. illud Senecæ, qui opiniones Veterum parum exactas fuisse dicens, & rudes, ac circa verum erravisse; illis tamen, si quid inventum est, referri vult acceptum. Magni enim animi rem fuisse, rerum naturæ latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus superficie, in ipsius secreta descendere. plurimum ad inveniendum contulisse, qui speravit reperiri posse. itaq; cum excusatione veteres audiendos esse.

VIII. Ut igitur ex hoc diverticulo in viam rursus redeamus; sua certa ac physiologica vocabulo Principij significatio, non ex Aristotele, (qui ipse scivit nunquam, si ex scriptis ejus hauriendа est ipsius mens) quis proprius esset ac genuinus hujus dictionis in Philosophia usus (sicuti modo ostendimus) sed ex ipsa rei veritate assignanda est. quod ut recte faciamus, repetendum est, quod supra diximus, philosophicæ hujus vocabuli notioni magnam intercedere cum vulgari ejusdem usurpatione cognationem. neq; sane fieri aliter potest. Quum enim hoc vocabulum non sit de numero eorum, quæ Casu æquivoca dicuntur in scholis, quemadmodum Gallus & avis nomen est, & nationis, & sacerdotis: sed deliberato consilio secundaria hæc significatio invecta sit à priscis illis viris, qui vocabulum è medio sumtum ad usus suos accommodaverunt; necesse est id fecerint ratione alicujus convenientiæ, quam in utroq; Principiorum genere perspexerint; ac proinde ratio Principij vulgaris analogice Principio philosophico competat. Est autem ratio Principij vulgaris, (sicuti ex ijs, quæ dicta sunt superius, apparet) *Esse id, unde res cujus principium dicitur, incipit:* nimirum, vel secundum longitudinem, vel secundum durationem, sicuti antea latius declaravimus. hanc rationem Principio quoq; philosophico quodammodo, & per analogiam, competere; sic discere licet. Quidquid non est æternum, aliquando non fuit,

Cap. II.

fuit, & cum non esset prius, esse postea incepit. Ast incipere esse, nihil est aliud, quam quod Oriri aut Nasci vulgo dicimus. Illas igitur res, unde res aliqua oritur, Principia ipsius vocaverunt Prisci, quia & ab illis res incipiunt. Sicuti vero in hoc conveniunt utraq; Principia, quod ab ijs res incipiunt (in quo ratio analogiæ consistit) ita in eo discrepant, quod admodum diversus est in utrisq; incipiendi modus. namq; ab altero principio initium dimensionis res ducunt; ab altero initium Essendi, ut sic dicamus, trahunt. potest itaq; talis assignari Principij Philosophici definitio. *Principia rei sunt res, per quas factum est, ut ipsa, cum non esset prius, esse postea inceperit.* vel brevius sic, *Principia rei sunt res, per quas ipsa ortum accepit.* Sic igitur vestigando, quo respectu sumptam à vulgo Principij dictionem, ad usus suos converterint prisci philosophi, veram Principij philosophici rationem invenimus. Nunc porro tota ipsius natura ac vis latius nobis explicanda est, in qua re ita progrediemur, ut primò numerum principiorum rimemur, & an omnia omnibus rebus competant, dispiciamus. Posteriore autem loco proprietates, quas Principijs in universum attribuit Aristoteles examinabimus, & quatenus Principijs veris congruant, considerabimus.

SECTIO SECUNDA.

DE NUMERO PRINCIPIORUM.

I. *Duo Principia habent Substantia, Effectivum & Compositivum; & hoc rursus geminum, Materiam, & Naturam.* II. *Accidentium alia unum duntaxat habent Principium, alia utrumq;.* III. *Vulgata Partium divisio in Essentiales & Integrantes, proponitur. Abusus nominis Integrantium. Partes Dissimilares Quantitativis male annumerantur.* IV. *Plura super vocabulo Integrantium Partium.* V. *Divisio Partium à Molineo facta, proponitur, & examinatur.* VI. *Vul-*

 gatum

gatam partium divisionem non rite factam, ex eo arguitur, quod differentiæ, quas assignant, Essentialium partium & Integrantium, stare non possunt. VII. Differentia à Zabarella allata; cui opponitur è Suarezio locus plane contrarium dicens. VIII. Suarezij opinio, Quod in omni compositione inveniatur aliquid Materiale, & aliquid formale; expenditur. Ridicula opinio, Totum se habere instar Formæ. IX. Hujus figmenti absurditas ostenditur. X. Discrimen inter Partes constitutum à Zabarella, convellitur. XI. Ex Potentia & Actu non fit Compositum. XII. Partium divisio nostra. Partes Quantitativæ. XIII. Qualitates Intendi & Remitti, negat Scaliger, ridiculo argumento. absurdissima ipsius opinio de qualitatum Intensione. XIV. Gradus intensionis non habendos pro Partibus quantitativis, amplius asseritur. XV. Proprietas & Characterismus Partium Quantitativarum. XVI. Dissimilares partes, quantitativis opposita: earum distinctio in Essentiales, & Conformantes. XVII. Partibus Conformantibus etiam Naturalium appellationem convenire, & magis etiam, quam præcedentem. XVIII. Partium dissimilarium quacunq; sublata, totum aut tollitur, aut violatur. Mutilationem quæ Tota dissimularia sustineant, & quatenus. XIX. Aristotelis doctrina de Mutilis & Mutilatione, proponitur. XX. Examinatur. XXI. Etiam accidentia composita mutilantur. Amplius declaratur, in quo consistat ratio mutilationis. XXII. Partitio semper facienda in partes proximas. XXIII. Discrimen partium à nobis traditum, Compositis artificiosis & fortuitis breviter accommodatur. XXIV. Varij modi compositionis Partium Essentialium. Accidentia non uniuntur, nisi unione subjecti. XXV. Suarezij contraria opinio. Quædam accidentia alijs accidentibus inhærere; examinatur. XXVI. Opinio Scaligeri, Accidentia omnia componentis è Potentia & Actu. XXVII. Evertitur. XXVIII. Contra Suarezium ostenditur, Subjectum non esse Materiam Accidentium.

IN

Cap.II.

IN disquisitione illa, qua numerus Principiorum quæritur, primo se offert Efficiens. Quum enim nulla res efficere se ipsam possit (quod adeo est evidens, ut probari non debeat, neq; refelli is, qui id negaverit, utpote indignus, cujus ratio habeatur) necessario eam debet præcedere Efficiens, quod sua vi producere possit, atq; facere ut sit, cum non esset prius: ac proinde id omnino inter Principia, & quidem primo loco, collocandum est. Sunt autem multæ res, quibus solum hoc Principium competit; illa nimirum, quæ compositionis essentialis expertia, simplicissimâ essentiâ constant. hæc enim cum simpliciter fiant, non nisi Principio producente opus habent. Ast compositorum alia est ratio, quippe quæ non ita simpliciter fiunt, sed per partium componentium coalitionem. Quum enim nihil aliud sit compositum, quam Partium componentium unio, aut potius ipsæ partes unitæ; ac sine partibus suis esse ac subsistere nequaquam possit: ne oriri quidem sine ipsis poterit; quum oriri nihil sit aliud, quam incipere esse. Omnino igitur, ut compositum existere incipiat, partes ipsum componentes concurrere, atq; inter se uniri necesse est; unde sequitur, ut Partes Compositi, pro Principijs ipsius habendæ sint. Itaq; Composita præter Effectivum Principium, aliud insuper Principium habent, nimirum Compositivum: quod Principium Elementi quoque nomine indigetare licet. Namq; Elementa rei sunt id, è quo res ipsa componitur, hoc est, partes rei. Loquimur autem nunc de partibus rei essentialibus, non integrantibus (ut vocari vulgo solent) quandoquidem compositio è partibus Integrantibus non obstat, quo minus totum integrale possit esse simplex. Partes enim integrales omnes ejusdem sunt inter se naturæ, sicuti in corporibus primis, ut aqua & aëre, itemq; compositis homogeneis, ut carne & osse, videre est; quæ omnia, ac similia, non stat per partes integrales, quo minus sint essentialiter simplicia. Talia tamen non sunt, quia præter istam compositionem, habent etiam alteram illam è partibus essentialibus, quæ cum simplicitate consistere nequaquam potest, quum

Cap. II. quum partes essentiales necessario diversæ sint inter se essentiæ, cujus rei in anima & corpore, quæ partes sunt essentiales ipsius animalis, manifestum exemplum habemus. sed de hac re, ut de nomine ipso Integralis, (quod nequaquam nobis placet) mox plura dicturi sumus. Vt sciamus igitur, unum ne an duo habeat Principia unaquæq; res, sciendum prius est, simplex ne sit, an composita. Simplex enim si est, simplicitate scilicet essentiali, solum effectivum Principium agnoscet. sin verò composita est, præter Efficiens, etiam Elementa, (nimirum illas partes, è quibus componitur) pro Principijs habebit. Hujus autem generis sunt substantiæ, quæ ad unam omnes, (nullâ, præter Deum, exceptâ) ex Materia constant & Natura, non modo hæ nostrates & corruptibiles, sed & cœlum, ac cœlestia imò ipsi quoq; Angeli, atq; Mentes humanæ: id quod impræsens ita supponentes, in tractatione de Natura, volente Deo, probatum dabimus: ubi etiam planum fiet, quid per Naturam intelligamus, videlicet rem non solo nomine à formâ Aristotelica diversam, sed reali ac peringenti discrimine ab ea differentem. Materiam autem dicimus, non illam commentitiam, quæ Materia prima Peripateticis dicitur (hanc enim supra ipsi explosimus) sed aliam longe diversam, sicuti suo in loco postea declarabimus.

Quum igitur omnis substantia sit composita, duplex Principium necessario obtinet, Effectivum, & utrumq; Compositivum, Materiam, ac Naturam: quæ duæ partes etiamsi diversissimæ sint conditionis (altera enim Substantia est, altera Accidens) non tamen duo diversa Principiorum genera constituunt; quippe quæ in ista diversitate, conveniant in eo, cujus ratione Principiorum appellationem sortiuntur; quod est, substantiam, cujus Principia dicuntur componere. Quandoquidem, ergo ad componendam Substantiam ex æquo utraq; concurrit (sive enim hæc desit, sive illa, Compositi ortus, æquè impeditur) uno communi Principiorum Componentium nomine utraq; censenda est: sicuti rursus ubi multæ materię assumuntur ad Compositum aliquod constituendum, non aliter, quàm ut una totius Materia, omnes illæ materiæ simul junctæ considerantur. de qua Materia notandum quoq; est, si considere-

consideretur seorsim, habere & ipsam Principium Composi- Cap.II.
tivum. quum enim concipiatur sub ratione unius, unum autem è multis fieri non possit, nisi per compositionem; apparet & illam Materiam, è diversis materijs conflatam, esse quasi quoddam compositum. & quum partes illam componentes sint Essentiales (quacunq; enim earum sublata, Essentia ejus læditur) pro Principio compositivo omnino sunt habendæ.

II. Substantiæ igitur omnes utroq; Principio indigent, Effectivo, & Componenti, quum nulla ipsarum sit absolutè simplex. Accidentium autem non una est ratio propterea; in universum determinari de ijs non potest, quod vel unum Principium habeant, vel utrumq;. Nam pleraq; quidem ipsorum sunt absolutè simplicia, omnisq; compositionis essentialis expertia, nihil præter simplicem Essentiam habent: quæ proinde solum desiderare Principium Effectivum, ex antedictis patet. Alia autem composita sunt, atq; ex diversorum accidentium unione emergunt, quæ proinde indigent utroq; Principio, æque ac Substantiæ, Effectivo, & Compositivo, ut ortum accipere possint. Prioris generis exempla recensere nihil attinet, cum obvia passim sint, de quibus nemo controversiam moveat; ut calor, frigus, lumen, aliaq; innumera: Sed & composita quænam sint, facile est intellectu; quæcunq; nimirum è variorum accidentium concursu constant, seu potius, quæ nihil sunt aliud, quam ipse variorum Accidentium concursus. nihil enim refert, hoc ne an illo modo dicas, sicuti & in substantijs eodem redit, dicasne corpus humanum, verbi gratia, esse concursum capitis, thoracis, ventris, artuum, aliorumq; membrorum, an ex illarum partium concursu constare. Quippe Totum sive Compositum est quidem aliquid diversum à singulis partibus suis seorsim consideratis: idem verò est cum illis simul sumptis, unitisq;. quod etiamsi controversum est, major tamen & melior philosophorum pars nobiscum sentit, & ita sentiendum esse, Toletus firmis argumentis convincit. Omne itaq; compositum est concursus suorum Elementorum, sive partium componentium; &, quod idem est, ex concursu suorum Elementorum, 1. Phys. quæst. 8.

hoc

Cap. II. hoc est, ex Elementis suis inter se concurrentibus, constat; neq; aliud est, quam ipsa Elementa concurrentia, sive unita. Quippe concursum cum dicimus, non intelligimus fortuitam conglomerationem, sed decentem ac ordinatam partium inter se conspirantium adunationem. Sunt autem Accidentium compositorum duo genera. alia enim ex accidentium congenerum, alia ex diversi generum concursu oriuntur. E congeneribus Accidentibus illa constare dicimus, quæ constant ex Accidentibus idem genus proximum sortitis Inter hæc primo loco collocare possumus figuras, quæ omnes in universum (recta simplici duntaxat excepta) sunt compositæ ex alijs figuris. Multo autem magis composita est figura corporum organicorum, verbi gratia, corporis humani. Etenim totum corpus quatenus unum compositum, unam figuram habet. sed quomodo ipsius unitas ex partium diversarum concursu nata est atq; constat, ita & figura ipsius non simpliciter una est, sed ex diversarum cujusq; partis figurarum adunatione consistit. Ita multarum rerum sapores sunt compositi. alia enim ex acido & dulci, alia ex acido & amaro, alia ex dulci & amaro, alia ex dulci, amaro, acido, conflatum habent saporem, multæq; aliæ saporum permixtiones dantur, quas hic omnes enarrare, nequaquam est necesse. In omnibus autem illis idem tenendum est, quod de figuris modo dicebamus, saporem totius esse omnes illos partium sapores simul sumptos atq; inter se unitos. Idem quoq; de coloribus deq; odoribus habendum est. quæcunq; enim alium in alia parte colorem habent, aut odorem, illorum universus vel color, vel odor, compositus est. Sic etiam multi habitus, multæ itidem potentiæ naturales, ex diversorum habituum, ac diversarum potentiarum collectione aut concursu constant. nulla enim fere est ars aut scientia, in qua non diversi habitus inveniantur. omnes tamen illi habitus simul sumpti unam tantum artem, aut unam scientiam, hoc est, unum habitum constituunt. idemq; de multis quoq; vitijs ac virtutibus verum est: & pariter tum nutriens animæ facultas, tum sentiens, tum intelligens, multas quæq; ambitu suo facul-

tates

tates comprehendunt, ex quibus concurrentibus atq; ad- **Cap. III.**
unatis ipſæ conſtant. hi autem habitus compoſiti, hæq; potentiæ, partim ad prius genus Accidentium compoſitorum, quæ nimirum conſtant ex accidentibus congeneribus, pertinent; partim verò ad alterum. Non enim omnes habitus, omneſq; potentiæ, quæ aliquem ſuperiorem habitum, aut aliquem ſuperiorem potentiam conſtituunt, ſub eodem genere proximo ſemper comprehenduntur. Ad ſecundum etiam Accidentium compoſitorum genus pertinet Natura, quæ nihil eſt aliud, quam cœtus proprietatum omnium congenitarum; iſtarum autem proprietatum multæ ſub diverſis admodum generibus continentur. qua de re in tertio libro fuſe tractabitur. Ejuſdem claſſis eſt & Sanitas, quæ ipſa quoq; accidentium diverſigenerum eſt concurſus. ſanitas enim totius corporis, in ſingularum partium ſanitate conſiſtit. omnium autem partium non eadem eſt ratio rectè ſe habendi, ac proinde aliter hæc, aliter illa affecta eſſe poſtulat, ut ſanitatem ſuam habeat. illæ autem diverſæ diverſarum partium ſanitates, concurſu ſuo unam conſtituunt totius ſanitatem. imò ſanitas, ſi quis rectè rem perpendat, nihil aliud eſt, quam ipſa Natura, ac ſolo nomine, aut ſaltem non plus quam externo reſpectu, ab ea differt, nimirum in ſubjectis ſanitatis capacibus, ſive quibus ſanitas tribui ſolet. Quanquam enim omnis ſanitas eſt natura, non omnis natura eſt ſanitas, quum plurima habeant Naturam, quibus ſanitas tribui non poteſt. ſed de hac re fuſius infra tractabitur. hujus quoq; ordinis eſt Pulchritudo, quæ ex debito partium ſitu, & accurata figura, atq; bono colore, aut bonis coloribus conſurgit. hæc igitur ſunt Accidentia compoſita, quæ ſicuti non ſubſiſtunt niſi per partium ſuarum unionem, ita neq; oriri poſſunt, niſi ex illarum concurſu: atq; propetera illas pro altero ſui principio, nimirum compoſitivo, agnoſcunt.

III. Porrò cum dixerimus ſupra, duplicem eſſe compoſitionem, è partibus integralibus, & eſſentialibus; paulo accuratius nobis hoc negotium enucleandum eſt, tum ut

expeditius in substantijs discernere unusquisq; possit, quænam ipsarum compositio sit hujus generis, quæ illius; tum ut constet quoq;, hanc Accidentium compositionem essentialem esse, non Integralem. Tractant quidem & Peripatetici de hac Materia, tum in Logicis, tum in Metaphysicis: sed nihil hactenus apud quenquam, quod animum expleret, ac Veritati probe concordaret, invenire potuimus. Namq; Aristotelem ipsum quod attinet, is sibi, ut semper, similis est, qui in duobus illis capitibus quinti Metaphysicorum, in quibus de Partibus & de Toto agit, admodum confuse & sine delectu congerat illa, è quibus nemo fiat doctior. Antequam autem nostram super hac re sententiam expromamus, volumus prius vulgarem de ea doctrinam breviter examinare. Illa secundum Fonsecam ita se habet. *Partes reales aut Essentiales sunt, aut Integrantes. Essentiales vere ac reipsa essentiam componunt, suntq́; Materia & Forma. atq́; ad hanc divisionem revocantur partes compositi accidentalis: as enim & figura sunt quasi partes essentiales aris figurati: quia nimirum in hisce alia pars Materiæ, & alia Formæ analoga est. Partes integrantes sunt eæ, quibus tota aliqua magnitudo aut multitudo extensa est: suntq́; aut similares, ejusdem naturæ ac appellationis cum toto, ut partes carnis, & partes aquæ; aut dissimilares, ut membra corporis humani, partes domus, ordines Reipublicæ. Ad partes integrantes revocantur etiam Potestates sive Vires rerum: quia ut res extensa constat partibus integrantibus, sic res, quæ multa potest (quomodo animus habet intellectum & voluntatem) constat suis viribus potentijsve, quoad totam potestatem.* Hæc ibi Fonseca, estq; recepta apud omnes Peripateticos hæc partium realium (namq; de Partibus rationis, Genere & Differentia, nihil attinet dicere) divisio: in qua nos id primum culpamus, quod Materiam tantum & Formam, atq; analoga, pro partibus essentialibus habent. namq; etiamsi per Materiam & Formam intelligas non illa duo commenta à nobis explosa, sed Meteriam veram, & Naturam (quæ aliquo modo Formæ respondet)

4 Dial. cap. 3. & 4.

non tamen hæc tantum, & analoga, pro partibus essentialibus habenda sunt, quum multæ dentur partes essentiales, in quibus ista analogia, ut altera se habeat instar Materiæ, altera instar Formæ seu Naturæ, frustra quæratur; sicuti in accidentibus illis compositis paulo ante enumeratis (quorum partes certe sunt essentiales) manifestum est. Sed multo etiam magis in altero membro peccant, non in re tantum, sed & in nomine ipso. Partes enim integrantes cur appellari debeant hæ magis, quam præcedentes, nihil causæ est. Quippe ratio nominis haud alia dari potest, nisi quod integrant rem, sive integritatem rei constituunt. ast hoc faciunt essentiales quoq; partes. Totum enim seu integrum dicitur compositum, quod habet omnes partes sibi debitas, οὗ μηθὲν ἀπεστι μέρος, *cujus nulla pars abest.* Omnes igitur cujuscunq; Totius sive Integri partes, sunt partes integrantes: quippe integritatem sui compositi unaquæq; per se constituit. Non magis igitur partibus quantitativis (namq; & sic appellare vulgo solent) quam essentialibus competit Integrantium appellatio. Imo sunt inter illas, quæ ne possunt quidem recte ita dici. Quum enim integrum hoc sit, quod habet omnes partes sibi debitas; quomodo integrum hoc dicetur, cui nullæ certæ partes debentur? talia autem sunt omnia Elementa, ac corpora similaria, quæ ex natura sua, definitam magnitudinem non habent, ac proinde neque certas partes sibi vendicant. & tantum quidem de nomine. Quoad vero rem ipsam; per summam imprudentiam partes similares & dissimilares in idem construuntur. dissimilaribus enim partibus injuriam facit, qui eas magnitudinem tantum aut multitudinem Totius, sive Totum quatenus magnum aut multum, constituere dicit: quam tamen constitutionem adeo propriam faciunt partibus integrantibus, ut eam non modo in definitione, aut descriptione, vel solam vel præcipue exprimant, sed eodem respectu eas Quantitativas quoque & Materiales promiscue appellent: plane ut significent, earum, quatenus partes sunt,

Cap. II.

3 Phys. 7.
5 Metaph. 26.

Cap. II.

nõn aliud esse officium, quàm solam materiæ molem atq; quantitatem integrare seu explere, eamq; majorem duntaxat aut minorem sua præsentia aut absentia facere: id quod verum in similaribus (quibus propterea Quantitativarum nomen, quanquam, ut alia multa in Philosophia, horridum & barbarum, optime quadrare existimamus) in dissimilaribus plenum esse dicimus summæ absurditatis. Quanta enim stupiditas est, profiteri quod caput aut cor solam corporis quantitatem vel molem constituant? imò quæ imprudentia de quibuscunq; organis, etiam queis corpus carere sine pernicie possit, qualia sunt manus & pedes, hoc ipsum affirmare? certe qui non videt vel hasce partes, vel illas, longe alium ac nobiliorem præstare usum, quam ut ijs præsentibus corpus duntaxat majus, ablatisq; minus fiat, is neq; lucem videat in meridie.

IV. Nullo igitur modo tolerari potest hæc consuetudo, qua partes omnes, essentiam rei non constituentes, uno communi Integrantium, Quantitativarum, & Materialium nomine comprehenduntur. posteriores enim duæ appellationes nullo modo partibus dissimilaribus competunt; ac proinde ne prima quidem, si eodem cum illis sensu (ut vulgo omnes faciunt) sumatur. Si vero ipsam hujus vocis vim spectes, quæcunq; alicujus integri aut totius partes istuc nomen merentur, ac proinde non hisce magis quam Essentialibus competit, sicuti modo declaravimus. Potest quidem & alia hujus nominis ratio afferri, ut nimirum illæ peculiariter dicantur partes integrantes, quæ constituunt tale totum sive integrum, quod potest esse non integrum, hoc est, in quod cadit mutilatio. Quædam enim sunt ejusmodi, ut nisi tota sint, ne possint quidem esse omnino; quomodo animal quodcunq;, si vel corpus tollas, vel animam, statim pereat necesse est. alia vero ita se habent, ut violationem integritatis suæ sustineant, & ablata quoq; aliqua parte, maneant tamen; quomodo corpus, ablata manu aut pede, mutilum quidem fit, sed corporis tamen appellationem atq; naturam retinet. Quanquam igitur quævis cu-

jufcunq;

Cap. II.

jusſcunq; Totius aut Integri partes, ſunt integrantes, ſpectato primario hujus vocis uſu; non negamus tamen, quin ſuo quodam jure, & hac contemplatione, quam nunc diximus, peculiariter Integrantium nomine donari poſſint illæ partes, quæ conſtituunt totum aliquod mutilationis capax; non tamen omnes, ſed illæ duntaxat, quibus ablatis res integritatem ſuam ita amittit, ut ipſa non intereat. Namq; in tali quoq; compoſito partes Principales (ut caput, thorax, venter) non alia ratione Integrantes appellari debent aut poſſunt, quam qua animæ duę, & corpus, ſunt partes integrantes hominis. Quamobrem ne hoc quidem modo ſumptum iſtud vocabulum, rectè omnibus illis partibus, quę eſſentiam non conſtituun t, attribuunt; quum neq; ſimilaribus competat (Elementa enim, aliaq; ſimilaria non mutilari, planum eſt, & Ariſtoteles fatetur, ſicuti mox videbimus) neq; diſſimilaribus cunctis, ſed ijs duntaxat, quæ ſunt minus principales.

V. Porrò longè alium, quam reliqui Peripatetici, huic voci uſum aſſignat Petrus Molinæus, qui & alias in inſtituenda partium diviſione aliquid peculiare videtur habere. Totum enim aliud dividi dicit in partes materiales, aliud in formales. Partes formales intelligit eas, quæ alijs ſunt partes Metaphyſicæ, ſeu Logicæ (quas nos, utpote non reales partes, ſed rationis, à noſtra conſideratione rejecimus) ut apparet ex exemplo quod affert. *Animal* enim & *rationale* dicit eſſe partes formales ſeu eſſentiales hominis: ubi *eſſentiales* non ita dicit, quomodo alij; quippe qui vere eſſentiales hominis partes, animam & corpus, in cenſu materialium partium collocet & tamen partes artificialia conſtituentes, quas ad Eſſentiales illi revocant, ipſe hiſce Eſſentialibus ſive formalibus à ſe dictis annumerat. addens enim ſecundum exemplum, ait *Materiam* ac *ſtructuram* eſſe partes formales domus. Partes reliquas omnes appellat Materiales, eaſq; definit, *Quæ ſitu differunt, & in quas totum dividitur actu.* deinde adhibet vulgatam diſtinctionem, qua partes materiales aliæ ſint homogeneæ, aliæ heteroge-

Log. l. 2. cap. 5.

Cap. II. nex. Heterogeneas autem distinguit in Integrantes seu proximas, & in non Integrantes seu remotas: ita ut integrantes sint, in quas totum proximè dividitur, ut animal in corpus & animam, civitas Romana in plebem, equites, patricios; non integrantes, ut civitatis partes minutiores sunt tribus, curia, familia. In qua divisione non parva reprehensione dignum est, quod cum Materiam ac Formam Aristotelicam ipse receperit, ut quisquam alius (quod vel ex ista Logica certissimo constat) non expresserit ad utram classem, formaliumne an materialium partium, illas referendas censuerit. ambigendi enim occasio est, quod artificialia (in quibus subjectum se habere instar Materiæ, figuram instar Formæ, reliqui Peripatetici profitentur, & cum ijs ipse quoq; , ficuti ex hujus libri capite decimo apparet) cum formalibus numerat, animam vero & corpus (quorum alterum esse Materiam, alterum Formam, omnes similiter dicunt) cum materialibus; quod sane nullo modo est ferendum, ut anima & corpus pro materialibus hominis partibus habeantur. etiamsi enim altera conditio in definitione posita ijs competat, posse actu dividi (namq; alteram conditionem, etiamsi non minus veram, ipse non admiserit, qui cum majori Peripateticorum parte opinetur animam esse totam in toto) hoc non sufficit, ad hanc ipsis appellationem conciliandam, quum alias habeant ac nobiliores conditiones sub ea ratione, qua partes sunt, nimirum ipsam hominis essentiam constituendi. Recta autem ratio non patitur, ut nobilioribus rei conditionibus insuper habitis, à viliori aliqua nomen ijs imponatur. atq; ob eandem causam æque peccat ipse, Partes dissimilares materialibus accensendo (quanquam & situ differant, & actu dividi possint) quam illi, qui ijs hoc nominis dant, quatenus Materiæ molem integrant. Porro quod solis proximis cujusq; rei partibus attribuit Integrantium appellationem; ne hoc quidem rationem habet, non magis quam si solas partes proximas vellet partium nomine donare. Agnoscimus quidem, rem aliquam posse dici quodammodo integram, etiamsi aliqua partium remotarum ei desit, ut si homo manu careat, quippe, ut antea diximus,

mus, integrum id est, quod habet omnes partes sibi debitas; ac propterea homo est integer, qui habet animam & corpus, sive illud integrum sit, sive mutilum. proprie tamen & absolute illa res integra non est, cujus aliqua pars est mutila, ut in prædicto exemplo patet. mutilus enim est homo, cui manus abest: sicuti mutila est manus, quæ articulum alicujus digiti amisit, quanquam articulus non sit proxima manus pars, sed ipsius digiti, itaq; etiam articulus est pars manum integrans, & manus est pars hominem integrans: sed sicuti hoc respectu partes sunt remotæ (proxime enim articulus est pars digiti, & manus est pars corporis) ita non nisi remote hæc hominem, & ille manum integrat. Eodem igitur jure, quo partes aliæ dicuntur proximæ, aliæ remotę, etiam aliæ proxime integrantes, aliæ remote integrantes dicantur. hoc tamen recte Molinæus, quod hoc quoq; partium discrimen (alijs fere neglectum) quo aliæ sint propinquæ, aliæ remotæ, attigit. est enim hoc discrimen omnino necessarium, atq; non parvi momenti, quippe quod non observatum, magnæ confusionis causa esse potest; qua de re mox plura dicturi sumus. Cap. II.

VI. Porro quam rejicula sit illa à Peripateticis allata distinctio partium in Essentiales & Integrales, præterquam quod ex supradictis abunde liquet, inde quoq; discas, quod nequeunt se in assignando inter utrasq; discrimine probabiliter saltem expedire. Docebimus hoc ex Toleto, qui cum dixisset partes integrantes valde differre à partibus substantiæ rei, tres hasce differentias ponit. 1. Quod partes integrantes sæpe sint similares; partes autem substantiæ semper dissimilares. 2. Quod pars integralis non habet eundem adæquate locum cum altera, nec pars est in loco totius: sicuti ulnæ una medietas, adæquate non est ubi altera, nec est in toto loco ubi totum: cum circa partes substantiæ contra se res habeat. in quo enim loco adæquate est Materia, ibi esse Formam, & in toto loco, in quo compositum est, ibi & Materiam & Formam esse. 3. Quod partes integrantes possint separatim consistere, ut duæ ligni partes:

6 Phys. quæst. 1.

Cap. II. partes: ast neq; Formam neq; Materiam per se esse posse. Hæ sunt differentiæ à Toleto assignatæ, quæ quam sint probæ, nunc ostendemus. Prima sane non est melior, quam siquis hominem à brutis discriminaret eo, quod ipse sit bipes. sicuti enim hæc differentia esset vitiosa, quia non generalis (nam & bruta multa, ut aves, sunt bipedia) ita hæc quoque. namq; & integrantium partium multæ sunt dissimilares, quod & ipse agnoscere cogitur. ait enim, hoc in viventibus locum non habere, neq; quamlibet hominis partem esse hominem, sicuti quælibet aquæ pars est aqua. Secunda differentia neq; ipsa procedit, & vel solum ab anima ac corpore exemplum illam destruat. neq; enim verum est, quod in eodem adæquate loco, ubi est corpus, sit anima, cum animæ locus sit ipsum corpus, aut saltem in corpore. quam quidem assertionem scimus magnas pati difficultates, ac plerosq; omnis ævi non philosophos modo, sed & Theologos, in contrarium ire, ac fidenter asseverare, quod anima sit tota in toto. sed eos plurimum errare, ac Aristotelico commento de Forma substantiali (cui hoc itidem tribuunt multi Peripatetici, & cujus speciem faciunt animam) alijsq; ratiunculis parum solidis à vero abreptos fuisse, suo loco demonstrabimus. Quantum vero ad posteriorem hujus secundæ differentiæ partem; falsum est, partes integrales simul sumtas non esse in eodem loco, in quo totum est: quippe cum totum nihil sit aliud (sicuti ipse contra eos, qui id negant, defendit Toletus) quam omnes partes simul sumtæ. si vero istorum verborum mens est, integrantium partium quamcunq; non esse in eodem loco, in quo totum est; ne in essentialibus quidem hoc perpetuum est; sicuti ex ijs, quæ modo de anima & corpore dicebamus, apparet. & eorundem exemplo tertia quoq; differentia evertitur. namq; & Mens, & corpus, quæ partes sunt essentiales, possunt separatim consistere, ac re vera consistunt, ubi per mortem distrahuntur. nam quod ad illos attinet, qui corpus mortui non esse corpus afferunt, nisi homonymice, eos planissime delirare, supra satis ostendimus.

VII. Diffe-

VII. Differentiæ igitur inter partes Essentiales & Integrantes à Toleto assignatæ stare non possunt, quum aut non veræ sint, aut non universales. Nihilo autem firmius aut melius est discrimen à Zabarella constitutum, qui ita hanc rem expedire conatus est, ut asseveret, *hoc esse inter partes essentiales & quantitativas discrimen, quod partes quantitativæ sint ejusdem ordinis & naturæ, nec una dicatur esse magis actu quam alia, vel magis potestate quam alia, ut in homine pes & manus. At partes essentiales habere inter se ordinem perfectibilis, & perficientis, & unam ad aliam dirigi; ut Materiam ad Formam, ut potentiam ad actum, & perfectibile ad perfectionem, & contentum ad continens.* nolumus hic carpere sermonem admodum imprudentem, quod partes omnes dissimilaris quoq; corporis dicat esse ejusdem inter se ordinis & naturæ: quæ verba, si quis ea accipiat ita uti sonant, plena sunt falsitatis; ac contenti sumus ea sic intelligere, quomodo ipse ea interpretatur, quod una non sit magis actu quam alia, quodq; inter se non habeant ordinem perfectibilis & perficientis. Quod verum sit nec ne, nos mox dispiciemus: Peripateticis omnibus non probari, certi sumus. Plane enim contrarium asserit Suarez asserens, *In omni compositione esse aliquid, quod sit fundamentum & inchoatio rei, & aliquid quod sit terminus & consummatio rei; & ideo aliquid semper considerari ut Materiam, & aliquid ut Formam rei. quod adeo verum sit, ut etiam in compositione è partibus integrantibus, quæ maxime materialis esse videatur, semper una pars consideretur ut Materia, & altera ut Forma: idq; clarius apparere in rebus heterogeneis. sic enim in homine caput esse velut Formam aliarum partium, & in artificialibus tectum esse velut Formam ædificij.* & addit quoq; rationem, cur sic esse debeat, *Quia nimirum compositio è Materia & Forma sit prima compositio realis, & maxime propria ac per se. Ideo per quandam analogiam ad illam compositionem, debere omnem aliam compositionem declarari, quia Materia sit quiddam informe, & imperfectum, & inchoatio quædam &*

Cap.II.

2. de Anima, ad text. 31.

Disp. 15. s. 1. 1.

Cap.II. *imperfectio naturæ; Forma vero sit quasi pulchritudo, & perfectio, ac consummatio naturæ.* Hæc cum ex diametro repugnent ijs, quæ de Partibus Integrantibus seu Quantitativis tradit Zabarella; palam est, si vera sint, differentiam ab ipso constitutam funditus convelli.

VIII. Pro veris tamen illa ne nos quidem habemus, neq; nobis persuaderi patimur, in omni composito inveniri aliquid, quod se habeat instar Materiæ, & aliquid quod instar Formæ. Reclamant enim & composita Accidentalia, sive Accidentia composita, in quorum plerisq; nihil tale cernere est; & manifestius etiam composita similaria, quorum omnes partes cum sint omni ex parte exactissime inter se similes, ne imaginari quidem in illis licet hanc differentiam, quod aliæ se habeant instar materiæ, & aliæ instar formæ. Est hoc ita apertum, ut non potuerit id non videre Suarez, qui tamen propositum non mutat ob hanc difficultatem, sed solvere eam aggreditur, idq; eo modo, ut & hic putet imaginem ejus, quam dixerat, diversæ habitudinis reperiri, sed longe alio modo quam in heterogeneis. non enim, ut istic, partem aliquam principalem vult obtinere formæ vicem, sed sed ipsum Totum. *In rebus Homogeneis* (inquit) *ubi inter partes non potest distingui illa diversa habitudo, propter earum similitudinem & uniformitatem omnes partes dicuntur esse materia totius, compositum autem comparari ut forma ad singulas partes.* Hæc ubi legimus, vix est ut risum teneamus: & tamen communis est hæc inter Peripateticos sententia, quod Totum se habeat instar formæ, nisi quod non de Homogeneis tantum compositis hoc dicunt, sed & de omnibus in universum. Ita enim Thomas, & ex
3. Phys. ad text. 77. eo Toletus, *Totum habet rationem formæ, respectu partium, partes verò rationem materiæ.* Zabarella hoc ipso in loco, è quo illa paulo ante posita depromebamus, *Ultima perfectio, quæ alias omnes complet, dicitur alias omnes continere, & tenere locum totius: reliquæ autem essentiales partes ab ea continentur, ab ea sumunt nomen, & esse, & definitionem, & sunt loco materiæ & partis, respectu illius*

illius, quia illa sola simpliciter locum tenet formæ; forma Cap. II.
autem est totum, materia verò pars. Et Averroes 7. Metaph. comm. 35. *Respectum partium ad totum, esse respectum materiæ ad formam: respectum vero totius ad partes, esse respectum formæ ad Materiam:* qualia & alibi iterat. Habent autem ducem hujus sententiæ ipsum Aristotelem, qui ut partes, Materialis, ita Totum & compositionem Formalis causæ rationem obtinere scribit. τούτων δὲ τὰ μὲν ὡς τὸ 2. Phys. 3. Et
ὑποκείμενον, οἷον τὰ μέρη. τὰ δὲ ὡς τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς τό, rursf. totid. verb.
τε ὅλον, καὶ ἡ σύνθεσις, καὶ τὸ εἶδος. *Horum verò quæ-* 5. Metaph. 2.
dam se habet instar subjecti, uti partes: alia verò instar essentiæ, ut totum, & compositio, & forma. ad quæ verba ita Conimbricenses, *Tria refert ad genus causæ formalis, nimirum totum, compositionem, & formam.* Mirificè autem (etsi non præter morem suum) Totum & Compositionem separatim tanquam duas diversas res recenset, quum haud dubie eandem rem sub utroq; vocabulo intellexerit. Nam quod ijdem Conimbricenses ex Alensi afferunt, eum vocare Totum, id quod coalescit ex partibus, ordine duntaxat quodam inter se junctis, ut exercitus; compositionem verò id, quod componitur ex partibus, non solum ordinem aliquem habentibus, sed in unam aliquam formam coeuntibus, ut domus: frivolum est, neq; ullum vel à ratione, vel ab ipsius Aristotelis consuetudine prætextum habet. Porrò quod hic dicitur, Partes se habere instar Materiæ, (unde alterum illud, Quod Totum sit ut forma, sequitur) attingit etiam in principio primi de Gener. Anim. ἡ ὕλη τοῖς ζώοις τὰ μέρη, παντὶ μὲν τῷ ὅλῳ τὰ ἀνομοιομερῆ. *Partes sunt materia animalibus, omni quidem Toti dissimilares,* &c. Ex quibus satis apparet, & receptam esse inter Aristotelicos, & ab ipso Aristotele fluxisse hanc sententiam, quod Totum, respectu suarum partium, sit instar Formæ. Quanquam autem & ipse, & illorum pleriq; indefinite atq; generaliter loquantur, sunt tamen & alij, qui hoc non quidem ad solum totum Homogeneum cum Suarezio, attamen ad Totum Integrale ipsis dictum duntaxat revocent; de quorum numero est Archangelus Mercenarius, ita hac de re scribens:

De Princip. Indiu. cap. 1.

Per totum, intellexit totum integrale. Nam ſicuti partes integrantes, ut caput, manus, & brachia, reſpectu totius, materiæ rationem habent, ita totum integrale, cum ſit abſolutio & conſummatio quædam partium, Formæ rationem habet. Certum eſt autem, quod hujuſmodi comparatio non ſit inter totum eſſentiale, & partes eſſentiales, utpote Materiam & Formam; quoniam Forma, ratione totius compoſiti, rationem non habet Materiæ & ſubjecti, è quo.

IX. Non ſatis igitur ſuper hac re inter ipſos convenit, quum alij de quovis Toto dicant, alij de Integrali tantum, nonnulli de ſolo Homogeneo, quod ſe habeat tanquam Forma. Sed abſurdam eſſe quamcunq; iſtarum opinionum, ac proinde omnes quoq; ſimul, in proclivi eſt oſtendere. Si enim partes cujuſvis Totius ſe habent ut Materia, & Totum ipſum ut Forma ſequitur Totum ipſum non eſſe Totum, ſed partem alterius Totius, quod nimirum ex illa compoſitione Partium ac Totius conſtituatur. Materia enim & Forma, in ipſorum ſchola, inter ſe junctæ, efficiunt compoſitum, quod nec Materia ſit, nec Forma, ſed tertium quid, ex illis inter ſe unitis conſurgens. Neceſſe igitur eſt, ut in alijs quoq; rebus, ubi aliud eſt inſtar Materiæ, aliud inſtar Formæ, eodem modo ſe res habeat, atq; ex illis duobus invicem adunatis conſtituatur tertium quid, ab utroq; ſeparatim ſumpto diverſum: ac proinde Totum non erit Totum, ſed alterius Totius pars, quomodo Forma non eſt niſi pars Totius, quod cum ſua Materia conſtituit. id quod ſi eſt abſurdiſſimum, pro abſurdo quoq; repudiandum eſt hoc dogma, quod Partes ſe habeant ad Totum, ut Materia; & Totum ad partes, ut Forma. Hoc enim poſito, illud quoq; ponatur neceſſe eſt. Et ſic apparet, veritati parum conſentaneum eſſe illud Suarezij, quod in omni compoſitione ſit aliquid quaſi materiale, & aliquid quaſi formale: quum in Compoſitis ſimilaribus, ubi omnium partium eadem eſt ratio, nihil tale oſtendi poſſit: perfugium autem illud, Quod omnes ſimul partes ſint inſtar Materiæ, & Compoſitum inſtar Formæ; per ea, quæ nunc diximus, intercluſum ſit.

X. Conce-

Cap. II.

X. Concedimus itaq; Zabarellæ id quod supponit, Partium Quantitativarum unam non esse magis actu quam aliam, neq; unam ab altera perfici. Inde tamen non sequitur, bonam esse quam assignat inter partes Essentiales & Quantitativas differentiam. Nam quod ille ait, in partibus Essentialibus rem contrario modo se habere, id verò nos negamus, asserimusq;, nec illarum unam esse magis actu quam alteram, neq; unam ab alia perfici. Quantum ad prius; partes in potentia non possunt compositum sive totum in actu constituere. si itaq; compositum quodcunq; in actu futurum est, omnes quoq; ipsius partes proximæ in actu sint necesse est. & hoc nemo ipsorum Peripateticorum negaverit; qui etiamsi soleant dicere, quod partes sint entia in potentia, id non aliter intelligunt, nisi quod non sunt entia per se subsistentia. de solis partibus continui Homogenei lis est, quas aliqui dicunt non esse actu partes, quamdiu sunt in Toto, sed ratione duntaxat, aut designatione. Sed alij has quoq; esse actu partes affirmant, in quibus est Fonseca. *Partes integrantes*, inquit, *totius Homogenei, & si ante considerationem aut designationem actualem non sunt actu distinctæ, ut entia quædam, sunt tamen distinctæ, ut partes ejusdem entis.* Cujuscunq; igitur Compositi partes, ac proinde etiam essentialis, sunt actu: & si omnes sunt actu, non est cur unam magis actu esse dicamus quam aliam. Quod si quis pro Zabarella respondeat; Materiam Compositi esse quidem actu, sed habere à Forma quod sit actu; is sciat, ista somnia de Materia prima, quæ per se non sit aliud quam ens in potentia, & per formam substantialem actuetur, nobis, qui utramq;, & Materiam primam, & Formam substantialem (sola anima, quam ipsi quoq; formis accensent, excepta; id quod plus semel monuimus) firmis argumentis evertimus, non posse obtrudi. Et cum alterum illud, quod Materia sit perfectibile, forma autem perficiens, ab eodem fonte manet, eodem quoq; responso diluitur. Forma enim (hoc est, Anima aut Natura: aliam enim nos Formam non agnoscimus) non perficit Materiam, non magis quam Materia perficit Formam, sed utraq; in suo genere perfecta,

5. Metaph. 6. q. 6. sect. 3.

 totum

Cap. II. totum simul perficiunt. Concedimus quidem Formam, id est, Animam, & Naturam (hanc tamen non omnium) esse digniorem Compositi partem, quare etiam perfectior dici quodammodo potest (quanquam proprie non potest aliud alio dici perfectius, nisi in ijs, quæ sunt ejusdem speciei) sed inde non sequitur, quod ipsa Materiam perficiat. & si vel maxime sequeretur, nihil tamen hoc prodesset Zabarellæ. sic enim rediret sententia Suarezij; quia eodem jure tunc caput quoq; & cor possent dici perficere reliqua membra, quippe quibus ipsa similiter sunt digniora ac perfectior. ipse autem in hoc constituebat partium Integralium atq; Essentialium discrimen, quod harum alia aliam perficeret, illarum verò nequaquam.

XI. Quod verò addit Zabarella de Potentiâ & Actu, ne hoc quidem officit quicquam ijs, quæ hactenus diximus. Scimus quidem tritam admodum esse sententiam, quod Potentiæ à suis Actibus perficiantur; sed quæ nobis non probatur: neq; ullo modo admittimus, actum recipi in potentiam, ut cum ea unum compositum constituat. Quantum enim ad potentiam receptivam, seu passivam, in eductione de potentia in actum non ipsa potentia patitur, aut mutatur, sed subjectum illa potentia præditum. non enim, quando aqua calefit, calor introducitur in potentiam illam, quam habet aqua, ut possit calefieri, sed in ipsam per se aquam; sicuti sigilli imago in ipsam proxime ceram imprimitur, non in potentiam illam, cujus ratione habilis est cera ad omnem figuram recipiendam: quomodo

2. De Anima 2. etiam ab Aristotele dictum, ἑκάστου ἡ ἐντελέχεια ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι καὶ τῇ οἰκείᾳ ὕλῃ πέφυκε γίνεσθαι. *cujusq; actus in eo quod est potentia, inq; propriâ Materiâ produci nata est.* actum dicit fieri non in ipsa potentia, sed in eo quod est potentiâ. quanquam ibidem pro solita inconstantia & fluctuatione, illa etiam dicit, unde contrarium concludatur. Non posse autem fieri compositum ex tali

Disp. 4. sect. 3. Potentia, & Actu ipsius, non magis quam ex Ente & nihilo,

§ 5. Suarez quoq; profitetur. Sed neq; potentia Activa

va componitur cum suo actu; quippe cujus actus nihil aliud est quam actio. Actio autem non est nisi accidentalis ac temporarius modus agentis: & talis Modus non facit compositum, cum eo, cujus est modus; de qua re alias dicetur. Et non dari ullam talem compositionem ex potentia & actu, confirmari, etiam potest eo argumento, quo omne compositum est aliquid diversum à partibus componentibus per se consideratis, & tertium quid, ex ipsarum unione consurgens. quale autem sit illud tertium, quod è conjunctione potentiæ (vel receptivæ vel activæ) & actûs exurgat, ne imaginari quidem licet. Quamobrem ne hic quidem habet quicquam Zabarella, ad differentiam illam inter Partes Essentiales atq; Integrales stabiliendam.

Mirum verò est, cur Continens & Contentum hùc quoq; afferat, tanquam partes Essentiales, quæ inter se habeant ordinem Perfectibilis & Perficientis. nullum enim aliud est Continens & Contentum, de quibus hoc dici possit, præter Materiam & Formam: de quibus dixit Aristoteles, quod Forma continet Materiam (quanquam potius contra est. namq; & anima continetur à corpore, & natura à subjecto) Ast illas jam nominatim posuit: ut valde superflua sit (etiamsi verum esset quod Materia à Forma contineatur) hæc repetitio. Si vero non eo respexit, manifesto falsa dixit, Continens & Contentum esse partes Essentiales, quarum una perficiatur ab altera. Namq; & quodvis Totum continet suas partes; & non perficit illas, sed potius ab illis perficitur. Totum enim non est perfectum, nisi omnes partes suas habeat: quo respectu dixit Aristoteles, Totum & Perfectum aut idem esse, aut fere idem. τὸ ὅλον, καὶ τὸ τέλειον, ἢ τὸ αὐτὸ πάμπαν, ἢ σύνεγγυς τῇ φύσει ἐστί. Atq; hinc evertitur quartum exemplum à Zabarella positum; cujus mirifica hic est oratio. quippe cum dixisset, partes essentiales se habere ut perficiens & perfectibile, inter alia exempla partium ita se respicientium ipsum quoque perficiens & perfectibile ponit. Sed eum peccare, qui ea, quæ proprie ita se habent, numeret inter partes Essentiales, ex proxime dictis de Toto, quod à 3. Phys. 7.

partibus

Cap. II. partibus suis perficitur, apparet. Et tantum quidem de recepta apud Peripateticos partium in Integrales (quas easdem & Quantitativas & Materiales vocant) ac Essentiales divisione dictum esto. Nunc tempus erit propriam super hoc negotio sententiam declarare.

XII. Partes alias Dissimilares esse dicimus, alias Quantitativas. Quantitativæ partes sunt, quarum appositione & ablatione nihil aliud acquirit aut amittit Totum, cujus illæ dicuntur partes, nisi quod majus fit aut minus. Tales partes habent omnia Elementa; item corpora similaria, ut caro, lignum, aurum, si indefinite, & absq; certæ molis aut figuræ circumscriptione considerentur. Accidentia etiam habent ejusmodi partes, non omnia, sed sensibilia duntaxat, neq; ea cuncta: quippe figura ijs caret, nisi recta simplex; quum aliæ omnes figuræ constent è partibus dissimilaribus. Reliqua autem habent partes quantitativas. quando enim secatur corpus tali aliqua qualitate præditum, una etiam secari qualitatem ipsam, manifestum est. Quod si quis dicat, secari tales qualitates per accidens, quia secentur ad sectionem subjecti (id quod Averroës alicubi dicit, & ex
3. de Anim. c. 11 Aristotele profitetur Zabarella. consentientibus ipsi plerisq; Peripateticis) is sciat, nihil hoc referre. non minus enim vere fiunt, quæ fiunt isto modo, quem illi appellant per Accidens, imò quæ certo per Accidens fiunt, quàm quæ fiunt primario, ac per se. fieri enim per accidens, non infert alteritatem (ut sic dicamus) in actione aut passione quæ fit, inq; earum terminis, sed in modo quo fiunt: qua de re & supra diximus nonnihil, & alibi plura erunt dicenda. Non magis autem secantur Accidentia per accidens, quia secantur cum subjecto, neq; aliter nisi cum subjecto secari possunt, quam sunt aut producuntur per accidens, quia producuntur & sunt in subjecto, neq; aliter quam in subjecto esse aut produci queunt. Et dantur tamen alij quoq; modi, quibus proximè ac per se, non communicante subjecto, partes quantitativas amittunt aut acquirunt accidentia; sicuti manifestum est in ijs, quæ calefiunt, aut frigefiunt

Cap. II.

gesiunt per partes, ac minutatim, ut si cylindrum ferreum altera extremitate in ignem immittas. prius enim calescet pars igni proxima, ac deinceps vicinæ, donec totum ferrum incaluerit: quod ferrum ita calefactum si rursus altera duntaxat extremitate in frigidam immergas, frigus item successive in ipsum introducetur. Sæpè etiam videmus in panno aliquo lineo, laneove aut sericeo, colorem deperdi in certis partibus, quum in reliquis salvus maneat: quod sicuti interdum fit deperditione substantiæ colorem conferentis (quo pacto ad præsentem contemplationem non pertinet) ita non raro fit simplici alteratione; & tunc est hujus ordinis. Etenim in tali subjecto minus tunc est istius qualitatis, quam ante illam jacturam.: quod qui negare ausit, illi liceat eodem jure affirmare, non plus caloris esse in massa ferrea candenti mille librarum, quam in frustulo unius drachmæ, aut quam in una scintilla. Distinguendum autem diligenter est inter gradus caloris, & partes. plures enim paucioresve partes esse nequeunt, nisi in pluribus aut paucioribus partibus subjecti. intensior autem vel remissior gradus in unam eandemq; partem introducitur. & quod de calore dicimus, idem de alijs quoq; qualitatibus sensibilibus dictum esto. Et plurimum hæc differre, inde quoq; liquet, quod quum partes quantitativas non habeant nisi qualitates sensibiles, gradus intensionis & remissionis cadunt in omnes omnino qualitates, solâ & hic figurâ exceptâ. Vbi igitur est intensior gradus caloris, majorem liceat dicere calorem, quam ubi est remissior; non tamen putandum est, plures esse partes caloris, in intensiore gradu, quàm in remissiore: non enim gradus gradui apponitur, ut pars parti, neq; inferior gradus superiori coalescit, sed in eo obliteratur. æque enim simplex est supremus caloris, & alterius cujusq; qualitatis intensibilis, gradus, quam infimus.

an datur simplex alteratio?

an figura qualitas? & circumscribit quantum.

XIII. Non enim audiendus est Scaliger, qui hac in re ab Aristotele dissentiens (à quo vel in minimis rebus, & nequaquam huic comparandis, dissensisse, capitale est misello Cardano, quoties huic dictatori videtur) ausus est negare

Cap. II. receptissimum axioma, & innixum manifestissimæ experientiæ, atq; in omni vitæ parte se ingerenti, intensionem, inquimus, qualitatum: quam qui tuentur, cum crassis ac plebijs ait sordescere: vocatoq; lectore ad altiorem contemplationem, ait nullum calorem (caloris enim exemplo utitur) majorem esse eo modo, quo dicunt, calorem intendi. Illa enim intendi, quorum extrema coguntur longius distare; quod in calore fieri non posit, ne metaphorice quidem. Quæ sane de vocabulo ipso satagentia risu digna est; quasi verò quisquam unquam ita delirasset, ut putaret intendi qualitates ita, quomodo funes intenduntur. sed in febriculosa hac circa voces ac phrases vulgo usitatas diligentia, mirum quantum ille vir sibi placuerit: à quo parum sibi cavit Cicero, & probatissimi quiq; scriptores Latini, quando familiariter usurpant illas loquendi formulas, ut dicant aliquem intendere curam, animum, mentem, aciem, & similia; quorum tamen nullum intenditur ita, quomodo funis, ut extremitates cogantur longius distare. Neque talem consiliarium habuit Plato, quando dixit, Τὸ θυμοειδὲς μᾶλλον ἐπιταθὲν τοῦ δέοντος, σκληρότερόν τε καὶ χαλεπώτερον γίγνεσθαι. *Partem irascibilem, magis intensam quam par est, duriorem ac difficiliorem fieri*, & in alijs mille locis, ubi hoc verbum ad eundem modum usurpat; quod cum ipso faciunt passim alij quoq; scriptores Græci. Sed missa lite de vocabulo, rem ipsam videamus. Quod intensio in qualitatibus dicitur, id accretionem esse dicit, sicut & quantitatis. accretionem autem fieri vel ipsius corporis calidi condensatione, ut si ferri calidi partes quatuor malleo condensatæ coeant in unum. sic enim fore, ut quadruplicetur calor ille, quum ignis quatuor partes in unam cojerint. unamquamq; enim ferri particulam habuisse partem unam ignis, per quam caleret. adunatis igitur quatuor ipsius ferri partibus, quatuor quoq; ignis partes adunatas esse. quare eosdem esse caloris gradus, qui erant prius, sed ob conjunctionem efficaciores. Posse quoq; unam eandemq; ferri partem fieri calidiorem, non propter condensationem, sed quia quatuor ignis partes successivè in eam introductæ sint.

Margin notes: Exer. 18. 1. (beside "bijs ait sordescere"); 3. Politic. (beside the Greek quotation)

Cap. II.

ſint. Iſta eſt Scaligeri circa qualitatum intenſionem, aut, ut ipſe vocat, accretionem ſententia, non unò modo ridicula. Futilius enim nihil cogitari poteſt (vel ipſo Ariſtotele judice, qui 1. de Generat. & Corr. 8. prolixe impugnat eos, qui omnem alterationem fieri per poros aſſeverabant) quam quod in ea corpora, quæ calefiunt, vult ipſam ignis ſubſtantiam introduci: quod delirium deliravit etiam Sueſſanus, quippe qui dixerit (ſi vera de eo refert Zabarella) aquam ferventem non eſſe calidam. ſed videri calidam, propter vapores, (hoc eſt, ex mente Scaligeri, particulas ignis) in ea exiſtentes. quod ita refellit Zabarella, ut dicat, eos qui hoc ſtatuunt, alterationem tollere de rebus: quod Scaliger facit planiſſime cum ſuis illis ignis particulis, quas in ferrum introducit, ut illud calefaciat. & ne quid de ſumma futilitate (tanto ſane viro indigna in negotio tam manifeſto) reliquum faciat: objectionem Cardani, quod ſic duæ ſubſtantiæ forent in ære, verbi cauſa, ignito; ita ſolvit, ut dicat, ignem in concavitatibus æris hoſpitari, ſicut aqua facit in concavitatibus panni vel ſpongiæ. Sed ut in ære ac ferro tale quid fieri poſſit. multa ſunt, in quibus id locum habere non poteſt. Et præterea ipſa ignis natura aliam adhuc ſuppeditat validiorem rationem, cur calefactio hoc pacto fieri nequeat; ſicuti in tractatione de Oleo, libro ſequenti exhibendâ ubi prolixe hac de re diſputandum eſt, clarum fiet. Quinimo ut vel maxime Scaligero concederetur, quod de calefactione per ignis introductionem, & de intenſione caloris per partium condenſationem, vel plurium ignis partium introductionem, contendit; plurimæ tamen ſunt qualitates, in quibus ne fingi quidem poteſt, earum intenſionem ad eundem modum fieri. Ut enim unum de innumeris exemplum deligamus, non erit, credimus, Stoicus, ut præceptori ſuo neget, alios alijs poſſe magis juſtos eſſe, vel minus, & proinde unum eundemq; hominem poſſe fieri ſe ipſo juſtiorem. Pervelimus igitur ſcire, quænam ſit illa ſubſtantia αὐτοδικαιοσ, Platonicarum Idearum ſororcula, cujus partium introductione ſicuti anima fiat inſta, ita ſi plures ejuſdem partes introducantur,

De Rest. c. 3.

Cap. II. fiat justior. Ex duobus enim illis modis, quibus aliquid dicebat fieri calidius, vel sui condensatione, vel plurium ignis partium introductione; prior saltem hic locum non habet. neq; enim dixerit, animam fieri justiorem, si quatuor ipsius partes in unum coeant. sed & posterior modus æque est puerilis. Videndum igitur ipsi fuerit, quem velit hic tertium modum excogitare, quo in anima fiat justitiæ accretio. Quippe non de calore tantum, sed de qualitatibus in universum pronuntiat; Non intensionem earum fieri, sed accretionem.

XIV. Non igitur per novarum partium appositionem, Qualitates intenduntur, sed imperfectioris gradus perfectione. Hoc enim voluit Deus Qualitatibus proprium esse, ut possent in se ipsis atq; essentialiter perfectiores esse & imperfectiores: quod ne recipiant, in causa multis est Aristotelis illud decretum, quo sciscit; Essentias rerum se habere instar numerorum; in quos sicuti non cadit magis & minus, ita neq; in illas cadere. Sed non videtur ille latius hoc extendisse, quam ad Formas substantiales. Si vero de accidentalibus quoq; formis hoc ipsum protulit; rem dixit vel sola experientia refutandam. quare in re adeo manifesta non debebat illos à veritate admittenda deterrere unius viri autoritas. Certissimo enim comperimur quotidie, unam eandemq; qualitatem posse magis aut minus esse perfectam. Et hæc est perfectio proprie dicta, non illa altera, quæ in omnium partium, unum totum componentium, præsentia consistit. Ista enim non tam perfectio est, quam integritas; quanquam potest aliquo etiam modo Perfectio appellari. Proprie autem Perfectio in solis qualitatibus locum habet. illa enim qualitas, quæ in summo gradu, qui ejus naturaliter esse potest, constituta est, perfecta est; à quo quantum recedit, tantum abest à perfectione. Et sic etiam composita proprie perfecta aut imperfecta non dicuntur, nisi ratione perfectarum aut imperfectarum in ijs qualitatum. Gradus igitur Qualitatum, qui in earum intensione consistunt, confundendi non sunt cum partibus earundem

rundem quantitativis, neq; pro partibus illi habendi.

XV. Est autem partium Quantitativarum, tum in substantijs, tum in accidentibus, hæc conditio, (qua tanquam certissimo κριτηρίῳ internosci queant, atq; à partibus essentialibus discerni) quod earum appositione aut detractione Totum quantitativum non aliam patitur mutationem, nisi quod majus fit aut minus. Unde etiam sequitur, partes quantitativas omnes esse inter se similes. nisi enim hoc sit, non potest esse uniforme ipsum Totum. & si Totum diversiforme est, fieri nequit quin aliquarum partium ablatione aliam, quàm secundum solam quantitatem, patiatur mutationem. Est autem nonnulla Partium Quantitativarum in eo differentia, quod nonnullæ post divivisionem à Toto, eandem servant essentiam, quam habebant, dum Toti essent conjunctæ; aliæ vero nequaquam. Priores non modo omnes inter se sunt similes, sed & cum Toto eandem habet Essentiam; adeo ut definitio Totius competat cuicunq; parti à Toto separatæ, & per se existenti. sic enim omnia, quæ in definitione aquæ vel auri exprimuntur, æque inveniuntur in quavis minima particula, aut gutta, quàm in tota massa aut mole, à qua ipsa ablata est. hoc autem nequaquam competit ijs, quas in secundo loco posuimus. tales autem sunt, partes animarum plerarumque. Plerarumq; dicimus, non omnium. sunt enim stirpes, quarum animæ partes habent non modo inter se, sed & toti similes, ideoq; in apospasmatis manentes, ibiq; integrarum animarum conditionem servantes. quales etiam sunt fortasse nonnullorum insectorum animæ. Aliarum autem stirpium, & plerorumq; insectorum, omniumq; animalium perfectorum animæ (excepta Mente, quæ nullam patitur actualem divisionem, non magis quam Angeli) quanquam partes habent invicem similes, propterea; earum amissione aut acquisitione majores tantum aut minores fiant; partes tamen illæ, simulatq; à Toto separatæ sunt, desinunt esse quod erant, depositâq; totâ naturâ, qua participabant dum Toti erant junctæ, redeunt ad statum simplicis Ele-

Cap. II. menti, ejus nimirum, ex quo omnes animæ per naturæ introductionem constituuntur. Quod autem de hisce animabus dicimus, eas è partibus quantitativis componi, id non de ipsis integris intelligendum est, sed 𝔓 ꝶ duntaxat. Etenim hæ omnes animæ, si universæ considerentur, composita sunt dissimilaria, atq; è partibus plurimum inter se diversis constituuntur. Namq; ea animæ pars, quæ in jecore radices egit, (ut sic dicamus) plurimum differt ab ea, quæ in testibus habitat. utraq; autem non parum diversa est ab ea portione, quæ vel in corde vel in cerebro domicilium sortita est. Omnes autem hæ multum sunt diversæ ab ea parte, quæ per totam venarum capacitatem fusa est. Et in plantis quoq; (ijs duntaxat exceptis, quarum è quovis apospasmate integra rursus planta nasci potest) idem quoq; obtinet per analogiam, quanquam non cum tanta varietate: quæ omnia, nova sane, & in Lyceo inaudita, faciemus suo loco planissima. Quod igitur dicimus de hisce animabus, earum partes esse quantitativas; id non de partibus ipsas totas constituentibus, sed de partium partibus, ijs nimirum, quæ magnas has atq; diversiformes portiones constituunt, accipiendum est. In quibus autem partibus non invenitur generalis illa conditio, hic à nobis assignata, ut omnes sint inter se similes, utq; earum accessu aut abscessu compositum duntaxat majus fiat aut minus; eas certum est, non esse Quantitativas, sed alterius conditionis: quæ quot qualséque sint, nunc videbimus.

XVI. Partes dissimilares duorum sunt in universum generum, Essentiales, & Conformantes. Essentiales vocamus, quæ ipsam rei Essentiam constituunt, quomodo anima & corpus constituunt animal vel plantam: Conformantes verò, quæ inserviunt vel totius corporis, vel alterius partis conformationi, quomodo caput est pars conformans corporis; facies, capitis; nasus faciei; nares, nasi; similares, ipsarum narium. Nullæ autem partes Dissimilares excogitari possunt, quæ non ad alterutram harum specierum

quel le premier de l'enclume ou du marteau? comment former un marteau sans enclume, une enclume sans marteau?

revocandę sint. & quum partes conformantes non dentur (sicut ex ipso nomine apparet) nisi in corporibus certam conformationem sortitis, sequitur, accidentia omnia, quæ concursu suo aliud accidens componunt, esse partes essentiales. atq; eodem modo liquet, pro partibus, Essentialibus haberi quoq; debere Materiam & Naturam, tum in Angelis, tum in anima quacunq; : itemq; animam & corpus, tum in animalibus, tum in plantis. neq; enim vel plantæ vel animantes certam habent conformationem, quatenus ex anima & corpore constant, sed κατά τι, quatenus altera ipsorum pars essentialis, videlicet ipsum corpus, certo modo est conformata; sicuti manifeste in morte apparet, ubi separatâ à corpore animâ, eadem manet, quæ in vivente erat, totius conformatio. Sicuti autem hoc clarum est, ita clarum quoq; est, & utramq; illam partem essentialem, Materiam & Naturam, in corporibus quoq; Conformatis reperiri, & Partes eorundem conformantes pro essentialibus habendas non esse. Quantum ad prius; cum universa corporis moles ex partibus similaribus constet, ipsæ autem partes similares ex Elementis; Elementa autem, quomodocunq; inter se misceantur, ne unam quidem partem similarem constituere possint, nisi aliæ extrinsecus qualitates accedant; apparet plus in similaribus esse, quam nudam Materiam, è sex Elementis seu corporibus simplicibus conflatam. Ast hoc quod in ijs plus est, est ipsa Natura. Porro Natura hæc in duo summa capita scinditur. altera enim sui parte Materiam intrinsecus afficit, altera extrinsecus disponit. prior pars fere consistit in qualitatibus tertiæ classis, inq; ipso substantię modo, ex certa Elementorum proportione debitaq; mixtione consurgenti, per quæ fit ut caro sit caro, & os sit os; itidemq; de cæteris partibus similaribus. altera verò Naturæ pars, extrinsecus disponens, in conformatione consistit. Usurpamus autem vocabulum conformationis non in angusta illa significatione, qua in Physiologia & Pathologia à medicis sumi solet, ubi partium organicarum compositionem in hisce quatuor consistere dicentes, Certo numero, Convenientę magnitudine,

Cap. II.

Debito

Cap. II. Debito situ, & Conformatione, sub Conformatione figuram decentem, Cavitatem aut Soliditatem, & superficiei lævitatem vel asperitatem complectuntur: sed tum hæc, tum priora illa omnia sub hac appellatione, quæ apud Galenum quoq; non raro ita late usurpatur, comprehendimus. Sicuti igitur ab interna Naturæ parte habet unaquæq; pars similaris, ut tale vel tale substantiæ genus constituat: ita ab externa ejusdem parte habet suam Conformationem. Et quum partes omnes organicæ, quas ita Medici vocant, ex similaribus constent, sicuti majora organa proxime è minoribus organis, & totum corpus immediate ex majoribus organis constituitur; apparet totius corporis conformationem à partium similarium conformatione pendere. & cum illarum conformatio proficiscatur à naturæ ea parte, quam exteriorem vocavimus, liquet partes conformantes pro essentialibus haberi non debere, quum ipsarum conformatio sit quasi essentiæ consectaria; quippe quæ ab altera duntaxat Essentiæ parte, nimirum Naturâ, neq; eâ totâ, proficiscatur. Ex dictis autem satis apparet, quare Conformantes dicamus partes, non Organicas, vocabulo Medicis usitato. Etenim organicas partes ita dicere illi solent, ut similaribus opponant; & quanquam eorum nonnulli aliquas etiam similares partes, ut ossa, in organicarum censum recipiant, reliquas tamen & ipsi quoq; ab earum numero excludunt. Usurpandum igitur nobis fuit vocabulum, quod latius pateret, quódq; ambitu suo non organicas modò, sed & similares omnes complecteretur. Quanquam enim similares partes per internam illam Naturam nullis certis conformationis terminis circumscribuntur; quum tamen in corporibus viventium, cum interna Naturæ externam habeant conjunctam, ejusq; ratione certæ conformationi ita astringantur, ut omnium organorum totiusq; corporis conformatio ab earum conformatione manet; nullo modo ipsæ extra partium conformantium numerum fuerunt rejiciendæ; sed primæ in illo ordine collocandæ. Itaq; non est, quòd quisquam miretur, quum Partes Essentiales & Conformantes uno generico Dissimilarium vocabulo comprehenderimus,

henderimus, quo jure postea Similares Conformantibus annumeraverimus. Hoc enim facimus ea ratione, qua licet similares sint per internam sui Naturam, dissimilares tamen sunt, quantum ad exteriorem suæ Naturæ partem. Imò & priori modo possunt certo respectu dici dissimilares, si ipsæ similares inter sese, sive aliæ similares cum alijs conferantur, Sic enim per internam quoq; sui naturam sunt invicem dissimiles, non minus quam caput est dissimile manibus, aut thorax ventri. Cap.II.

XVII. Monemus autem porrò, Partes conformantes nobis dictas posse suo jure etiam Partes Naturales dici: ut corpora, quę ex illis constant, Tota Naturalia. neq; putandum est, nimis laxam esse hanc appellationem. nulla enim Tota sunt in mundo, præter corpora Naturaliter certam conformationem sortita, quæ ipsa, Tota Naturalia, aut quorum Partes, Partes Naturales dici mereantur. Nam Tota quantitativa, (qualia sunt animarum magnæ illæ portiones, de quibus modo dicebamus, ac nonnullæ animæ integræ; itemq; Elementa, ac mixta similaria non Conformata, ut metalla, lapides, varia terrarum ac salium genera) quanquam sunt Corpora Naturalia, Tota tamen Naturalia non sunt; quum nullis Naturæ suæ legibus certam molem, certumq; partium numerum aut situm habeant sibi præfinitum, idcirco quæcunq; ipsis addantur aut demantur partes, Natura ipsorum una eademq; manet, neq; ullam patitur mutationem. Ast in Totis Conformatis longe aliter se res habet. omnia enim illic per Naturam sunt definita, nihilq; illis vel addi, vel demi, aut aliter mutari potest, quin ad ipsam Naturam novatio illa redundet. Quippe quum Natura nihil sit aliud, quàm concursus proprietatum speciei debitarum (qua de re suo loco plenius à nobis agetur) interq; illas proprietates in corporibus conformatis hæ quoq; sint, Tales habere partes, talem partium numerum, talem proportionem, talem situm, talem connexionem, & quæcunq; ad absolvendam Totius conformationem spectant: in quacunq; harum conditionum aliqua mutatio fiat, cum ipsius Naturæ dam-

Cap. II. no illa mutatio est conjuncta. atq; hoc respectu tum ipsæ partes Conformantes; tum tota Conformata, Partes Naturales, & Tota Naturalia rite dicantur; quum hoc nomen ita sit illis proprium, ut omnibus alijs sit incommunicabile. Animis enim, Elementisq; & similaribus non conformatis, haud competere, modo ostendimus. sed neq; Totis aut Partibus Essentialibus competit, ut Naturalia aut Naturales dicantur. Quod enim homo, verbi gratia, ex corpore, & anima gemina, bruta atq; immortali, constat, non Naturæ, sed Essentiæ ratione fit, ideoq; homo, quatenus ex tribus illis partibus constat, non est Totum Naturale, sed Totum Essentiale, ac proinde partes quoq; illæ, non partes Naturales, sed partes Essentiales. sic in Animis & Angelis Materia & Natura partes non sunt Naturales, sed Essentiales. neq; enim ratione Naturæ fit, ut ibi sit Materia, sed ratione Essentiæ, quæ ad integritatem sui & Materiam postulat & Naturam. quare ipsa quoq; Natura non sui ipsius ratione ibi est, sed ratione Essentiæ, ad quam integrandam ipsa est necessaria. & hæc eadem de Materia quoq; & Natura Corporis Conformati vera sunt. ut enim tale corpus esse possit, & Materia desideratur & Natura. quod vero corpus sit tale, ex talibus partibus factum, atq; taliter conformatum; hoc totum ad Naturam pertinet: quum omnes istæ conditiones in ipsius Naturæ Essentia sint inclusæ, atq; ad integritatem ipsius necessariæ. quacunq; igitur istarum conditionum mutata, ipsius essentiam atq; integritatem lædi necesse est. Et sic patet, verum esse, quod dicebamus, Tota Conformata, ritè etiam Tota Naturalia, & Partes Conformantes, Partes Naturales dici posse. quare etiam fraudi nobis esse non debet, si ad priorem istam appellationem haud semper nos astringimus, sed promiscue modò unam, modò alteram usurpamus, quoties res feret, ut de istis partibus loquamur.

XVIII. Communis autem est utrisq; partibus dissimilaribus conditio (quod vel solo nomine innuitur) ut omnes sint inter se dissimiles. Sicuti autem commune est utriq; huic

Cap. II.

huic partium generi, ut inter se sint dissimiles, (namq; & manus manui, & pes pedi est dissimilis aliquo respectu) commune ipsis quoq; est, ut quacunq; ipsarum ablata, Totum ipsum aut pereat, aut violetur. Quantum ad composita Essentialia; alia sunt ejus conditionis, ut ne esse quidem possint, nisi sint integra, & idcirco quacunq; parte sublatâ, ipsa intereant necessario: alia verò sustinent aliquam partium jacturam, possuntq; esse non integra. prioris generis sunt, quæcunq; ex anima & corpore, & quæcunq; ex Materia & Natura constant. Posterioris generis sunt Accidentia pleraq; composita, omnesq; Materiæ compositæ. quum enim ad corpora viventium (ut & aliarum rerum) constituenda non unum aliquod Elementum assumatur; sed Materia illa, quæ cum Natura Totum constituit, sit ex cœtu variorum Elementorum composita; cujusq; elementi portio est istius Materiæ pars essentialis: & quacunq; una istarum sublata, non ipsa materia tollitur, sed tantum mutilatur. Eadem verò est & Totius Naturalis ratio. Neq; enim illud statim interit, parte aliqua naturali ablata, sed mutilum fit. Et hæc verò, & illa, non unius tantum partis, sed & plurium jacturam sustinent, antequam pereant, & nomen suum amittant. terminus autem vix alius statui videtur posse, nisi ut ne plus auferatur, quam relinquatur: imò ut plus relinquatur, quam tollatur. Totorum autem Conformatorum seu Naturalium duplex hic est consideratio. si enim considerentur ut talia simpliciter, nihil habent hic peculiare, valetq; in ijs conditio proximè dicta. namq; & corde evulso, & capite amputato, non tamen desinit esse corpus. namque & cadaver, cui caput ablatum est, corpus tamen dicimus, sed truncum. Truncatio autem est nihil aliud, quàm species quædam mutilationis; qualis est mancitas, quæ consistit in manus ablatione, & luscitia, quæ alterius oculi est amissio. Si verò consideratur corpus, ut vivens atq; animæ organon, tunc certæ sunt in eo partes, quarum vel unicâ ablatâ, totum destruitur. tales sunt majores illæ, caput, thorax, venter; tum minores, cerebrum, cor, jecur (quæ tria tali quodam respectu Partes Principes

Cap. II. vulgo à Medicis dicuntur) itémque pulmones, ventriculus, intestina, aliæque partes. harum enim quavis sublata, desinit corpus posse animæ instrumentum esse. Duplex igitur videtur mutilationis terminus assignari posse: unus generalis, ut plus relinquatur quam tollitur: alter Corporibus organicis animæ sociatis peculiaris, ut ne tollatur pars aliqua ad vitam necessaria.

XIX. Ex hisce autem facile est juvare aut corrigere Aristotelem, qui explanaturus quid sit Mutilum, per magnas verborum ambages nihil tandem aliud colligit, nisi grammaticam de hujus vocis usu observatiunculam. Requirit enim ut Mutilum, seu potius Mutilabile, sit quantum, & divisibile, & totum. κολοβὸν δὲ λέγεται τῶν ποσῶν, οὐ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ μεριστόν τε αὐτὸ δεῖ εἶναι, καὶ ὅλον. *Mutilum in quantis dicitur, non quodvis eorum, sed oportet ut & divisibile sit illud, & totum.* item, ut plus relinquatur quam aufertur. Ἴσον τὸ κολόβωμα καὶ τὸ λοιπὸν οὐδέποτ᾽ ἐστίν. *Id, cujus ablatione aliquid mutilum fit, & id quod relinquitur, nunquam æqualia sunt.* ac quinto loco, Ut essentia maneat: τὴν οὐσίαν δεῖ μένειν. εἰ κύλιξ κολοβὸς, ἔτι δεῖ εἶναι κύλικα. *Essentiam manere oportet. si calix est mutilus, oportet ut adhuc calix sit.* Fonseca in explicanda Aristotelis mente sicuti primam ac secundam conditionem pro una habet, ita etiam tertiam cum quarta ac quinta confundit, atq; ex tribus unam facit. *Secunda conditio est,* inquit, *ut sit totum, hoc est, tanto majus ipso mutilamine, ut idem adhuc secundum substantiam censeri possit.* sed non cepit, quid Aristoteles hic voluerit per vocem ὅλον, quod tamen facillimum erat excipere è fine præcedentis capitis, ubi dictum, Id, cujus partes nullum certum situm habent aut desiderant, Omne dici; ubi vero contra se res habet, Totum. Ὅσων μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφορὰν, πᾶν λέγεται, ὅσων δὲ ποιεῖ, ὅλον. *Ea, quorum differentiam non facit situs, dicuntur Omne. in quibus autem facit* [*situs differentiam,*] *Totum* [*dicuntur.*] Quando igitur requirit, ut mutilabile

5 Metaph. 27.

In Com. ad locum.

tilabile ſit ὅλον, hoc vult, ut habeat partes ſitu differentes; quod mox etiam repetit, & apertius exprimit, Ὅλως ὧν μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφορὰν, οὐδὲν κολοβὸν, οἷον ὕδωρ, ἢ πῦρ, ἀλλὰ δεῖ τοιαῦτα εἶναι, ἃ κατὰ τὴν οὐσίαν θέσιν ἔχει. *In univerſum nihil eorum, in quibus ſitus non facit differentiam, mutilum eſt, uti aqua, aut ignis: ſed oportet ut talia ſint, quæ ratione eſſentiæ [certum partium] ſitum habeant.* paulo poſt vocem ὅλα eodem ſenſu rurſus uſurpat, Οὐδ' ὅσα ὅλα, οὐδὲ ταῦτα ὁτουοῦν μορίου στερήσει κολοβά. *Sed nec ipſa tota cujuſvis partis ablatione fiunt mutila.* Sexta ac ſeptima conditio eſt, ut ſint diſſimilaria, ac continua; ἀνομοιομερῆ, καὶ συνεχῆ. Octava, ut non auferatur pars principalis, κυρία τῆς οὐσίας. Nona, ut promineat in re. Ἂν τρυπηθῇ ἡ κύλιξ, οὐ κολοβὸς, ἀλλ' ἂν τὸ οὖς, καὶ ἀκροτήριόν τι. *Calix non fit mutilus, ſi perforetur, ſed ſi [auferatur] anſa, aut [alia] quædam extremitas.* Decima ac ultima conditio eſt, ut pars, quæ aufertur, ſit talis extremitas, quæ renaſci non poſſit, καὶ τοῦτο οὐ πᾶν, ἀλλ' ὃ μὴ ἔχει γένεσιν ἀφαιρεθέν· διὰ τοῦτο οἱ φαλακροὶ οὐ κολοβοί. *Eaq; non omnis, ſed quæ ablata non habet generationem [i. e. regenerari nequit.] propterea calvi non ſunt mutili.* quæ poſtrema verba hoc miri habent, quòd præ ſe ferunt, in calvis ſemper pilos renaſci poſſe, cum tamen in pauciſſimis renaſcantur, & in pleriſq; (ut qui per ætatem crines amiſerunt) ne renaſci quidem poſſint. Nam quod Fonſeca, excuſando magiſtro, ait, *Etiamſi raro in calvis capilli renaſcantur, tamen ſpectata hominum natura nihil eſſe, cur renaſci non poſſint*; non poſſumus ſcire, quibus ille oculis ſpectaverit hominum naturam, ut hoc in ea inveniret, quod in maxima calvorum parte falſum eſſe, omnis ævi ac loci clamat experientia. Cautior itaq; eſt altera excuſatio, *Quod Ariſtoteles intelligere potuit calvos ex morbo, qui ſæpe ſanantur.* ſed hoc mittentes, atq; Ariſtoteli condonantes, rem ipſam videamus.

XX. Nemo iſta de Mutilo legens, non aliquid Philoſophici

Cap. II. phici in iis latere existimet. nihil tamen esse nisi grammaticam observatiunculam, ex nona conditione apparet, quam præcedentibus cunctis ita superaddit, ut ipsas sine ea nequaquam esse idoneas judicet; quia fieri possit, ut omnia prius dicta in aliqua re inveniantur, quæ tamen mutila esse aut fieri non possit, nisi nona hæc conditio accedat. ast ea plane de medio petita est, neq; aliud docet, quam quomodo in vulgato loquendi usu istud vocabulum usurpetur. ibi enim certum est, mutilum seu κολοβὸν id fere dici, quod aliquam extremitatem amisit, sicuti illi, qui in Græcis autoribus versati sunt, noverunt: & notabilis est ad hanc rem locus Galeni, libro 14. de Methodo medendi, cap. 16. Κολοβώματα ὀνομάζουσι τὰ τῶν χείλους ἢ πτερυγίου ῥινὸς ἢ ὦτος ἐλλείποντα, *Mutilamina appellant, labij, aut alæ nasi, aut auris defectum.* quanquam non est hoc adeo perpetuum, ut non ad alia quoque interdum transferatur; sicuti exemplis vel ex ipso Aristotele petitis docere est. quippe de internis non minus quam externis partibus hoc usurpat Quarto de Part. 13. aiens, Τὸ δὲ τῶν ἰχθύων γένος ἔτι μᾶλλον κεκολόβωται τῶν ἐκτὸς μορίων. οὔτε γὰρ σκέλη, οὔτε χεῖρας, οὔτε πτέρυγας ἔχουσι. *Piscium genus magis adhuc mutilum est [partibus externis] quam partibus internis. namq; nec crura habent, nec manus, nec alas.* in quibus verbis cum dicat, pisces magis etiamnum mutilos esse quantum ad externas partes, quam quantum ad internas; quumq; mutilationem, aut potius (ut sic dicamus) mutilitatem externam opponat internæ, omnino intrinsecus mutilos esse pisces innuit; quia nimirum, uti dixerat supra, ἅπασαν

Cap. 5. τὴν τῶν σπλάγχνων οὐκ ἔχουσι φύσιν, *omnem viscerum non habent naturam.* Alibi vero mirabili admodum ratione, mutilam esse dicit testudinum naturam, quia habeant vesicam, qua alia φολιδωτὰ, avesq; & pisces careant. Οὐδὲν ἔχει

3. De Part. 8. τούτων κύστιν, πλὴν αἱ χελῶναι τῶν φολιδωτῶν, καὶ ἐν ταύταις ἡ φύσις κεκολόβωται μόνον. *Nullum horum habet vesicam, præter testudinem in genere crustatorum: atque in his solis natura mutila est.* Sed etiamsi perpetuæ esset veritatis ista observatio, non dicimus, quæ

utilitas, eam afferre in philosophiam? sed hoc rogamus, & indignamur, si nihil nisi grammaticum præstare voluit in hac de mutilo tractatione, cur tanto verborum ambitu uti voluerit, ac tot conditionibus obtundere lectorem, quum & decima contineatur in nona (nemo enim vulgo pilos pro parte habet) & omnes præcedentes; præter octavam (quæ eadem est cum quinta) ac sextam. Et sexta quidem vera non est. potest enim & similare corpus, æque ac dissimilare, habere extremitates extantes; quarum ablatione fiat mutila, sicuti in ossibus est manifestum. reliquas autem omnes conditiones sola nona in se complectitur, ut ipsa pro omnibus potuerit sufficere, neq; necesse fuerit eas tam verbose ennumerare. Quæ enim res extremitates habet à reliquo corpore extantes, eam necesse est quantam esse, ac divisibilem, partesq; situ differentes habere, & majorem esse corpore, quam appendicibus (quis enim unquam vidit rem contrario modo se habentem?) & continuam. Per tot ambages igitur non plus dixit, quam si simpliciter dixisset, Rem mutilam fieri, quando extremitas ejus à reliquo corpore extans, quæ non sit principalis Totius pars (ut caput) aufertur. Quod si quis contendat, non Grammaticè tantum, sed & Philosophicè hanc vocem per istas octo priores conditiones ab Aristotele explicatam; & declaratum, quid sit Mutilum, quatenus Toti opponitur in prima significatione capite 26. posita: Ὅλον λέγεται ὃ μηθὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει, *Totum dicitur, cui nulla abest earum partium, è quibus naturaliter constare dicitur*, quæ est Fonsecæ in commentario ad hunc locum sententia: & sic quoq; inutilem verbositatem culpari necesse est. Quomodo enim Totum sive Integrum breviter definiverat, *Illud à quo nulla earum partium abest, ex quibus natura Totum nominatur*; ita poterat & de Mutilo definire, esse illud, in quo aliqua pars naturaliter debita, quæ sine pernicie Totius abesse potest, desideratur. nunc vero cum illa verbositate, præterquam quod eandem rem bis dixit, in quinta & octava conditione, veritatis quoq; damnum fecit, ad sola corpora accommodando, ut possint mutilari, sicuti ex septima conditione

apparet;

Cap.II. apparet; quum tamen & in accidentia composita, quorum illa est conditio, ut possint aliquam sui partem amittere, revera mutilatio cadat.

XXI. Videtur quidem hoc negare Fonseca, inquiens, Neminem dicturum, concentum mutilum, nisi per translationem. sed hoc exemplum non est accommodatum. namq; neq; per translationem quidem mutilum dicere concentum licet, quum sit de ijs rebus, quæ omnino mutilari non possunt. quod & ipse hic dicit Aristoteles, ἡ τῆς ἁρμονία κολοβὸς οὐ γίνεται. *Harmonia nequit mutila fieri.* Nequit autem mutilari, quia in nullius est potestate, ut partes ejus separet. quis enim separaverit partes soni? concentus autem est soni genus. quod si quis pauciores fides aut intendat aut pulset, is non mutilat harmoniam, sed aliam adornat. Ea autem Accidentia, quæ possunt aliquam sui partem essentialem deperdere, non metaphoricè, sed maximè proprie sunt mutila, tali aliqua parte ablata, non minus quam corpus quodvis: sicuti è diverso integra sunt, juxta cum substantijs, quando omnes partes suas habent. Declaratio igitur hujus rei, quid Mutilum dici debeat, sita est in eo partium dissimilarium discrimine, supra à nobis tradito, quod nimirum aliæ sint absolutè necessariæ, ita ut sine ijs, aut quacunq; ipsarum, res esse nullo modo possit; aliæ verò non ita simpliciter requisitæ, quin aliquibus ipsarum carere Compositum sine interitu possit. Ubi enim priori modo se habent partes, ibi mutilatio locum non habet, quum res ex talibus partibus composita, esse, nisi tota sit, non queat: quale aliquid in quinta & octava conditione (quæ eodem recidunt) significasse Aristoteles videri possit: quanquam probabilius est, ob exemplum octavæ conditioni appositum; quod per Partes principales intellexerit eas, quas in corpore organico absolute ad vivendum necessarias esse diximus. Quæ verò componuntur ex partibus essentialibus secundi modi, ea quum possint esse non integra, mutilationem admittunt; quum esse mutilum, nihil sit aliud (quod & Fonseca vidit) quam non esse integrum. Quot autem

ac

ac quas partes tollere liceat, ut res non pereat, atq; ita non mutila sit, sed nulla, vix aliter in universum est determinare (sicuti jam diximus) nisi per illam conditionem, quam & Aristoteles inter suas conditiones quarto loco posuit, Ut plus relinquatur, quam auferatur. Et in his duabus duntaxat Mutili conditionibus, ab ipso positis, ut & in sexta, aliquod est operæ pretium: reliquæ vix ullam habent utilitatem, quippe partim superfluæ, partim non generales, partim à vero alienæ. Et tantum quidem de Mutilis ac Mutilatione per occasionem dictum esto. Cap. II.

XXII. Appendicis loco ad hanc de Partibus tractationem adjicere libet admonitionem, ut in partiendis rebus ab oculos semper habeatur distinctio illa, quam supra è Molinæo attigimus, Partium proximarum & remotarum; quippe cujus neglectus, magnæ sæpe confusionis causa esse possit. Est autem usus hujus discriminis, non in Totis homogeneis seu quantitativis, quandoquidem omnes ibi partes sunt æquè propinquæ, sed tum in Essentialibus, tum in Naturalibus Totis. Pleraq; enim istorum è partibus constant, quæ & ipsæ rursus è partibus sunt compositæ. quæ partium partes etiamsi suo jure possunt etiam Totius partes dici, non sunt tamen ipsius partes proximæ, sed remotæ, quippe quæ Totum non componunt per se, sed interventu illarum partium, quæ ex illis componuntur. Exempli gratia; partes hominis Essentiales proximæ sunt, anima gemina, & corpus. horum trium unumquodq; rursus componitur ex Materia & Natura. Natura autem cujusq; nec ipsa componitur è partibus simplicibus, sed ex ejusmodi, quæ ipsæ rursus in alias partes dividuntur. Sic in partibus Conformantibus, corpus humanum proxime dividitur in Caput, Thoracem, Ventrem, Manus, & Pedes; intelligendo nimirum per Manus & Pedes, totos illos artus, quorum extremitates sunt Manus & Pedes proprie dicti. ita enim medici veteres loqui solent, sicuti doctissimus Anatomicorum Andreas Laurentius recte annotavit. Quia autem longum foret ac molestum, singulas istas partes subdividere, sumamus solam Manum, in Lib. 10. cap. 1. & 9.

Cap. II.

ea quoq; servantes, ut ex singulis divisionibus unam tantum partem persequamur. Manus partes proximæ sunt (ex Hippocratis atq; Galeni divisione) βραχίων, πῆχυς, ἀκρόχειρ, brachium, cubitus, summa manus. Manus summa partes habet tres, carpum, metacarpium, & digitos. quisq; digitus constat ex cute, ungue, ossibus, musculis. Musculos componunt membranæ, vasa, tendines, caro. in carne autem sistendum est, quum infra illam nullæ sint partes Naturales, è quibus ipsa componatur. Fibræ enim, partes sunt quantitativæ, quarum ablatione aut additione caro non aliam patitur mutationem, nisi quod majorem acquirit aut minorem quantitatem. Et hæc satis sint in exemplum, atq; ad demonstrandum, quomodo in proximas semper partes resolutio facienda sit: unde etiam discere est, ubi de partibus rem componentibus, vel Essentialibus, vel Conformantibus seu Naturalibus, quæritur, proximas partes quæri.

XXIII. Quanquam autem nos ea, quæ de Partium discrimine hic diximus, Compositis tantum Naturalibus accommodavimus, (quod sufficiebat pro nostro scopo, atq; hujus operis conditione) facile tamen est, illa ad Artificiosa quoq; & Fortuita Composita accommodare: quod etiamsi Logicum magis est quam Physicum, quamobrem jure à nobis omitti poterat, volumus tamen verbo delibare. Monemus igitur, facilè unumquemq; sese expediturum in discriminandis ejusmodi compositis, eorumq; partibus, si partium characterismos, à nobis datos, ijs adaptet. Quæ enim composita fortuita aut artificiosa deprehendet ejus conditionis, ut partibus additis aut detractis nihil eis nisi in magnitudine accedat aut decedat, ea sciat è partibus constare quantitativis. Talia sunt, verbi gratia, Fascis lignorum, acervus lapidum aut frumenti, grex pecorum, cœtus hominum. in quorum plerisq; hoc observandum est, ablationem partium debere sisti, antequam ad minimas partes ventum sit. non enim, ut Elementa & similaria sub minimis porticunculis nomen suum tuentur, ita & illa. Quanquam enim nullam certam & definitam habeant magnitudinem, mini-

ma tamen quædam est magnitudo, ultra quam si procedatur, demendo partes, subsistere non poterunt. duo enim boves aut oves gregem, & quatuor aut quinq; tritici grana, acervum non constituunt. & si quis de his ambigat; unum saltem pecus, gregis; aut unum granum, acervi nomen sustinere nequit. Habent autem hoc ista quantitativa cum nonnullis quantitativis naturalibus commune, videlicet cum animis, aut (si quis ita mavult) animabus. namq; & illæ subsistere non valent, si nimium carpantur. Quum autem partium quantitativarum hæc quoq; sit conditio, ut omnes sint inter se similes; hinc liquet, si vel fascis, vel acervus, vel grex, vel cœtus ex dissimilibus constet, non debere illa composita pro quantitativis haberi, sed magis pro dissimilaribus. ablatione enim partium, ipsa rei essentia immutatur. advertendum tamen hic est discrimen inter partes proximas & remotas. verbi gratia, sit grex, qui è decem bubus, totidem asinis, totidem mulis constet; non quodvis illorum animalium est pars essentialis totius cœtus, sed totus ille numerus congenerum animalium. cum itaq; animalia, si quæ demantur, non demantur proximè à toto grege, sed à grege illo partiali, totius gregis parte essentiali; singulorum animalium ablatio essentiam gregis non lædit, quamdiu aliqua ejusdem generis in eo relinquuntur. si verò omnes, quæ sunt ejusdem speciei, simul tollantur, tunc ipsa totius gregis essentia damnum patitur. & quod de grege diximus, idem de varijs quoq; hominum cœtibus dictum esto; qui cœtus possunt esse diversigeneres multis respectibus, sexuum, ætatum, ordinum, functionum, aliorum. Artificialia autem pleraq; Totis Naturalibus magis respondent; quum pleræq; artes materiales in eo consistant, ut subjectum suum certo modo conforment; quare ablata aliqua parte, compositi conformationem lædi necesse est. Latius hæc persequi, non fert animus, quum ad nostrum institutum parum faciant; à quo magis etiamnum abhorret, easdem hasce partium divisiones Compositis intensionalibus, ut numeris, alijsq;, accommodare. Itaq; hæc quidem prætereuntes, illa autem breviter perstrinxisse contenti; ad propositum nunc regredimur.

Cap. II.

XXIV. Ex ijs, quæ de Partium discrimine diximus, clarum est, Accidentium Compositorum partes, esse Essentiales, ac proinde Accidentibus Compositis non unicum tantum Principium Effectivum, sed & Compositivum assignandum esse. Diximus enim, quæcunq; essentialiter concurrunt ad rem aliquam componendam, ea uno communi Elementorum sive Principiorum componentium nomine censenda esse. Sive enim Elementa sint ejusdem ordinis seu Prædicamenti, sive diversorum, illud ad præsens negotium nihil attinet. Ad illud enim, ut idem Principiorum nomen participent, sufficit, ea pariter ad componendam rei essentiam concurrere. fit autem ille concursus varijs modis. nam si utraq; aut omnes partes sint substantiæ, uniuntur illæ vel per contiguitatem & mutuum contactum, veluti Elementa inter se mixta ad unam aliquam Materiam constituendam; vel in modum continentis & contenti: ita enim animæ corporibus uniuntur, ut ijs contineantur sive includantur; quod à Peripati quidem decretis (ut omnia fere nostra) abhorret plurimum: sed firmis atq; evidentibus argumentis suo loco à nobis probabitur. Si vero altera Essentialium partium sit Substantia, altera Accidens; hoc illi inhærere necesse est, ut Compositio fiat. Accidentium verò concursus non aliter fieri potest, nisi quòd uno communi subjecto utantur. aliter enim illa uniri, nisi per unitatem subjecti, cui ipsa simul inhæreant, non possunt. Et hoc ipsum Aristoteles quoq; alicubi professus est. Ita enim ille in quarto Metaphysicorum: Cap. 4. Τὸ γὰρ συμβεβηκὸς οὐ συμβεβηκότι συμβέβηκεν, εἰ μὴ ὅτι ἄμφω συμβέβηκε ταὐτῷ, *Accidens non accidit accidenti, nisi quatenus ambo eidem [subjecto] accidunt.* ac magna Aristotelicorum pars in ea est sententia, ut dicant, unum accidens non posse esse alterius accidentis subjectum: de quorum numero est & Scaliger, ut è multis ipsius locis apparet. Comment. in 4. Caus. *Non accidenti accidit accidens, sed utrumq; speciei.* & adhuc apertius alibi: Comm. in 6. Caus. 1. *Nullum accidens alteri accidit accidenti, sed utrumq; subjecto* communi.

Cap. II.

XXV. Pleriq; tamen Aristotelici, (non obstante isto Aristotelis dicto modo posito, id quod alio detorquent, ne ab ipso dissentire videantur) in diversa sunt opinione, atq; omnino statuunt, unum accidens posse in altero accidenti tanquam in subjecto proximo inesse. Inter hos est Suarezius, qui hanc rem ex professo tractat Disputationis 14. Sectione quarta: ubi tria argumenta, ad tuendam istam opinionem, ab ipso afferuntur. Primum est, *Omnia accidentia corporalia inesse substantia media quantitate*, id quod ait, videri experientia probari. nam albedinem in superficie extendi, & calorem similiter, cum per corpus diffunditur, in quantitate ejus extendi. Alterum petit à quibusdam Accidentibus, quæ non sunt res omnino distincta ab Accidentibus in quibus fundantur, sed modi eorum, ut est figura respectu quantitatis, & motus, & ubi seu presentia localis respectu ejusdem, & relatio (si est modus diversus) respectu sui fundamenti. Tertium ducit à Spiritualibus Accidentibus (ut & Materialibus, quæ proportionem cum illis habent) in quibus hoc ait esse certissimum. necessarium enim esse, ut habitus operativi immediatè inhæreant in potentijs, ad quas juvandas ordinantur: & hac ratione scientiam recipi in intellectu, ac species in potentia cognoscente. Et sic etiam Theologos dicere, quod fides sit in intellectu, & charitas in voluntate. eandem quoque vel majorem rationem esse de actibus vitalibus, quæ essentialiter sint actus immanentes, unde necesse sit recipi immediate in proximo principio, à quo procedunt. Sed hæc partim ejusmodi sunt, ut nihil nobis adversentur; partim autem à veritate sunt aliena. Quantum enim ad illa, quæ in tertia classe ponit Suarez, etiamsi ea omnia essent certissima, atq; ita in ijs se res haberet, ac ipse asserit (id quod imprælens non est nobis discutiendum) nihilominus staret axioma nostrum, quippe non universim à nobis conceptum, sed cum peculiari respectu ad ea accidentia, è quorum cœtu atq; congerie natura componitur, ac quæ ad originem atq; primam rerum naturalium constitutionem concurrunt. Ista autem, quæ hic à Suarezio memorantur, alterius sunt generis, neq; rebus primitùs constituendis inserviunt, sed rebus jam constitutis atq; existen-

 tibus

Cap.II. tibus demum accedunt. De relatione autem quod dicit Suarez, multo minus huic pertinet, quum ne sit quidem ens Physicum relatio, sed mere Logicum, prætereaq; adeo incertum est, quod in hoc exemplo ponitur, ut ne ipse quidem Suarez audeat id pro certo affirmare. Sed & Figura, Modus, atq; Ubi, non sunt accidentia per se, sed modi tantum accidentis, ut ipse vult; quod ipsum si vel maxime verum esset (quum revera non alicujus Accidentis, sed ipsius Substantiæ isti sint modi) staret tamen quod diximus, Accidens non accidere accidenti. quippe id intellectum volumus non de ejusmodi accidentibus, quæ duntaxat modi sunt aliorum accidentium (qualia certè dantur, ut visibilitas in colore, aliaq; similia) sed quæ realia sunt accidentia per se, suamq; sibi essentiam habent, ab alterius accidentis essentia nequaquam dependentem. Quantum vero ad Accidentia corporalia; supponit hic Suarez (quod & in iis supponit, de quibus jam nunc diximus) Quantitatem esse Accidens Materiæ inhærens, realiter ab ipsa distinctum: quo etiam dato, ne sic quidem satis firmum esset, quod dicitur, Accidentia corporalia substantiæ medio Accidente, nimirum quantitate, inhærere. Non enim sequitur: Quantitas est accidens, & in omni corpore est quantitas: ergo quæcunque passiones corpori accidunt, accidunt ipsi ratione aut interventu quantitatis. Hoc enim non debebant sibi sumere, sed probare: quod cum non faciant, ignoscent nobis, si eadem facilitate illud negamus, qua ab ipsis asseritur. Sed & gravem præterea habemus rationem, cur illud negemus. Quantitas enim non est Accidens, neq; substantia est quanta, quia ipsi inhæreat accidens, quod quantitas vocetur, sed per se, & essentialiter: qua de re cum alibi agendum sit, non est ut hic plura verba fiant. Quod si igitur Quantitas non est Accidens omnino (id quod & de Peripateticis quamplurimi juxta nobiscum sentiunt) non erit sane alterius Accidentis subjectum; ac proinde corruit hæc probatio: quæ nequicquam confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, ubi in quantitate separata inhæreant accidentia. tale enim mysterium nos nullum agnoscimus, imò illam doctrinam habemus pro immani atq; crassissimo errore: de qua re nos plura non

non dicemus, cum ad Theologiam tota pertineat. hoc tantum Cap. II.
dicimus, fieri eam à Deo non posse, nisi ut totam Naturam destruat. quomodo enim quantitas separetur à suo subjecto, in quo nulla inest? inesse enim nequit, cum quantitas non sit ens substantiæ inhærens, sed quidem duntaxat modus substantiæ: cujus rei pleniorem disputationem alteri loco, ut diximus, reservamus. Atq; ex his satis apparet, causam non esse, cur quisquam de hoc nostro axiomate, quo Accidens accidenti tanquam subjecto inhærere negamus, dubitet ob ea, quæ in contrarium à Suarezio disputantur: quum eorum alia veritatem non habeant, alia verò ad præsentem disquisitionem minime pertineant, ac proinde contra nos non faciant, qui de solis Accidentibus realibus, suamq; propriam essentiam sortitis, & quidem ijs duntaxat, quæ ad rerum naturalium ortum concurrunt, hanc assertionem intelligi volumus. & sic ratum manet, quod dicebamus; Non dari Accidens compositum, nisi quatenus Accidentia componentia uni communi subjecto inhærent.

XXVI. Sed opponit se ex alia parte Scaliger, qui aliam adhuc tradit Accidentium compositionem, ut ab hac nostra, ita ab illa altera, de qua è Suarezio diximus, diversam. Omnia enim Accidentia ipse ex Esse & Essentia componit. Utitur autem hisce vocabulis suo quodam proprio ac peculiari modo, non quomodo vulgo solent Peripatetici, inter quos fusissime disputari solet, an detur compositio ex Esse & Essentia. quippe per Essentiam intelligunt ipsum rei τὸ τί ἦν εἶναι; per Esse verò, actualem ejus existentiam: sicuti videre est tum apud alios, tum apud Suarezium Disp. 31. ubi verbose tota hæc disputatio (quam nescias morosiorem-ne dicas an inutiliorem) agitatur. Scaliger autem non sic hæc intelligit, sed alio quodam modo, sicuti apparet ex ipsius verbis, quæ huc ascripsimus. Commentario in sextum Theophrasti de Causis Plantarum, *Accidens*, inquit, *non habet Materiam, sed esse; non Formam, sed Essentiam. esse fa-* Cap. 12.
poris est, hoc ipsum quod ipsa Mixtio; essentia verò id, quod ex ipsa Mixtione conflatur. sic ingenijs acrioribus

Esse

Cap. II. *Esse sanitatis est ipse concursus atq; cœtus qualitatum: Essentia, est ipsa qualitas, quæ creatur ex consensu illo. ab ipso deinde Esse, & ab ipsa Essentia saporis, procedit proprius affectus, qui est certa ratio movendi gustum.* & Exercitatione 325. alijs verbis eandem rem docens, statuit, *Accidentia omnia habere suam Essentiam, conflatam ex potentia & actu; hoc est habere aliquid internum tanquam potentiam, & aliquid tanquam Formam, qua sint hoc quod sint.* è quibus verbis apparet, illum in hoc negotio parum sibi constare de usu vocis Essentiæ. namq; hic Essentiam vocat, totum id quod sunt Accidentia. In priori autem loco Essentiam ita dicit, tanquam si esset pars tantum eorum. quippe quod illic Essentiam, id hic Actum dicit; sicuti Potentiam, quod illic Esse. quod enim priori loco dicit, Accidentia constare ex Esse & Essentia, respondet ijs, quæ hic asseruntur, Accidentium Essentiam è Potentia & Actu esse conflatam. quod idem est, ac si diceret, in omni Accidente esse aliquid, quod se habeat instar Materiæ substantialis, & aliquid, quod instar Formæ substantialis, è quibus duobus inter se unitis consurgat unum totum Accidens, quomodo ex Materia & Forma dicunt consurgere unam totam substantiam. *Potentiam* enim non ita hic intelligit, quomodo illud *in Potentia* esse dicitur, quod nondum habet actualem ullam existentiam. ex tali enim Potentia, & Actu illi opposito, fieri aliquod compositum, non dicunt Peripatetici, idq; fieri posse, expresse negat Suarez. Disp.4.sect.3. Respexit igitur cum hac phrasi Scaliger illud Peripateticorum dogma, quod Materia & Forma sint duæ substantiæ incompletæ, ita ut Materia se habeat instar Potentiæ, Forma instar actus; quorum unione, compositum substantiale constituatur: cujus compositionis proportionem dicunt etiam esse in compositione ex genere & differentia. namq; etiam genus & differentiam comparari ut potentiam & actum, per se ordinata ad constituendum unum in suo genere completum. atq; hoc pacto dicunt Angelos quoq; componi ex actu & potentia, quatenus componuntur ex genere & differentia, sicut homo componitur

nitur ex animali & rationali. sed hanc ex potentia generis, & actu differentiæ, compositionem fatentur esse non realem, sed mere rationalem; ut certe est. Scaliger autem non talem, sed realem Accidentium compositionem inculcat. quanquam enim Exerc. 325. nonnulla admiscet de illa rationali Accidentium compositione ex Genere & Differentia (cui nos neq; in Accidentibus, neq; in substantijs refragamur, quanquam eam à Physica, utpote Logicam duntaxat & intentionalem, rejicimus) realem tamen compositionem ipsum intelligere, multa ibidem scripta manifeste evincunt, è quibus sufficiat hæc apponere in specimen: *Quamobrem colorem dicemus habere subjectam substantiam, cui inhæret: in se verò, & potentiam & actum, ex quo unum fit in subjecto, & à subjecto. ex qua Essentia producitur proprium illud, visile.* & ille quoq; locus è commentarijs ad Theophrastum adeo est clarus, ut non relinquat ullam dubitationem, quin de reali compositione sermo sit.

Cap.II.

XXVII. Quanquam autem in hac opinione plurimum sibi placet Scaliger de ingenij acumine; manifeste tamen falsa est. Illud quidem, quod ab Essentia Accidentis procedere ait proprium affectum, qualis in sapore sit, Movere gustum, in colore visibilitas, tolerari quodammodo potest, si commode intelligatur, ut nimirum Proprius affectus non sit Accidens aliquod, quod alteri accidenti accidat, sed essentialis modus ejus. tales enim modos dari, ut in substantijs, ita in accidentibus, qui non sint aliquid realiter ab ipsis diversum, sed plane essentiales, alibi docebimus. verbum tamen Procedendi nequaquam hic quadrat, neq; commode adhiberi potest: & multo etiam minus, alterum illud Producendi, quod in eadem re usurpat. Quantum verò ad rem ipsam attinet, atq; ad realem illam Accidentium è Potentia & Actu compositionem; plurimum ea à veritate abhorret. id quod vel ipse intellexisset, si hoc suum commentum explorasset in alijs Accidentibus ipsi notioribus, qualia sunt calor & frigus. magnopere enim velimus scire,

Cap. II. quod assignaturus fuerit Esse caloris, ab Essentia caloris diversum, è quo Esse, & è qua Essentia totus ipse calor conflaretur. Nunc autem commentum vero vacuum expertus est in exemplis æque falsis, saporis & coloris; in quorum Accidentium origine, essentia, & proximo subjecto, non plus ipse vidit, quam cæcus lucis videt media nocte. secutus enim Aristotelem & Galenum, receptamq; totâ Peripato sententiam, putavit utrumq; ex Mixtione oriri, sicut de sapore planum faciunt vel ipsa verba superius ex ipso allegata, ut alios innumeros ex iisdem commentarijs locos, ubi idem prodit, non sit opus advocare. de colore verò & multa in eodem opere, & Exercitatio 325. docent; illum ita sensisse, quod calor ex elementorum mixtione oriatur, sed cum luce; quam etiam ad saporis generationem adhibet, sed alio respectu, quatenus nimirum calefacit. quod absurdissimum commentum tam vehementer illi arrisit, ut temperare nequiverit, quin illud pro subtilissimo, marginali nota extolleret. qua ratione tantum non interclusit sibi ignorantiæ veniam, quam promeritus videbatur aperta confessione, sect. 4. ubi ait: *Quid sit color, haud facile est definire. latet enim natura hæc, sicut & aliæ rerum species, in profundissima caligine inscitiæ humanæ*, hic sane verum dixit, & justissimam habuit hujus sive querelæ sive confessionis occasionem. omnino enim Cimmeriæ ipsi tenebræ fuerunt, quemadmodum in alia pleraq; Naturæ parte, ita in exploratione Coloris & Saporis; sicuti ex ijs, quæ in secundo ac tertio hujus operis libro (quorum in hoc de essentia, in illo de subjecto horum aliorumq; accidentium nobis erit pertractandum) dicentur, manifestum fiet.

Sect. 8. Propius ad verum accedunt, quæ de sanitate dicit. nam si pro *Qualitatum* substituas *Accidentium* (namq; & alia, præter qualitates, Accidentia, si non realia, saltem ab ipso pro realibus habita, ad sanitatis integritatem requiruntur) vera est sententia. Omnino enim Sanitas est certorum Accidentium concursus. hoc tamen exemplum nequicquam ab eo adhibetur, ad astruendum, quod omnia Accidentia è Potentia & Actu compositam habeant Essentiam,

Cap. II.

tiam. Etenim cum in prioribus exemplis conatus sit ostendere, Accidentis essentiam, sive totum ipsum Accidens, ex illis duabus partibus, potentiali & actuali, componi: hic omnes partes componentes habet pro potentia, pro Actu autem non aliquam è partibus, sed ipsum compositum: quem errorem non est ut hic denuo refutemus, quum supra in eadem hac sectione alterum plane consimilem refutaverimus in Suarezio; qui cum assereret, in omni compositione esse aliquid simile materiæ, & aliquid simile formæ, hoc est (ex consuetudine Peripateticorum, quam alibi ipse, & hic sequitur Scaliger) aliquid potentiale, & aliquid actuale: illud in Homogeneis probaturus, non partes partibus, uti in heterogeneis fecerat, opponebat, quarum aliæ pro Materia, aliæ pro Forma essent; sed omnes simul partes, materiæ; ipsum autem compositum, formæ vicem obtinere ajebat. Cui errori cum plane similem errorem hic erret Scaliger, non est ut actum agamus, ea, quæ semel jam dicta sunt, repetendo. Apparet igitur hanc Accidentium Compositionem, à Scaligero confictam, esse admodum futilem, cum neq; ullis eam argumentorum momentis stabiliat; & exempla, quæ pro omni probatione affert, manifestæ falsitatis convincantur. Et sic relinquitur, ut verum sit, quod dicebamus, nullam esse Accidentium compositionem, nisi quatenus in uno subjecto concurrunt. Quare sequitur etiam, ut sicuti Accidentia simplicia solum agnoscunt Principium Efficiens, ita Accidentia componentia, præter Efficiens, alterum quoq; habeant Principium, Constitutivum, nimirum, ipsa Accidentia particularia, sive (si ita loqui liceret) partialia.

XXVIII. Quod si auscultare Suarezio velimus, ipsum quoq; Subjectum inter Principia Accidentium erit collocandum. Materia enim rei, inter Principia locum tenet. ipse autem acriter contendit, subjectum esse Materiam Accidentis. Tractat de hac re Disp. 14. sect. 1. aitq; *Subjectum esse revera causam Materialem Accidentis, quandoquidem ab illo dependet Accidens. Entitatem enim accidentalem per se*

Cap. II. *subsistere, non posse, sed indigere subjecto, in quo sustentetur, & ideo indigere causa materiali, tanquam necessaria ex natura rei, ut subsistere possit, cum Accidentis sit, inesse. in ipsa autem ratione inhærendi, includi subjectum, & consequenter materialem causam: quæ non sit modò materialis causa Accidentis quoad Unionem, sed & quoad Entitatem, quam in suo genere causet mediante unione; neq; esse causam solum in facto esse, sed etiam in fieri. unumquodq; enim Accidens pendere ab aliquo subjecto in fieri, atq; ita habere materialem causam suæ effectionis, eo modo quo fieri naturaliter potest.* Sed his omnibus non plus probatur, quam quod Accidens existere per se non possit, ac propterea subjectum requirat, in quo insit. inde tamen non sequitur, subjectum illud esse causam materialem ipsius accidentis. Et in proclivi est ostendere, quod subjectum male appelletur Materia Accidentis. hoc enim fieri omnino præter mentem Aristotelis (cujus autoritatem isti profitentur sese sequi) claret ex definitione Materiæ, quam 1. Physic. 9. & 5. Metaph. 2. tradit hunc in modum; Τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάσῳ, ἐξ ὗ γίνεται ἐνυπάρχοντος, *id quod primum subjacet unicuique, ex quo fit inexistente.* quæ definitio falsa est, aut falsum est, Subjectum esse Materiam Accidentis. nemo enim inter ipsos ferat dicentem, quod Accidens fiat ex subjecto inexistente. namq; Accidens fieri è subjecto, quanquam dictu absurdum est, ipsi tamen, aut ipsorum pleriq; non repudiaverint. somniant enim, Accidentia educi è potentia subjecti, atq; eo respectu non dubitaverint dicere, Accidens fieri è subjecto: quandoquidem ne de Forma quidem verentur ita loqui. Ait enim Suarez, *Materiam ex qua dici*, vel respectu compositi quod ex illa constat; vel respectu Formæ, quæ ex illa educitur. Sed quanquam hoc sibi permittant, non tamen sibi permittunt, ut dicant, Accidens fieri ex subjecto inexistente. ast hoc necesse erat, ex Aristotelis definitione. Et quam absonum sit, Subjectum dicere Materiam Accidentis, ex eo apparet, quod in tota Disputatione decimaquarta, quam impendit isti quæstioni de causa materiali accidentium, vix semel audet dicere,

subjectum

Cap. II.

subjectum esse materiam accidentium, sed pro materia semper dicit causam materialem: quam tamen revera nihil interfit apud ipsos, hocne an illud dicas: quomodo etiam causam formalem & finalem pro forma & fine dicunt. Quanquam igitur revera idem sit in Peripato, Materiamne dicas an Causam materialem; maluit tamen hoc, quam illo modo dicere, quia minus eminere videtur istius opinionis absurditas, si subjectum dicatur Materialis causa Accidentium, quam si simpliciter eorum materia dicatur. hoc autem consilio Suarezium usurpasse istam phrasin, inde apparet, quod non semel aut iterum, sed creberrime in ista disputatione hanc rem inculcans, quod Subjectum sit Materia Accidentium, perpetuò hoc servat (uno duntaxat aut altero loco excepto) ut subjectum appellet non materiam Accidentium, sed Causam Materialem. Quid opus igitur est, ut demonstremus istius opinionis absurditatem, quæ tanta est, ut ipse ejus autor vereatur planis verbis, quod sentit, proferre? Porrò inepte subjectum appellari Accidentis materiam, præterquam quod suam absurditatem abunde præ se fert, ostendimus ex eo, quod nequaquam Subjecto competit, ut Accidentis principium dicatur. Ast si materia est, est principium, cum omnis materia sit principium. Non posse autem subjectum dici Accidentis principium, apparet ex definitione Principij, quam ex ipsa rei natura deprompsimus. Quippe Principium definiebatur id; à quo res originem suam accepit. Accidens autem non accipit originem suam à subjecto, sed in subjecto. Fatemur quidem, Accidens non posse subsistere nisi in subjecto, ideoq; non posse produci nisi in subjecto. sed hoc argumento si subjectum inter Principia allegimus, nihil obstat quin & locum eisdem allegemus. æque enim impossibile est, ut res sit aut fiat non in loco, quam ut Accidens sit aut fiat non in subjecto. itaque incassum laborat Suarezius, qui ad probandum, quòd subjectum Accidentium sit eorundem causa materialis, hoc solo utitur argumento, idque iterum ac iterum repetit, Quod *Accidens necessario insit in subjecto*: sicuti ex ipsius verbis, quæ supra posuimus, apparet.

Cap. II. Poterat autem tribus verbis tota hæc res expediri, quod Subjectum non sit Materia Accidentium. Etenim ipsa Materiæ ratio in eo consistit (sicuti per se manifestum est) ut res, cujus Materia esse dicitur, ex ea tanquam parte, aut partibus, componatur. Accidens autem non componi ex Materia, ipse asseverat Suarez. namq; §. 3. ait, *Entitatem accidentalem in abstracto sumptam non habere Causam materialem, ex qua intrinsece componatur, sed in concreto: hoc est, habere Materiam, in qua sustentetur, non è qua componatur.* ac rursus §. 7. *Accidens, quoad suam Entitatem accidentalem præcise, & abstracte sumtam, habere Causam materialem, non ex qua componatur, sed à qua sustentetur in suo esse.* & prolixe ac strenue impugnat eos, qui dixerunt Accidentia è propria Materia & Forma componi. Male igitur Accidenti tribuit Materiam, quod ex Materia componi ipse negat. & melius Scaliger, *Humorem esse Saporis subjectum, non Materiam. accidentia enim Materiam non habere.* & Alibi, *Accidentia non habere Formam, quia ne Materiam quidem, sed tantum Essentiam.*

Comm. in 6. Caus. 12.

Exerc 248. 16.

SECTIO TERTIA.

De Principijs, Stoicorum, & Platonis, Priscorumq; opiniones, quatenus cum nostra Sententia conveniant aut discordent.

Plato & Stoici posuerunt utrumq; Principium, Effectivum, & Compositivum. II. *Priscos non solum Materiale Principium, quod Aristoteles ijs objicit, sed & Effectivum posuisse, demonstratur.* III. *Mundi effectorem agnoverunt Prisci.* IV. *Ipsius Aristotelis testimonijs diluitur ista calumnia, qua veteres dicit Efficiens de rebus sustulisse.* V. *Aristotelis prurigo, Vetustos Philosophos calumniandi, insigni Parmenidis exemplo ostenditur.* VI. *Calumniæ hujus, Quod Veteres non posuerint Efficiens; origo detegitur.* VII. *Effici-*

ens quoq; Principij nomine insignaverunt Veteres. VIII. *Quorsum opiniones Priscorum, ubi nobis concordant, producamus.* IX. *Divisio Principiorum, à Peripateticis post Aristotelem facta, quid boni aut mali habeat.* X. *Principia Aristotelica, incorporeis accommodari non possunt.* XI. *Videri Veteres non solam Materiam pro Principio compositivo habuisse, sed & alterum Principium compositivum quodammodo attigisse.* XII. *Aristoteles Veteribus falsam hic opinionem affingit, sibi ipsi contradicit.* XIII. *Raritatem ac Densitatem pro Principijs habuerunt Veteres, qui unicam uniformem Materiam statuebant.* XIV. *An alij quoq; Veteres, multiformis Materia autores, Principij compositivi alteram partem aliquatenus agnoverint. Veterum peccata circa hoc de Principijs negotium.* Cap. II.

Duo esse rerum Principia, Effectivum & Compositivum, in præcedenti sectione monstratum fuit. Consentiunt autem nobis, quantum ad hunc Principiorum numerum & Stoici, & Plato, & Prisci illi fere omnes, qui ante Platonem fuerunt. De Stoicis testatur Laërtius: Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς, τὰς ἀρχὰς τῶν ὅλων εἶναι δύο, τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ πάσχον. *Statuunt duo esse Principia universitatis rerum, Effectivum, & Passivum.* Itemq; de Platone, Δύο δὲ τῶν πάντων ἀπέφηνεν ἀρχὰς, Θεὸν (ὃν καὶ Νοῦν προσαγορεύει, καὶ Αἴτιον) καὶ ὕλην. *Duo declaravit universi esse Principia, Deum (quem & Mentem appellat, & Causam) ac Materiam.* Quanquam autem non de singularum rerum, sed de Universi, sive Mundi ortu loquatur Laërtius, qui à duobus illis Principijs, Effectivo sive Deo, & Compositivo, sive Materia, fiat Stoicis & Platoni; non est tamen ut putet quisquam, aut hunc aut illos Mundo duntaxat illa Principiorum genera adhibuisse, ac non alijs quoq; rebus omnibus, quæ quotidie oriuntur. Sed præcipuum opus sibi nominandum putavit Laërtius, in quo demonstraret, quid de Principijs Plato & Stoici sensissent; quia quæ Principia Toti Mundo assignant, ea intellectu facile

Cap. II.

cile erat, reliquis quoq; rebus attributa ab ijs fuisse. Certè Seneca epistola 65. quanquam ista Initia (sic ipse vocat ἀρχὰς) Vniversis sive Mundo præcipue accommodat, generalem tamen esse hanc Stoicorum super omni aliarum quoq; rerum ortu sententiam, ut duo hæc Principiorum genera, Efficientis & Materiæ, ad eum requirant, manifeste ostendit. *Dicunt Stoici nostri* (inquit) *duo esse in rerum Natura, ex quibus omnia fiant, Causam, & Materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est ratio, Materiam format, & quocunq; vult versat: ex illa, varia opera producit. Esse ergo debet, unde aliquid fiat; deinde, à quo fiat: hoc Causa est, illud Materia.* Hæc de Universo à se dicta profitetur. Deinde subjungit, in artibus eodem modo fieri. Statuam enim & Materiam habuisse, quæ pateretur artificium; & artificem, qui Materiæ daret faciem. Sermonem verò obsignat generali hac clausula: *Eadem conditio rerum omnium est: ex eo constant quod fit, & ex eo quod facit.* (ubi excusari aut castigari debet catachresis in verbo *Constant* commissa) & eandem quoq; Platonis mentem fuisse, ut non Mundo tantum, sed & corporibus omnibus (corporum enim Principia duntaxat & illi & Stoicis memorata sunt; qua de re dicetur infra) duo illa Principia, Efficiens & Materiam, assignaret, vel ex Timæo apparet. Ibi enim sicuti Universo Summum Deum & Materiæ inordinatę Chaos pro Principijs attribuit; ita alia corpora omnia à Dijs minoribus ex adunatis Elementorum portiunculis conflata esse scribit.

II. Sed quemadmodum planum est de Platone & Stoicis, quod eundem nobiscum Principiorum numerum statuerint; ita, quod dicebamus, Priscos quoq; idem fecisse, dubitationem pati videtur, utiq; si audire velimus Aristotelem, qui expresse scribit 1. Metaph. 3. plerosq; ipsorum solum Materiale Principium agnovisse. Οι δὴ πρῶτοι φιλοσοφήσαντες, inquit, οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνον ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων. *Pleriq; eorum, qui Primi philosophati*

losophati sunt, solum Materiale Principium statuerunt. quod & repetit cap. 7. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς ἐπιχειροῦντες τὰς αἰτίας λέγειν, καὶ περὶ πάντων φυσιολογοῦντες, τὸ τῆς κινήσεως αἴτιον ἀναιροῦσι. *Generationis ac Corruptionis causas explicare aggressi, ac omnium naturam inquirentes, causam moventem tollunt.* Nam quod ijs, qui non unam aliquam Materiam primam, sed multiplicem statuebant, imponere solet, eos multa fecisse Principia, id fundamento caret. Qui enim variam diversiformem statuerunt rerum Materiam, non tamen multiplicaverunt Principia, neq; multa fecerunt Principia Materialia, sed unum Principium in diversas species distinxerunt: quomodo nos unicum tantum ponimus Principium compositivum, sub quo non modo sex diversas Materiæ species, sed & alia multa, quæ Materiæ nomine nequaquam censeri possunt, comprehendimus: quomodo etiam varios atq; admodum numerosos Efficientes sub uno summo ac generali Principij Effectivi appellatione complectimur. Quantum vero ad priorem illam ac principalem criminationem, quod Principium Efficiens non agnoverit maxima pars veterum Physiologorum, ea haud dubie falsa est, sive de particulari singularum rerum, sive de universali ipsius Mundi generatione hoc intelligas. Nam quantum ad priorem: quis credere sustineat, magnos illos viros, Thaletem, Anaximenem, Diogenem Appolloniatem, Hippasum, Heraclitum (quos omnes in illo loco 1. Metaph. 3. hujus criminis reos peragit) adeo delirasse, ut nescirent (quod ne pueri quidem nescire possunt) in omni mutatione requiri τὴν ἑτέραν ἀρχὴν, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, ἐπειδὰν τὸ ὑποκείμενον οὐ ποιεῖ αὐτὸ μεταβάλλειν ἑαυτὸ, *Alterum principium, unde proficiscitur origo motus: quandoquidem subjectum non facit seipsum mutari:* quæ sunt ipsius verba in eadem tractatione, ubi ait Anaxagoram, & Empedoclem, aliosq; ipsa rei evidentia coactos, Principium Effectivum Materiali adjunxisse? Quod si est hoc ita evidens (ut est certè evidentissimum) Materiam non posse ipsam se movere, ac propterea non posse quicquam ex ea generari, nisi vi Effectiva in eam agente;

 quomodo

Cap. II. quomodo tanti viri, qui Naturæ penetralia scrutari primi sunt aggressi, quiverunt adeo bruti esse, ut ipsos hoc lateret, utq; putarent ex solâ per se Materia, nullo accedente Efficiente, omnia procreari? Aut quomodo sit verisimile, eos negasse, quod parentes & genitores sint suorum fœtuum Efficientes, tum in animalibus, tum in plantis? id quod ne ipse quidem Epicurus negaverit? Proinde nimium credulus

1. Phys. ad Text. 75. Magistro suo fuit Toletus, quum scripsit, Antiquos in sola Mundi constitutione adhibuisse causam Efficientem; in generationibus autem particularibus nequaquam ea usos esse, sed ad solam Materiam recurrisse; quæ sane calumnia si aliunde non possit, ex primo de Anima abunde diluitur. ibi enim toto capite secundo ita enarrantur Veterum de Animâ sententiæ, ut appareat, quod omnes eam fecerint omnis motus autorem, ac consequenter etiam generationis. quod si autem animæ generationem retulerunt acceptam, falsum est saltem in animatis, quod Efficientem à generationibus excluserint, solaq; Materia fuerint contenti. Si igitur verum est crimen, ijs ab ipso impactum, quod Principium Effectivum non agnoverint; omnino intelligi debet de prima illa rerum Effectione, per quam omnia constituta, eamq; vim, ut ipsa quoq; efficere aliquid deinceps possent, nacta sunt. & ita sane exponit Fonseca (plane contrario modo

Comm. ad 1. Metaph. 3. quam Toletus) aiens, *nequaquam ita intelligendum esse Aristotelem, quasi crederet, Veteres non agnovisse, causas efficientes particulares, sed de primo Efficiente illum loqui.* Ast sic quoq; falsum esse, quod Veteribus impingit, vel ex ipsius scriptis evidentissime colligi potest: quandoquidem passim ea scribit, è quibus appareat, vix quenquam eorum, qui ante ipsum fuissent, Philosophorum, Deum ab opificio Mundi penitus exclusisse; falsamq; illam ac stultam opinionem, quæ Mundum facit æternum, & ἀγένητον, ab ipso primo in Philosophiam fuisse introductam. namq; in primo de Cœlo, capite decimo, diserte scribit, omnes Philosophos, qui ante ipsum fuerunt, sensisse, Mundum non ab æterno fuisse sed originem habuisse. idemq; etiam testatur in principio octavi Physicorum, Εἶναι μὲν οὖν κίνησιν, πάντες φα-

σὶν

σιν οἱ περὶ φύσεως τι λέγοντες, διὰ τὸ κοσμοποιεῖν. *Esse motum, omnes aiunt qui de natura aliquid dicunt, quia mundum faciunt.* [hoc est, factum docent] adeo ut appareat, quod & illos falso accusaverit, & illi crimini, quod alijs injuria inurit, ipse manifestissime sit obnoxius. Cap. II.

III. Profecto cum Mundum habuisse initium, neq; ab æterno fuisse, asseruerint omnes fere, qui ante ipsum Physiologiam tractarunt, necesse est aut Effectorem adhibuerint, aut fortuita Materiæ conglomeratione omnia extitisse statuerint. Sed hoc de fortuito rerum ortu delirium etiamsi jam olim magnam apud vulgus habuit jactationem, sicuti ex Platonis Sophista, & Decimo de Legibus constat, primus tamen in Philosophiam videtur invexisse stultissimus Epicurus. De priscis enim illis fere constat, quod Deum statuerint Mundi Effectorem. Namq; de Thalete expresse scribit Laertius, quod solitus sit dictitare, Mundum esse ποίημα θεοῦ, *Dei opus.* De Empedoclis quoq; Philia, & de Anaxagoræ Mente nota res est. & de Democrito testatur Aristoteles, quod eodem fere modo, atq; Anaxagoras, Mentem sive Animam Universo præfecerit: ut appareat Epicurum, qui magnam Physiologiæ suæ partem Democrito suffuratus est, illud fœdissimum delirium, de spontaneo Mundi ortu, ab eo nequaquam hausisse. Et quantum ad illos attinet, de quibus hodie nominatim nulla litterarum monumenta certiores nos reddunt, quid de Mundi generatione senserint; pro omnibus respondebit unus ipsius Aristotelis locus, è secundo Physicorum, ubi illustrissimum Veteribus cunctis super hac re testimonium perhibet. quippe incusat eos, quod in rimandis atq; exponendis rerum causis, nullum Casui sive Fortunæ locum fecerint, adeoq; ne vel ullam quidem ipsius mentionem habuerint. Καὶ ἀπορήσειεν ἄν τις, διὰ τί ποτε οὐδεὶς τῶν ἀρχαίων σοφῶν τὰ αἴτια περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς λέγων, περὶ τύχης οὐδὲν διώρισεν, ἀλλ', ὡς ἔοικεν, οὐδὲν ᾤοντο οὐδ' ἐκεῖνοι εἶν ἀπὸ τύχης. *Dubitare licet, quare nemo Veterum Sapientum, generationis ac corruptionis causas pertractans, de Fortuna aliquid definiverit. sed videtur*

Cap. II.

× Noy ordine, o ex ordine, Noy via, o Ratione.

τοῦ putavisse, nihil casu fieri. Qui igitur nihil omnino opinabantur casu fieri, quomodo ipsum hoc Universum casu factum esse opinari potuerunt? certe sine summa impudentia asseri hoc non potest; neq; cuiquam cordato fiat verisimile, eos viros, qui ab omni quotidiana generatione exulare fortunam voluerunt, eam generando Vniverso præfecisse. Nam quod ipse ait, nonnullos eorum, qui nec animalia, neq; plantas nisi à certis efficientibus produci volebant, ita male sanos fuisse, ut cœli totiusq; mundi ortum fortunæ & τῷ αὐτομάτῳ referrent acceptum (id quod scribit secundi physicorum quarto) haud gravate credimus, in medio vulgo semper fuisse, qui ita sentirent, non paucos. De illustribus autem illis viris, qui rerum ortum primi scrutati sunt, quenquam ita excordem fuisse, ut id assereret, nobis non fit verisimile; cum nemo id, quod sciamus, tradat, ne ipse quidem Aristoteles, utut Veterum calumniæ deditus: qui neq; alibi usquam id expresse prodidit, & hoc in loco simpliciter dicit, aliquos ita existimare, non expresso, quinam isti sint, qui ita opinentur.

IV. Utrocunq; igitur modo interpreteris illam Aristotelis in Veteres criminationem, quod Principium Effectivum non agnoverint, sive de particulari generatione, sive de Vniversali; falsa esse deprehenditur. imo ad illam coarguendam sufficere poterat unicus hic è principio quinti de Generatione Animalium locus, ubi in universum de Priscorum Philosophorum circa rerum Principia sententiis loquens, dicit, eos Formalis quidem & Finalis causæ nullam habuisse rationem, sed Efficientem duntaxat & Materiam considerasse, Οἱ δ᾽ ἀρχαῖοι φυσιολόγοι τ᾽ ἐναντίον ᾠήθησαν. τοῦτο δ᾽ αἴτιον, ὅτι οὐχ ἑώρων πλείους οὔσας τὰς αἰτίας, ἀλλὰ μόνον τὴν τῆς ὕλης, καὶ τὴν τῆς κινήσεως. τῆς δὲ τοῦ λόγου, καὶ τῆς τοῦ τέλους, ἀνεπισκέπτως εἶχον. *Prisci autem physiologi contrarium opinati sunt. cujus rei causa est, quòd non videbant plures esse causas, sed materialem duntaxat, & efficientem. formalis autem ac finalis ipsis in mentem non venit.* in quibus verbis cum fateatur priscos physi-

phyſiologos, in tractando rerum ortu, non Materiæ tantum, ſed & Efficientis rationem habuiſſe; quid aliud quam ipſe falſitatis condemnat illam contra eos in primo Metaphyſicorum inſtitutam accuſationem? Imo alibi adhuc expreſſius dicit, eos in omni generatione, tum illa Mundi, tum quotidiana, utrumq; Principium, Effectivum & Materiale, adhibuiſſe. Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι καὶ πρῶτοι φιλοσοφήσαντες περὶ φύσεως, περὶ τῆς ὑλικῆς ἀρχῆς καὶ τῆς τοιαύτης αἰτίας ἐσκόπουν, τίς καὶ πῶς ἐκ ταύτης γίνεται τὸ ὅλον, καὶ τίνος κινοῦντος, οἷον νείκους, ἢ φιλίας ἢ νοῦ, ἢ τοῦ αὐτομάτου. Τῆς δὲ ὑποκειμένης ὕλης τοιάνδε τινα φύσιν ἐχούσης ἐξ ἀνάγκης, οἷον τοῦ μὲν πυρὸς θερμὴν, τῆς δὲ γῆς ψυχρὰν, τοῦ μὲν, κούφην, τῆς δὲ, βαρεῖαν. οὕτως γὰρ καὶ τὸν κόσμον γεννῶσι. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὴν τῶν ζώων καὶ τῶν φυτῶν γένεσιν λέγουσι. *Priſci, ac qui primi de natura philoſophati ſunt, de materiali principio, deq; iſtiuſmodi cauſa inquirebant, qualis eſſet, ac quomodo ex ea fieret Univerſum, & quo movente, putà lite, aut amicitia, aut mente, aut forte: ſubjectà autem Materià talem quandam naturam habente neceſſariò, putà quod ignis ſit calidus, terra autem frigida; illeq; levis, & hæc gravis. ita enim & mundum generant. ſimiliter autem & de animalium ac ſtirpium ortu dicunt.* quibus verbis nihil clarius dici poteſt ad abſolvendos priſcos ab hoc crimine, quod Efficiens de rebus ſuſtulerint. Quanquam enim unius tantum alteriuſq;, Anaxagoræ, & Empedoclis, ſententiam de Efficiente tangit; id tamen non fieri niſi in exemplum, atq; de reliquis quoq; tantundem intelligendum eſſe, facile evincunt illa prius à nobis dicta, & ipſa quoq; prima hujus teſtimonij verba, quæ in generale de omnibus priſcis philoſophis loquuntur. Quod verò & τὸ αὐτόματον recenſet inter Efficientes ab aliquibus ipſorum poſitos; parum probabilia loquitur, ſiquis attendat teſtimonio, quod ex ipſius ſecundo phyſicorum paulo ante depromebamus.

Cap. II.

1. De Part. Animal. 1.

3

Incuſat quidem Veteres in eodem loco primi de Part. Animal. 1. Quod qualitatibus illis Materiæ plus juſto attribuerint, eiſq; acceptas retulerint varias conformationis

Cap. II. Effectiones, quę nequaquam illis, sed Efficienti erant assignandæ. & vera eum loqui hac in parte, non dubitamus; considerato, quod & Anaxagoræ consimile vitium objicit in Phœdone Plato, & quod generaliter in Timæo vetustiores se physiologos castigat, tanquam qui maximam Effectuum partem illis Qualitatibus ascriberent. Sed inde tamen inferendum plus non erat, nisi quod Efficienti causæ à se positæ minus tribuerent Prisci, quam deberent: id quod longe aliud est, quam Efficiens in totum tollere. Quin ipsas illas qualitates, quanquam in Materia sitas, tamen pro Efficientis specie habebant; ac proinde etiamsi non aliquos tantum, sed omnes effectus illis attribuissent; ne sic quidem culpari jure poterant, quod Principium Effectivum nullum, ac solum Materiale ponerent; sed quod errarent in Efficiente assignando: quomodo Plato in Timæo eos, qui sic facerent, dicit errare in eo, quod Co-efficiens & Instrumentarium agens in ipsius principalis Agentis locum surrogarent. & ipse quoque alibi, ubi de eadem hac Priscorum, qualitatibus Materiæ effectivis tantum tribuentium, opinione tractat, fatetur eos Efficiens posuisse; in eo tantum ipsos culpans, quod Efficienti Instrumentario transcriberent Efficientis Principalis dignitatem. Τὰς δυνάμεις ἀποδιδόασι τοῖς σώμασι, δι' ἃς γεννῶσι λίαν ὀργανικῶς. *Facultates assignant corporibus, per quas generant nimis instrumentarie.* quid autem sit illud ὀργανικῶς γεννᾶν, sic explicat, Ἐπεὶ γὰρ πέφυκεν, ὥς φασι, τὸ μὲν θερμὸν διακρίνειν, τὸ δὲ ψυχρὸν συνιστάναι, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν, ἐκ τούτων λέγουσι, καὶ διὰ τούτων, ἅπαντα τἄλλα γίνεσθαι καὶ φθείρεσθαι. *Quandoquidem natum est, ut inquiunt, calidum secernere, frigidum cogere, aliorumque unumquodque hoc vel illud facere aut pati; ex his ac per hæc dicunt omnia alia oriri & interire.* Omnibus igitur modis vim veritati facit Aristoteles, quando Veteres arguit, quod Efficiens de rebus sustulerint.

2. De Gen. & Corrup. 9.

V. Sed Aristoteli nihil frequentius, quam priscis Philosophis

sophis ejusmodi opinionum monstra affingere, quæ si vera essent, oporteret eos non modo non doctos & sapientes, sed plane bardos & blennos fuisse; & tamen rursus alijs in locis ea prodere, unde talium criminationum falsitas liquidissimo revincatur. cujus rei, in hoc ipso de Principijs negotio, insigne præ cæteris habemus exemplum in Parmenide. qui cum Deum faceret omnium rerum Principium Effectivum, quem appellat Ens unum, Immobile, Infinitum, nec genitum, nec interiturum; Principium autem Materiale statueret ignem & terram: Aristoteles initio primi Physicorum ipsi hoc imponit, ac si illud Unum immobile faceret Principium non Effectivum, sed Materiale; super quo acriter eum incessit, dicens quod ἐριστικῶς συλλογίζεται, καὶ ψευδῆ καὶ ἀσυλλόγιστα λαμβάνει, *litigiose ratiocinatur, falsaq; & perperam collecta assumit*: ut ne disputandum quidem adversus illum sit in Physica, non magis quam Geometræ πρὸς τὸν ἀνελόντα τὰς ἀρχάς. *adversus eum, qui principia tollit.* Ast in ipso illo libro postea fatetur, Cap. 5. Parmenidem alia Principia pro rerum Elementis ac Materia agnovisse, ignem & terram; quanquam ne illo quidem in loco calumnia sua (cui illis ipsis in verbis manifeste contradiceret) potuit abstinere. sic enim ait: πάντες δὴ τἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσιν, οἵτε λέγοντες ὅτι ἓν τὸ πᾶν καὶ μὴ κινούμενον. καὶ γὰρ Παρμενίδης ψυχρὸν καὶ θερμὸν ἀρχὰς ποιεῖ. ταῦτα δὲ προσαγορεύει πῦρ καὶ γῆν. *Omnes autem contraria faciunt principia, etiam qui dicunt universum esse unum ac immobile. namq; Parmenides frigidum & calidum facit principia, eaq; appellat ignem & teram,* & talia etiam primo Metaph. 5. ab eo scribuntur. Vbi sane ridere libet Toleti conatum, qui cum videret Aristotelem manifestissime sibi contradicere, dum Parmenidi tam pugnantes tribuit opiniones, ut modo aiat eum statuere unum Principium materiale immobile, modo duo contraria ignem & terram; præceptori subsidium fert cum hac stropha, quod Parmenides scripserit duum generum libros, alios vulgares, accuratiores alios; quorum in his unum dixerit esse rerum Principium, in illis vero duo. sed hoc figmentum cum careat

Cap. II. reat testimonio antiquitatis, frustra aut Toletus aut Philoponus (qui ipsi hoc suggessit) postulant, ut ipsis hoc credamus. & neq; credunt sibi ipsis, ideoq; alteras copias circumspiciunt, dicentes, *Quod duo ista Principia posuerit secundum apparentiam, quæ erant unum secundum existentiam.* in quo commento quum non modo non existat, sed ne appareat quidem hilum veritatis, nos illo refellendo supersedere constituimus. Quod autem Parmenides per illud unum infinitum nihil intellexerit aliud, nisi ipsum Deum Omnipotentem, omnium rerum Effectorem, aperte declarat ipse Aristoteles, 3. Phys. 4. aiens maximam veterum Physiologorum partem Infiniti nomine Deum designasse, quotquot nimirum nullo eum peculiari appellatione (ut Anaxagoras, Mentis, & Empedocles, Philiæ) insigniebant; in quo numero Parmenides comprehensus est. Quod autem illud Infinitum habuerint pro Principio Mundi Effectivo, haud obscure colligas ex ijs, quæ ibidem ex ipsorum sententia de illo dicit. Διό, καθάπερ λέγομεν, οὐ ταύτης ἀρχή, ἀλλ' αὕτη τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ, καὶ περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φασιν, ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν, ἢ φιλίαν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον. ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος, καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων. *Quare, ut dicimus, hujus principium non est, sed ipsum videtur esse principium aliorum, & continere omnia, omniaq; regere, sicuti aiunt, quicunq; non faciunt alias causas præter infinitum (puta Mentem, aut Amicitiam) aiuntq; hoc esse Numen, utpote immortale, & interitus expers: sicuti inquit Anaximander, ac pleriq; Physiologi.* Ex hujusmodi autem locis (ut id obiter annotemus) observare possunt Aristotelici, causam se habere nullam, cur debeant nobis succensere, qui toties dissentiamus ab ipsorum Magistro; quum & ipse à cunctis ante ipsum Philosophis dissenserit. neq; contentus ab ijs dissentire in illis, quæ revera ipsi senserant; quæsivit etiam quomodo ab ijs dissentiret, ubi plane ipsorum sequebatur opinionem; idq; cum damno ipsorum ac dedecore, sententiam eorum per manifestissimam

nifestissimam calumniam in ea detorquendo commenta, de quibus illi nunquam, ne per somnum quidem, cogitaverant. Qui enim Primum Movens non mobile introducturus erat in Physicam, ac plurima de eo verba facturus, tanquam de primario Physiologiæ capite, ac cognitu inprimis necessario; Parmenidem, ob idem illud Principium in Physicam introductum, hostilem in modum exagitavit; quod ut faceret cum aliquo prætextu, invitissima veritate confinxit, quod illo Principio Parmenides pro Materiali usus fuerit: qua de re à Ramo etiam in scholis Physicis multa dicta sunt. Porrò minus mirum est, quod de Veteribus illis, quorum partim nihil scripserant, partim pauca, & quæ non admodum manibus hominum tererentur, ausus sit confingere Aristoteles, quód Principium Effectivum nullum posuissent, quum veritus non sit, idem de Præceptore suo Platone alicubi prodere: quum & à plurimis condiscipulis suis, in quibus secta Platonica florebat tunc cum maxime, posset mendacij convinci; & in omnium manibus versarentur ejus scripta, in quorum infinitis locis contrarium apertissime Plato profiteretur, ita ut nemo, qui illa vel à limine unquam salutasset, posset ignorare, falsissimam esse istam criminationem. Sed quum inferius in hoc ipso capite hac de re agendum nobis sit, hic eam missam faciemus. Impræsens sufficit monstrasse, injuria accusatos ab Aristotele Priscos illos, ac si pleriq; ipsorum alterum tantum Principium, videlicet Materiale, posuissent, quum illi utrumq; posuerint, & hoc, & Effectivum.

8 Physic.

VI. Quod verò non posuerint tantum utrúmque, sed & Principij nomine utrumq; affecerint; id non minus clarum est. Et de Materia quidem non licet dubitare. quippe non modo pro Principio eam habuerunt, sed vix alio quam generali Principij nomine eam affecerunt, quum non haberent, quomodo aliter eam appellarent; quandoquidem illa vocabula, ὕλη & στοιχεῖον, illum usum, ad quem postea translata sunt in Philosophiam, ipsorum tempore nec dum ac-

Cap. II. ceperant, sicuti libro sequente declarabitur. Et hinc quoq; præcipuam Aristoteles arripuit occasionem eos criminandi, quod solam Materiam Principium facerent: quum tamen omni tempore satis vulgatus hic mos fuerit, ut alicui speciei, quæ peculiari nomine careret, ipsum genericum nomen tanquam proprium (absq; tamen aliarum specierum præjudicio) attribueretur: cujus rei ex ipsius scriptis possent exempla non pauca adduci. ita nimirum alicubi ἰχθὺν, sub cujus vocis ambitu omnium piscium species comprehenduntur, uni cuidam speciei, pro qua proprium nomen

Exerc. 218. 1. non inveniebat, facit peculiare. Ridet quidem hoc Scaliger (licet hoc ipsi, per quem alijs ne mutire quidem contra Aristotelem licet) sed irrisus causam nullam se habere scivisset, si tantum reputasset, quam Gallina in communi Græcæ linguæ consuetudine habeat appellationem. certè hæc avium species commune toti generi nomen ipsa

ὄρνις · avis. gallina. tanquam peculiare possidet. & alia ad hunc modum sunt complura. Et quid opus est longius exempla petere, quum ipsa Philosophia Peripatetica ijs abundet? Elementorum enim vocem esse generalem ad omnia, è quibus res componitur, ac propterea Materiæ quoq; Primæ & Formæ competere, fatentur ipsi. & tamen notum, solis quatuor simplicibus corporibus, quæ tanquam Materiam ad constituenda mixta concurrere dicunt, hanc appellationem velut propriam attribui. Et in ipsa Principij voce (de qua nunc agimus) nonne idem jus usurpavit Aristoteles? Sane non Materiam modò Primam, Formamq; ac Privationem, sed & alia hujus vocis ambitu comprehendi, ipse non diffitetur; & tamen tribus illis peculiariter assignavit hanc Principiorum appellationem: ut nihil nunc dicamus de abusu illo, quo multis quoq; alijs rebus proprium subinde fecit hoc vocabulum; quo de satis multa dicta fuerunt prius. Causam igitur nullam habuit Aristoteles, cur ex eo, quòd generico Principij vocabulo alteram Principiorum speciem, videlicet Materiam, indigetare soliti sunt Veteres Physiologi, strueret hanc calumniam, quod solam Materiam pro Principio habuerint.

Cap. II.

VII. Quòd verò Efficiens quoq; Principij nomine insigniverint, non est dubitandum. solet quidem Aristoteles tria illa vocabula, *Principium*, *Causa*, *Elementum*, confundere, unumq; pro altero promiscue usurpare, ac proinde etiam, ubi Veterum de Principijs opiniones recitat, non Principia tantum, sed & Causas, & Elementa vocare; quomodo 1. Metaphysicor. ait Anaxagoram ponere duo Elementa, Mentem atq; Homoiomeriam: & de Materia passim ita loquitur, ut dicat, Veteres illam Caussam agnovisse: quum tamen non sit verisimile, aut Veteres illos Materiæ nomen *Causæ*, aut Anaxagoram Menti, *Elementi* nomen imposuisse. sed ex suo sensu ista locutus est Aristoteles, quasi diceret, *ex numero earum rerum, quæ mihi modo Principia, modo Causæ, interdum Elementa dicuntur, has aut illas Prisci agnoverunt.* quare inde concludere non licet, quod istæ appellationes Veteribus ita fuerint usurpatæ, quomodo Aristoteles in suis scriptis, ubi eorum sententiæ tractantur, eas usurpat. & sic neq; ex illis locis, ubi Aristoteles de Efficiente opiniones Veterum recitans, illud Principium vocat, colligi firmiter potest, Efficiens Veteribus Principium dictum fuisse. Sed alij extant loci, è quibus id hauriatur. Etenim ab aliquo Veterum aut Materiam *Causæ*, aut Efficiens *Elementi* nomine affectum fuisse, nusquam, quod sciamus, prodit: Principij autem appellationem Efficienti ab ijs tributam fuisse, est ubi expresse profiteatur. namq; primo de Anima capite secundo ait Animam Heraclito Principium dictam fuisse; & primo Physicorum tantundem de Empedoclea Amicitia ac Lite (quæ duo pro Causis Efficientibus ab Empedocle habita fuisse, notum est) testatur. Etenim Veterum consensum advocans ad confirmationem suæ sententiæ, *Quod Principia debeant esse contraria*, sic inquit, πάντες τὰ στοιχεῖα, καὶ τὰς ὑπ᾽ αὐτῶν καλουμένας ἀρχὰς, καίπερ ἄνευ λόγου τιθέντες, ὅμως τ᾽ ἀναντία λέγουσι: *Omnes Elementa & vocata ab ipsis Principia, quanquam ea sine ratione ponant, contraria tamen esse dicunt*: & paucis interjectis ita pergit: οἱ μὲν γὰρ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, οἱ δὲ ὑγρὸν Cap. 5.

x cerebro.

Cap. II. καὶ ξηρὸν, ἕτεροι δὲ περιττὸν καὶ ἄρτιον, οἱ δὲ νεῖκος καὶ φιλίαν, αἰτίας τίθενται τῆς γενέσεως. *Alij enim calidum & frigidum, alij humidum & siccum, alij par & impar; alij Amicitiam & Litem, ponunt causas generationis.* Quod ista Oppositorum paria Causas vocat & Elementa, de suo facit, ea ratione quam modo diximus. sed diserte scribit, quod ab ipsis, qui ea ponebant, Principia vocata sint. & cum ea, quæ hic ponuntur, partim Materiæ, partim Efficientis locum obtineant, ex mente eorum à quibus introducta sunt; apparet itidem ex hoc loco, quod utrumq; Veteres illi, & Materiam, & Efficiens, sub una communi Principij appellatione comprehenderint.

VIII. Plura hujusmodi testimonia ex Aristotele, & ex alijs quoq; autoribus, colligi possent, per quæ appareret, Veteres illos Efficientem & Materiam communi Principiorum appellatione affecisse. Sed non libet laborem aut tempus perdere in re minime necessaria. Est enim hoc satis per se evidens ijs, qui Veterum scripta legerunt: quod si verò aliquis hoc neget; id nos parum moramur, neq;, videmus pretium operæ, in eo ad contrariam sententiam perducendo sumendæ. Non enim ullum in eo robur ponimus, aut ad stabiliendam nostram de Principijs opinionem producimus Veterum consensum: sed ut homines videant, nos nequaquam novandi studio, aut dissentiendi prurigine ad hunc Philosophiæ Reformandæ laborem accessisse: qui tantum absumus, ut dissimulemus, sicubi Veteres idem nobiscum sentiunt; ut ipsi id profiteamur, ac præ nobis feramus. Quod si quis aut hic, aut alibi, ubi Veteres nobiscum sentire autumamus, docere potest, aliter se rem habere, faciet id volentibus nobis: qui nihilo propterea minus in sententia nostra perseverabimus, nisi si ostendi simul potest, nos à Veritate aberrare; quod siquis præstet, libenter nos in viam reduci patiemur, & Reductori quoque gratias habebimus.

IX. Porro non Veterum tantum, sed ipsorum Aristoteli-

licorum doctrina hac in parte aliquatenus ad nostram accedit. Corrigentes enim Magistri indiligentiam & inconstantiam, qui perpetuo fluctuans nihil certi hic definivit, Principia faciunt alia Externa, alia Interna, quam distinctionem possint videri ab ipso didicisse, qui in primo quinti Metaphysicorum tradit, Τῶν ἀρχῶν τὰς μὲν εἶναι ἐνυπαρχούσας, τὰς δὲ ἐκτὸς, *Principia alia esse inexistentia, alia externa*. sed contentus hoc tantum tradidisse, nihil amplius determinat, quænam sint hujus generis, quænam verò illius. ipsi verò hæc ita definiunt, quod Principia externa sint Efficiens, & Finis: Interna, Materia, Forma, & Privatio. quæ Principiorum divisio nonnullam habet cum nostra divisione cognationem; in hoc differens, quod inter Principia externa Finis seorsum collocatur, tanquam diversum ab Efficiente Principij genus: quum reverà Fini non aliter locus sit inter Principia, nisi tanquam speciei Efficientis; id quod infra plenius explicabitur. In altero etiam membro peccant, Principijs internis annumerando Privationem; quam in hunc censum nullo modo admittendam esse, à nobis abunde antea est probatum. Hæc duo igitur si excipias, nobiscum consentiunt Peripatetici in generali hac de Principijs doctrina, quod nimirum illa sint duorum generum, Effectiva, & Compositiva. Sed quemadmodum cum hac Principiorum divisione, ita correcta, plane ad sententiam nostram, atq; ad Veritatem accedunt Peripatetici, ita longissime eam relinqunt in explicatione alterius præsertim membri, sive in assignandis Principijs compositivis. Materia enim prima (cui fere servant Principij nomen, Materiâ secundâ eo spoliatâ) & Forma substantialis, nihil sunt nisi commentum merum: sicuti ex primo capite cuivis potest apparere.

Cap. II.

Magir. lib. 1. cap. 2. & alij multi.

X. Et si vel maxime vera essent, quæ de ijs tradunt, sic quoq; manca foret Principiorum Compositivorum, sive Elementorum, quam ipsi tradunt, assignatio. Etenim Aristoteles, cum suis, teneretur, eo crimine, quod Veteribus ipse objicit alicubi, dicens eos plurimum peccare, quia

Cap. II.

1 Metaph. 7.

τῶν σωμάτων τὰ στοιχεῖα τιθέασι μόνον, τῶν δὲ ἀσωμάτων οὔ, ὄντων καὶ ἀσωμάτων. *corporum duntaxat Elementa ponunt, non item incorporeorum, quum sint & incorporea.* Culpat hic Veteres, quod solorum corporum Elementa tradiderint, incorporeis omissis; quum tamen tradita ab ipso Elementa, sive Principia constitutiva, neq; ipsa quadrent nisi in res corporeas. Materia enim & Forma ne analogice quidem (uti ex superiori Sectione patet) accommodari possunt Accidentibus compositis. Sola autem Accidentia composita sunt illa Incorporea, de quibus intelligi potest illa Veterum reprehensio, quod Incorporeorum Principia non attigerint. quippe Accidentia simplicia non est verisimile Aristotelem in animo habuisse cum ista scriberet, nisi si fovit deliram istam opinionem, quæ Accidentia quævis constare vult ex Materia & Forma, sive ex duabus partibus, quarum altera sit instar Materiæ, & altera instar Formæ, quod somnium multis impugnat Suarez disputatione decima quarta. & affine est, aut idem, cum Scaligeri commento, omnia Accidentia ex Esse & Essentia, sive è Potentia & Actu componentis: de quo nos præcedenti sectione multa diximus. Aristotelem autem ita sensisse, nusquam in ipsius scriptis apparet. Sed neq; de Intelligentijs & Mentibus accipi possunt ista Aristotelis verba. quanquam enim illas habet pro incorporeis, simplices tamen illas esse existimat simplicitate essentiali: rebus autem ita simplicibus Principia interna sive componentia non competunt. Quare omnino Accidentia composita sunt illa ἀσώματα, quæ intelligi necessario debent, quando Veteres arguit, quod τῶν ἀσωμάτων Elementa prætermiserint. Sed & ipse ea omisit; neq; sectatores ejus illa attigerunt: unde efficitur (sicuti dicebamus prius) vitiosam esse Principiorum componentium assignationem à Peripateticis factam, etiamsi vera essent, quæcunq; de Materia & Forma somniant.

Sect. I. §. 3. & 4.

XI. Sed & Prisci, ac Plato Stoicique, sicuti hoc quoq; vitio laborant, quod de Incorporeorum Elementis nihil dixe-

dixerunt, ita in eo præterea peccant, quod solam Materiam putaverunt esse Corporum Principium internum. Namq; ut nihil dicamus de corporibus animatis (quorum proxima Elementa sunt Anima & Corpus, neutri ipsorum competente Materiæ appellatione, nedum ut utrumq; pro Materia haberi possit) in reliquis quoq; corporibus verum non est, ea componi ex sola Materia. Ut enim daretur tale corpus, deberent portiones Materiæ nequaquam alteratæ concurrere; ac proinde ille concursus nihil esset, nisi acervus merus. non datur autem ullum corpus Naturale, quod sit tantum acervus. Materia enim corporum è varijs corporibus simplicibus conflatorum, non est corpus per se, sed corporis pars duntaxat. Erraverunt igitur Veteres, solam Materiam facientes Corporum Principium internum. Quanquam sane dubitare licet, an non alterum quoq; Principium compositivum, nimirum concursum Accidentium, Materiæ per ipsam generationem impositorum, agnoverint. Sanè quotquot unicam atq; uniformem statuebant omnium rerum Materiam (ut Thales Aquam, Anaximenes Aërem) non poterant alia corpora simplicia, multoq; minus composita, ex ea fabricari, nisi interventu variarum affectionum; idq; eos fecisse, Aristoteles testatur tum alibi pluries, tum primo Metaphyscor. 4. Οἱ ἓν ποιοῦντες τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν, τὰ ἄλλα τοῖς πάθεσιν αὐτῆς γεννῶσι. *Qui unum faciunt subjectam substantiam, reliqua affectionibus ipsius generant.* Quod verò illas affectiones habuerint etiam pro Principio, diserte testatur Aristoteles primi Physicorum sexto, ubi tamen non de omnibus Qualitatibus aut Accidentibus loquitur, sed de densitate tantum atq; raritate, quas alio nomine ὑπεροχὴν καὶ ἔλλειψιν, *excessum atq; defectum*, appellat, ita tamen ut sub hac appellatione etiam comprehendat Platonis τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, *magis ac minus*, mira sane, sed ipsi sueta, turbandi libidine, cum Plato per Majus & Minus nihil aliud nisi ipsam Materiam intellexerit, sicuti ipse confitetur tum hoc in loco, tum clarius etiam 1. Metaph. 6. Raritas autem & Densitas non Materia ipsa erat veteribus, sed Materiæ affecti-

Cap. II. affectiones, & Compositorum Principia, quod sic testatur ipse, Καὶ ἔοικε παλαιὰ εἶν καὶ αὕτη ἡ δόξα, ὅτι τὸ ἓν, καὶ ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ἀρχαὶ τῶν ὄντων εἰσί. *Videtur autem prisca esse & hac opinio, quòd Unum, & Excessus atq; Defectus, principia rerum sint.* & similiter initio capitis quinti, Παρμενίδης ψυχρὸν καὶ θερμὸν ἀρχὰς ποιεῖ, οἱ δὲ μανὸν καὶ πυκνόν; *Parmenides frigidum & calidum facit Principia: alij autem Densum & Rarum:* ubi tamen per Calidum, Frigidum, Densum, Rarum, fortasse non ipsæ affectiones, sed corpora istis affectionibus insignita sunt intelligenda.

XII. Quanquam si credere Aristoteli libet, non pro Principio Compositivo, sed pro Effectivo Raritatem ac Densitatem Prisci habuerunt. etenim antedicto capite sexto ait eos ita sensisse de hisce tribus, ut τὸ ἓν dicerent πάσχειν, τὰ δὲ δύο ποιεῖν: *Unum, pati: duo autem, agere.* sed hoc fidem nullam meretur, neq; credendum est, Veteres illos ita desipuisse, ut affectiones, quæ in Materiam introducerentur, cum Efficiente confunderent. Quanquam enim probe scimus, quantum jam olim ante Platonem non pauci, & postea etiam Peripateticorum ac Medicorum pleriq;, & ante omnes Galenus noster, drasticis (ut vocant) Elementorum qualitatibus tribuerint: longe tamen diversissima res est. frigus enim & calor magnas saltem efficiendi vires habent, quæ res bonis istis viris imposuit, ut instrumenta in ipsam primarij Efficientis dignitatem subveherent. at densitatis & raritatis longe alia est ratio, quippe quæ omni agendi facultate destitutæ, non potuerunt viris sapientibus fraudi esse, ut ab ijs pro Principio Effectivo prædicarentur. . . . Et obiter notetur hic fatalis Aristotelis inconstantia, qui cum in primi Metaphysic. 3. Veteres omnes, qui unam modo generalem Materiam ponebant, exagitet, ac si unum modo Principium ponerent, nimirum Materiale, non item Effectivum; hic aperte contrarium profiteatur. Non enim Anaxagoræ, Empedoclis, Democriti, Leucippi, aut Platonis est hoc dogma; .

Densita-

Densitatem ac Raritatem esse Principia rerum; sed eorum, qui unicam duntaxat uniformem omnium rerum Materiam statuebant. Illi enim, utcunq; de corpore illo primo inter se dissentirent, in hoc omnes conveniebant, ope raritatis ac densitatis alia omnia ex primo illo corpore fieri. Quare qui diceret, nullum istos Philosophos Principium Effectivum agnovisse; non poterat, sine levitatis ac contradictionis nota, iisdem ascribere quod Raritatem ac Densitatem pro Efficiente habuerint. Cap. II.

XIII. Et sane alibi in hoc ipso primo Physicorum libro veriora de eadem hac re loquitur, aiens, eos hoc contrariorum par non loco Efficientis, sed pro Materiæ Affectionibus habuisse, Οἱ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι, ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι, πολλὰ ποιοῦντες. ταῦτα δ' ἐστὶν ἐναντία, καθόλου δ' ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ τὸ μέγα φησί γ' ὁ Πλάτων καὶ τὸ μικρόν. πλὴν ὅτι ὁ μὲν ταῦτα ποιεῖ ὕλην, τὸ δὲ ἓν, τὸ εἶδος. οἱ δὲ, τὸ μὲν ἓν τὸ ὑποκείμενον, ὕλην, τὰ δὲ ἐναντία, διαφορὰς καὶ εἴδη. *Qui corpus subjectum fecerunt unum, aut aliquod trium, aut aliud quoddam, igne quidem densius, aëre autem tenuius, reliqua gignunt densitate & raritate, multa facientes. hæc autem sunt contraria; in universum verò excessus & defectus, sicuti magnum & parvum dicit Plato: nisi quod hic quidem ista facit Materiam; Unum autem, Formam. illi autem, Unum subjectum faciebant Materiam; contraria autem, differentias & Formas.* Dicens Veteres Raritatem & Densitatem fecisse Materiæ διαφορὰς καὶ εἴδη, satis indicat, quod eas pro Efficiente non habuerint. quippe διαφοραὶ τῶν στοιχείων, *differentiæ Elementorum* nihil aliud sunt Aristoteli, quam ipsa eorum πάθη, *affectiones*, quorum introductione aut abolitione fit alteratio, sicuti è primo de Ortu & Interitu liquet. Et ut adhuc certius constet, quod Raritatem ac Densitatem nihil aliud fecerint Veteres quam Materiæ affecti- Cap. 4. in initio. Cap. 1. circa medium.

Cap. II. affectiones, alterum apponimus ex Aristotele locum, superiore clariorem, qui sic habet: Οἱ ἓν ποιοῦντες τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν, τὰ ἄλλα τοῖς πάθεσιν αὐτῆς γεννῶσι, τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνὸν ἀρχὰς τιθέμενοι τῶν παθημάτων. *Qui subjectam substantiam faciunt unam, reliqua ipsius affectionibus gignunt, raritatem ac densitatem ponentes Principia affectionum.* è quo loco hoc amplius discimus, quod non ipsarum tantum rerum sive corporum, quæ ex primo illo corpore generantur, sed & aliarum affectionum, quæ ad talium corporum generationem requiruntur, Principia fecerint Prisci illi, unius Materiæ autores, Raritatem ac Densitatem. Hujus autem rei causam discere licet ex octavo Physicorum, ubi Aristoteles ex propria quidem persona, sed ex aliorum dogmatis loquens, (quod illi perquam familiare, haud secus quam si propriæ Philosophiæ diffideret) sic inquit: Πάντων τῶν παθημάτων ἀρχὴ, πύκνωσις καὶ μάνωσις. καὶ γὰρ βαρὺ, καὶ κοῦφον, καὶ μαλακὸν, καὶ σκληρὸν, καὶ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν, πυκνότητες δοκοῦσι τινες καὶ ἀραιότητες εἶναι. *Omnium affectionum principium sunt condensatio & rarefactio: namq; gravitas, levitas, mollities, durities, calor, & frigus, videntur quædam raritates ac densitates esse.* Ex his autem apparet, quod non modo Veteres hi aliud Corporum Principium Compositivum, quam solam Materiam, agnoverint, sed quod & τῶν ἀσωμάτων, *incorporeorum* (contra quam ijs objiciebat Aristoteles) Elemena quodammodo attigerint.

1 Metaph. 4.

Cap. 7.

XIV. Quanquam sane tum in hoc, quod Corporum, tum in eo, quod aliarum Affectionum Principia faciebant duas illas qualitates, Densitatem ac Raritatem, locuti sunt parum consentanea Veritati, quam viderunt veluti per nubem; sicuti in eadem hac re fecerunt reliqui quoq; Veteres, qui non unum aliquod corpus, sed multa diversiformia pro Principio Materiali posuerunt, Anaxagoras, Empedocles, Democritus, Leucippus. Quod enim prioribus illis Densitas ac Raritas, idem fere Anaxagoræ & Em-

Empedocli σύγκρισις καὶ διάκρισις, *congregatio & secretio*, Democrito autem & Leucippo ῥυσμὸς, τροπὴ, διαθιγὴ, sive σχῆμα, θέσις, τάξις, *figura, situs, ordo*, fuerunt in rerum generationibus. Et de duobus quidem posterioribus expresse testatur Aristoteles, quod hasce tres Materiæ διαφορὰς *differentias* dixerint esse τῶν ἄλλων αἰτίας, *reliquorum causas*, id est, Principia. notum enim est, Aristotelem solere ista duo promiscue usurpare. De syncrisi autem & diacrisi non ita aperte testatur, an illa quoq; pro Principio ab Anaxagora (cujus ἔκκρισις nihil est aliud quam quædam διάκρισις & σύγκρισις.) & Empedocle habitæ fuerint. Et potius credimus, non habitas esse; quandoquidem neq; Stoici qualitates, quarum in Materiam primam introductione omnia generabant, Principiorum nomine afficiebant, neq; Plato τὰ εἴδη. Quanquam enim verum est, quod tradit Aristoteles, Platonem ita philosophatum fuisse, ὅτι ἕκαστον τῶν γιγνομένων λέγεται κατὰ τὸ εἶδος, γίγνεται δὲ κατὰ τὴν μετάληψιν, καὶ φθείρεται κατὰ τὴν ἀποβολὴν, *quod unumquodq; eorum, quæ fiunt, dicitur (esse id quod est) ratione Speciei seu Ideæ; fit autem per participationem* [*Ideæ*,] *ac interit per amissionem* [*ejusdem*] unde Aristoteles dicit sequi, ὅτι τὰ εἴδη οἴεται αἴτια εἶναι καὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, *quod Ideas opinatur esse causas ortus & interitus*. nusquam tamen comperietur Plato τὰ εἴδη, *Ideas*, Causæ aut Principij appellatione donasse, si per εἴδη intelligas illa Idearum simulacra, quorum in Materiam impositione ille omnia gignebat. si vero per εἴδη intelligas ipsas Ideas, tunc verum est, quod ea inter Causas ac Principia collocaverit Plato, sed diversissima ratione, atque à præsenti disquisitione, ubi de Principijs componentibus agimus, aliena: qua de re in ultima hujus capitis sectione plura dicentur.

Cap. II.

1 Metaph. 4.

1. de Ortu & Interitu.

Et fortasse Democritus quoq; illa tria modo memorata non fecit Causas vel Principia; quum fieri possit, ut ille duntaxat docuerit, ope istorum omnia fieri è Materia, aut in Materia, Aristoteles verò ipsius opinionem re-

Cap. II. citans, de suo iis Causæ appellationem tribuerit: quod cum facere solere in hisce, & similibus, sciunt quotquot ejus scripta legerunt, & nos jam antea monuimus. Vtrovis modo se res habeat, parum nostrâ refert, quibus propositum non est, Veteres vel hic, vel alibi us|piam, in nostram pertrahere sententiam, aut ipsorum placita per calliditatem ita interpretari, ut nobis favere videantur; sed solummodo in medium proferre, si quando invenimus eas ad sententiam nostram ac veritatem aliquatenus appropinquasse, omissa patrocinatione errorum, quos Veritati immiscuerunt. sicuti hoc in negotio deprehendimus eos illatenus recte sensisse, quod utrumq; Principij genus, Effectivum, & Compositivum, agnoverunt, quodque divisionem Compositivi Principij in Materiale & Naturale, plerique ipsorum non omnino ignoraverunt. Si verò ab his generalibus ad particularem cujusq; Principij explicationem descendatur, plurima, ac ferè omnia (æque ac ipsum Aristotelem) eos erraſſe, ultro ipsi fatemur. namq; & de Efficientibus proximis multa nescierunt, & de Efficiente Universali paucissimi ipsorum, & fortè nulli, rectè senserunt; & de Materia omnes maximopere (quanquam alius alio magis) decepti fuerunt; & de Natura parum omnino viderunt: sicuti apparebit, si quis ipsorum dogmata cum nostris, quæ in processu hujus operis suo quodq; in loco proponentur, comparaverit. nos jam ad alia pergamus.

SECTIO QVARTA.

DE CONDITIONIBVS PRINCIPIORUM.

Principia esse priora eo, cujus sunt Principia, non est Physice verum de omnibus. II. *Neq; verum, Principia esse* ἀγέννητα καὶ ἄφθαρτα. III. *Ne Aristotelicis quidem Principijs hac conditio quadrat. unde eam hauserit Aristoteles.* IV. *Plato quoq; particularibus Principijs*

cipijs eam accommodavit, sed Effectivis. sola Anima, Efficiens Platoni. V. Magnus hic in Platone error, omni Efficienti tribuere has proprietates. VI. Animas esse corporibus priores, non probant Platonis argumenta. VII. Non cum Veritate tantum, sed & secum ipse pugnat Plato, faciendo animas ἀγεννήτους. VIII. Conditio contrarietatis, ab Aristotele posita, non competit nostris Principijs. IX. Et neq; Aristotelicis competit. Veterum suffragium non rite advocat Aristoteles ad confirmationem istius propositionis.

QVot ac quænam sint Principia, antea declaravimus; nunc quid in universum prædicari de ijs possit, quasq; sibi in commune conditiones vendicent, dispiciendum est, antequam ad particularem singulorum pertractationem progrediamur. Videtur autem de ijs in universum dici non plus posse, quam quod jam in definitione dictum est, nimirum, Esse ea, per quæ, sive à quibus, res aliqua ortum accipit, & sine quibus oriri non potest. Nam quantum ad eas proprietates attinet, quas Aristoteles ac Aristotelici ascribere Principijs solent; nulla earum Principijs, quę à nobis constituta sunt, accommodari universim potest, ne illa quidem, de qua minime omnium quispiam dubitaverit, qua nimirum dicitur, Principia esse priora eo, cujus sunt Principia. hanc conditionem & [a] Suarez tradit, & [b] Fonseca, & alij plurimi; & ipse eam indicavit [c] Aristoteles his verbis, πασῶν κοινὸν ἐστιν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται. *Omnibus Principijs commune est, esse primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* quod ille non de Philosophicis tantum, sive Physicis, sed de vulgaribus, itemq; Logicis Principijs protulit; ad quæ omnia etiam Suarez, Fonseca, reliquiq; Peripatetici hanc conditionem extendunt. sed nostra nunc non interest, de duobus istis Principiorum generibus, utpote à proposito nostro alienis, quærere. De philosophicis autem dicimus, quod in ijs veritatem non habeat hoc scitum. Namq; & Efficientes aliqui possunt suis effectis non

a Disp. 12. sect. 1. § 8. in fine.
b 5. Metaph. c. 1. q. 3. sect. 2.
c 5. Metaph. 1.

Cap. II. priores esse; & Elementa, alia possunt non ante compositum existere, alia ne possunt quidem existere ante ipsum. Namq; & Materia potest non præexistere (sicuti non præextitit in prima Creatione) & Natura nunquam potest præexistere, quippe Accidens est: Accidens autem existere prius, quam in suum subjectum introducatur, non potest: ac proinde præexistere composito nequit. Et sanè pari ratione falsum etiam deprehenditur hoc axioma, si Aristotelicis Principijs aptetur. Formam enim existere prius, quam in suum subjectum introducatur, omnes uno ore negant Peripatetici, sed eodem momento, & fieri Formam volunt, & subjecto uniri: unde omnino sequitur, quod Forma dici prior ipso composito non possit. Nam quod Fonseca ait, *Vbicunq; datur ordo, dari prioritatem unius, respectu alterius; imò nihil aliud esse, duo qualibet esse ordinata inter se, quàm unum esse prius altero*: unde porrò infert, *Principium esse prius principiato, quum clarum sit, & dari ordinem inter principium & principiatum, & principiatum non esse prius principio*: facili negotio hoc solvitur. Etiamsi enim concederemus, dari prioritatem, ubicunq; datur ordo, (id quod multi inter ipsos Peripateticos negant) inde tamen non sequeretur, Principia esse priora principiato per realem prioritatem; de qua nos sola quærimus. Quod si verò illud placitum, quo omne Principium dicitur esse prius eo, cujus est Principium; ita explicetur, ut non realem tantum, sed & intentionalem prioritatem comprehendat; tunc illud verum esse, libenter concedimus. Namq; hoc pacto & Materia in prima Creatione, & Natura in quavis generatione est prior composito: quomodo nimirum omnes partes sunt priores suis totis. possumus enim nobis imaginari partes per se existentes, quæ deinde conjunctæ, compositum constituant; quod de composito facere nequaquam possumus, ut illud consideremus sine partibus, è quibus constat; quippe quod non aliud est, quam partes ipsæ inter se junctæ. Hac igitur ratione, & apud intellectum, Principium est prius eo, cujus est Principium. sed cum hæc prioritas Logica magis sit, quam Physica; non est

5 Metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 2.

cur

Cap. II.

eur huic fcito, quod omne Principium dicit prius effe eo, cujus eft Principium, locus in Phyfica hac de Principijs tractatione dari debeat; quum phyfice priora fint illa duntaxat, ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή, *quæ poſſunt eſſe abſq; alijs; illa autem alia non abſq; illis.* ficuti ex Platone ipfe Ariftoteles narrat ac probat. 5. Metaph. 11.

II. Sicuti autem hanc Principiorum conditionem rejicimus, ita multo vehementius repudiamus alteram illam, quæ Principia facit æterna; utroq; genere æternitatis; ita uti & fuerint femper, neq; unquam defitura fint: cui conditioni connexa eft hæc, quæ neq; ex fe mutuo fieri dicit Principia, neq; ab alio fuperiore; quia utrovis iftorum admiffo, definerent fuiffe ab æterno. Loci, in quibus hæc tradit, pauci ex pluribus hi funt; τῶν ἀρχῶν οὐκ ἔστιν ἕτερον αἴτιον, ἀϊδίων οὐσῶν, *Principiorum non eſt alia cauſa, quum ſint æterna*, octavo Phyficorum capite primo in fine. & 3. Phyficor. 4. requirit in Principio, ut fit ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον, *non genitum, neq; interiturum.* & 1. Phyficorum quinto, Τὰς ἀρχὰς μήτ' ἐξ ἀλλήλων εἶναι δεῖ, μήτ' ἐξ ἄλλων. *Principia neq; ex ſe invicem eſſe oportet, neq; ex alijs.* additq; capite fexto, τὰς ἀρχὰς ἀεὶ δεῖ μένειν, *Principia ſemper manere oportet.* Item quinto de Generat. Animalium. 7. dicit, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἀρχὴν εἶναι, τὸ αὐτὴν μὲν αἰτίαν εἶναι πολλῶν, ταύτης δ' ἄλλο ἄνωθεν μηδέν. *Hoc eſt Principium eſſe, ipſum quidem eſſe cauſam multorum, ipſius autem nullam ſuperius eſſe cauſam.* hæc apertiffime falfa effe, fi noftris Principijs applicentur, non eft ut multis demonftremus, quum id per fe appareat. Nam de Principijs compofitivis nonnulla adeo non fuerunt ab æterno, ut quædam ipforum fpecies ne per minimum quidem temporis momentum præexiftere compofito poffit, ficuti paulo ante diximus. Materia vero licet à principio Mundi fuerit, nequaquam tamen æterna dici poteft, quum initium habuerit; quod habuerunt etiam omnes Efficientes, folo Deo excepto. Quantum vero ad æternam durationem; ne illa quidem eft univerfaliter vera, namq; & Efficientium maxima pars perit

quotidie;

Cap. II. quotidie; & Principium compositivum alterum ne momento quidem temporis composito suo superstes manere potest. Quod autem dicitur, Principia non agnoscere ullum superius Principium, aut ullam superiorem causam; & illud falsissimum est de omnibus Principiorum speciebus, præterquam de solo Deo. namq; & Elementorum quædam semper, quoties compositum aliquod generatur, & ipsa tum demum fiunt, quum antea non essent, videlicet Natura; & Materia omnis aliquando facta est: & nullum est Efficiens infra Deum; quod non factum sit vel ab alio Efficiente creato, vel immediate ab ipso Deo. Multa etiam Principia ex alijs Principijs fiunt, ut apparet in animalibus, quorum Principia compositiva cum sint Anima & Corpus, quodq; ipsorum rursus ex suis Principijs, nimirum Materia & Natura, & hæc rursus ex alijs Principijs constant. Natura etiam semper fit ab Efficiente; quare Principium Totius, est etiam Naturæ Principium. sive igitur illa verba, *Quod Principia non fiant ex se mutuo*, ita interpreteris, ut *fieri ex* significet fieri tanquam ex Elementis, sive ut sumatur pro eo, quod est Effici ab alio; veritatem de nostris Principijs non habent.

III. Et sanè mirum non est, axiomata hæc de nostris Principijs vera non esse, quandoquidem falsa sunt de Principijs ipsius Aristotelis, qui illa fabricavit. Et ut de externis Principijs nihil dicamus, atq; has propositiones in componentibus sive internis (de quibus ille eas præcipuè protulit) examinemus: etiamsi cummaxime vera forent, quæ de Materia prima, Forma, & Privatione, ab ipso traduntur; non nisi falso tamen dici posset, ista Principia ab æterno fuisse, atq; in æternum mansura, neq; aliquam superiorem causam agnoscere. ista enim caderent in Materiam duntaxat, quam ille ἀγέννητον cum multis alijs somniavit: non in Formam, multoq; minus in Privationem. namq; hanc ne existere quidem, nisi in instanti; eodemq; momento, quo existere incipit, rursus interire, fatentur Peripateticorum acutissimi, sicuti antea audivimus. Formam verò aut existere ante

ante compositi ortum, aut eo destructo manere, nequaquam ipsi volunt, nisi de sola Anima humana; quam tamen esse hominis Formam, non omnes inter se consentiunt. Non de nostris igitur magis, quam de Aristotelis Principijs falsum est hoc dogma, quod Principia absolute facit æterna; quod ipsi quoq; viderunt Peripatetici: qui propterea ad illud aliquo modo defendendum ridiculas, ut solent, & cum verbis Aristotelis planissime pugnantes opiniones commenti sunt. Namq; Ammonius, Simplicius, Philoponus, Toletus, alteram istius sciti partem, *Quod Principia semper debeant manere*, ita intelligendam dixerunt, *Quod in omni generatione adinveniantur*, *ita illa dictio*, semper, *non temporis æternitatem, sed transmutationis universalitatem significet.* Archangelus autem Mercenarius hanc expositionem rejiciens, ipse ait, *Germanum hujus propositionis intellectum esse; oportere Principia semper manere in ratione Principij, ita ut ex alijs minime fiant.* Sed falluntur utriq; haud dubie, neq; aliud cum hoc Axiomate sibi voluit Aristoteles, quam quod ipsa verba sonant, nimirum Principia in æternum manere, atq; fine carere, ita ut illa dictio, *semper*, temporis æternitatem significet. De hac expositione, quæ & Alexandri est, & è verbis necessario sequitur, dubitare non sinunt testimonia paralella, hic ex alijs Aristotelis locis à nobis adducta, in quibus non tantum ἀγέννητα, *ortus expertia*, Principia esse vult, sed & ἄφθαρτα, *ab interitu immunia.* Sed Aristoteli evenit hic, quod alibi sæpissimè, ut in condendis hisce axiomatis magis aliorum placita, quam sui ipsius, ab oculos habuerit: aut potius ne condiderit quidem ipse hæc axiomata, sed ea transcripserit ab alijs, non observato, quod sicuti cum ipsorum placitis plane concordabant, ita à suis plurimum dissentiebant. Etenim Prisci illi quanquam omnem Effectorem omnemque Materiam Principiorum nomine appellabant, præcipuè tamen hoc vocabulum attribuebant Generali Effectori, ac Materiæ; nimirum Deo, ac Corpori illi, vel illis corporibus, è quo vel quibus totum Mundum primitus factum dicebant. Materiam autem illam faciebant Deo coæternam, quippe

Cap.II.

In Dilucid.

Cap. II. qui crederent (in quo sane errabant quam crassissime) nullam substantiam, ne Divina quidem virtute, posse è nihilo gigni; sicuti itidem persuasum illis erat, nullum corpus posse in nihilum redigi. hinc igitur nata sunt apud illos hæc pronunciata, Quod Principia (videlicet illa prima, Deus, & Materia communis) sint æterna, ita ut ab æterno fuerint, atq; in æternum mansura sint; quodq; nec à se, vel ex se invicem, neq; ab alijs vel ex alijs orta sint, nullamq; superiorem causam, ac nullum prius Principium agnoscant. Quæ omnia sicuti verissima forent, si vera esset hypothesis cui superstructa sunt, nimirum somnium illud de Materiæ æternitate; ita necesse est omnino falsa deprehendantur in tribus illis Principijs internis, Materia, Forma, & Privatione (quibus solis Aristoteles ea accommodavit, sicuti è primo Physicorum liquet) etiamsi vera essent, quæcunq; bonus vir de ijs somniavit: quare nimis imprudenter Axiomata, quæ de suis Principijs, neq; ijs omnibus, sed universalibus duntaxat, Veteres protulerant, ad sua Principia particularia interna accomodavit.

IV. Ducem verò sibi habuit in hoc errore Platonem, qui itidem Veterum hæc axiomata à Generalibus Principijs ad specialia transtulit, sed dispari tamen ratione quam Aristoteles. Non enim internis, sicut hic, sed externis sive Effectivis ipse ea applicavit, sicuti docebit insignis hic è Phædro locus, cujus tantum non ipsa verba ijs in locis Aristoteles, ubi Principiorum proprietates recenset, videtur exscripsisse. ita autem se habet: Ἀρχὴ δὲ, ἀγέννητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον, γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ, μήδ' ἐξ ἑνός. εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο: Ἐπειδὴ δὲ ἀγέννητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἐξ ἐκείνης ἄλλο γεννήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. *Principium autem est ortûs expers. quippe omne id, quod fit, è principio fieri necesse est; ipsum autem, è nullo. si enim principium ex aliquo fieret;*

Cap. II.

fieret, ex principio non fieret. Quandoquidem autem ortûs expers est, & ab interitu immune esse necesse est. namq́; si principium periisset, neq́; ipsum unquam ex alio, neq́; ex ipso aliud fieret, siquidem omnia è Principio fieri oportet. Non de omni Principio hæc dici à Platone, sed de solo Effectivo, Anima nimirum, patet cuivis inspicienti locum; cujus scopus est, probare Animæ immortalitatem. probationem autem suam inde desumit Plato, quod omnis Anima se ipsam movet. Quidquid enim semper movetur, semper etiam vivere: semper autem moveri Animam, quippe quæ non ab alio moveatur, sed à seipso. & infert. τὸ αὑτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. *Quod seipsum movet, nunquam cessat moveri, quippe non deserens se ipsum. sed & alijs, quæcunq́; moventur, hoc motûs principium ac fons est.* quibus verbis tunc subjungit illa, Ἀρχὴ δὲ ἀγέννητον, & reliqua modo à nobis recitata. ut planissime appareat, eum non omni Principio, sed Effectivo tantum, sive Animæ, vindicare, ut sit ἀγέννητος καὶ ἄφθαρτος, quod etiamnum magis confirmant ista consequenter posita, Ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν καὶ λόγον τοῦτο αὐτό τις λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. *Quum planum factum sit, id, quod seipsum movet, immortale esse; si quis hoc ipsum dicat esse animæ essentiam ac rationem, non pudefiet [i. e. revinci non poterit.]* & mox, εἰ δ᾽ ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν, ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγέννητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. *Quodsi autem hoc ita se habet, nihil alind esse id, quod se ipsum movet, nisi animam, necessario anima erit ortûs atq́; interitûs expers.* Quod verò soli Efficienti Principij generale vocabulum velut peculiare hic attribuit Plato, id facit non præter morem suum, qui & alijs in locis id facere soleat, & præsertim in decimo de Legibus: è quo libro addiscere etiam est (quod & hic in Phædro non obscure innuitur) Efficiens & Animam apud Platonem reciprocrari, ac plane idem esse: cu-

Cap. II. jus rei ratio petenda est ex illis verbis, ubi animam dicit πηγὴν καὶ ἀρχὴν πάσης κινήσεως, *omnis motus fontem ac principium*. Motus autem dictionem non in angusta illa significatione sumit, qua solum motum localem denotat, sed in lata illa, in qua & Aristoteli est familiaris, quæque omne mutationis genus comprehendit; sicuti apparet ex hisce locis, è decimo Legum desumptis: [ἡ ψυχὴ] πρῶτον γενέσεως καὶ φθορᾶς αἴτιον ἁπάντων. *Anima est prima causa ortus & interitus omnium*. item, μεταβολῆς σωμάτων καὶ μετακοσμήσεως ἁπάσης ἀρχή. *Omnis corporum mutationis ac in novum statum deductionis auctor est*. & postea [ψυχὴ κίνησις] ἑαυτήν τε ἀεὶ καὶ ἕτερα δυναμένη κινεῖν, κατά τε συγκρίσεις, ἔν τε διακρίσεσιν, αὔξαις τε καὶ τῷ ἐναντίῳ, καὶ γενέσεσι, καὶ φθοραῖς. *Anima est motus* [*i. e. principium motivum*] *quæ & seipsam semper, & alia movere potest, tum in congregationibus ac secretionibus, tum in incrementis & in contrario, itemque in ortibus ac interitibus*. ac mox, ἡ ἑαυτήν τε κινοῦσα, καὶ ἕτερα, ἐναρμόττουσα πᾶσι μὲν ποιήμασι, πᾶσι δὲ παθήμασι, καλουμένη δὲ ὄντως τῶν ὄντων πάντων μεταβολή τε καὶ κίνησις. *Quæ seipsam aliaque movens, & ad omnes concurrens effectus atque passiones, verè appellatur omnium Entium mutatio atque motus*. (in quibus verbis quod actionum nomina pro ipso Agente ponit, in eo facit rem sibi valde suetam) & rursus, Ἆρα ἔτι ποθοῦμεν, μὴ ἱκανῶς δεδεῖχθαι, ψυχὴν ταὐτὸν ὄν, καὶ τὴν πρώτην γένεσιν καὶ κίνησιν τῶν τε ὄντων καὶ γεγονότων καὶ ἐσομένων, καὶ πάντων αὖ τῶν ἐναντίων τούτοις: ἐπειδή γε ἀνεφάνη μεταβολῆς τε καὶ κινήσεως ἁπάσης αἰτία ἅπασι. *Numquid igitur adhuc desideramus, quominus sufficienter demonstratum sit, quod Anima idem sit cum prima generatione ac motione eorum quæ sunt, quæque fuerunt ac erunt, omniumque etiam iis contrariorum: postquam quidem apparuit eam omnibus causam esse omnis mutationis ac motus*. Ex hisce locis sicuti evidenter colligitur id, quod demonstrandum suscepimus, Platonem per motum intelligere omne genus mutationis:

Cap. II.

ita ex ijsdem quoq; liquet, quod prius dicebamus, eundem solam Animam habere pro Efficiente, quippe quam omnis mutationis facit autorem; in quam sententiam quoq; dicit eodem libro Τὴν ψυχὴν ἁπάντων τεθέον αἰτίαν, διοικοῦσαν τε καὶ ἐνοικοῦσαν ἐν ἅπασι τοῖς πάντη κινουμένοις: ἄγειν τε πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν ταῖς ἑαυτῆς κινήσεσι, εἰς αὔξησιν καὶ φθίσιν, καὶ σύγκρισιν καὶ διάκρισιν. *Anima ponenda est omnium causa, omnia dirigens, ac in omnibus inhabitans, quæ ubicunq; moventur; omniaq; in cœlo, in terra, atq; in mari ducens suis ipsius motibus ad incrementum & decrementum, itemq; ad concretionem & secretionem.* itidemq; in Phædro (quanquam obscuriuscule) Ἡ ψυχὴ πᾶσα παντὸς ἐπιμελεῖται τοῦ ἀψύχου. *Omnis anima curam gerit omnis rei inanimatæ.* & in Epinomide, τῷ τῆς ψυχῆς γένει προσήκει, πλάττειν καὶ δημιουργεῖν. σώματι δὲ, πλάττεσθαι καὶ γίγνεσθαι. *Animæ convenit effingere ac fabricari: corpori autem, effingi & fieri.* & postea, Τὸ μὲν [ἡ ψυχὴ] αἴτιον ἁπάντων. τὸ δὲ [τὸ σῶμα] ἀναίτιον πάσης πάθης. *Anima omnium causa est. corpus autem nihil confert ad quamcunq; passionem [efficiendam.]* Quanquam autem solam Animam facit Principium Effectivum, non propterea denegat corporibus (tum simplicibus, tum compositis, quatenus ex simplicibus constant) vires effectivas. namq; quatuor illa, Terram, Aquam, Aërem, Ignem, aliaq; ex his conflata, agnoscit habere facultates suas, nequaquam ab Anima manantes: quas etiam enumerat, calorem, frigus, gravitatem, levitatem, duritiem, mollitiem, colores, sapores, & si quæ sunt his similia. Iis tamen Principij atq; Efficientis appellationem denegat, quia nullum ipsæ motum incipiunt, sed necesse est prius ab alio, nimirum Anima, moveantur, quàm ipsæ alteram rem moveant; neq; quicquam sua sponte efficiunt, sed Animæ Efficienti inserviunt: quare corpora, cum illis facultatibus sibi proprijs, vocat κινήσεις ἑτέρας μὲν δυναμένας κινεῖν, ἑαυτὰς δὲ ἀδυνατούσας. *Motus, qui alia quidem possint movere; se ipsa autem non possint:* itemq;

Cap. II.

ἕτερον ἀεὶ κινοῦσας, καὶ μεταβαλλομένας ὑφ' ἑτέρου. *qui aliud semper moveant, ac ab alio mutentur.* & facultates quoq; illas vocat δευτερουργοὺς κινήσεις, *motus secundario operantes*, sicuti eas quæ Animæ propriæ sunt, vocat πρωτουργοὺς, *primariò operantes.* Principium igitur Effectivum Platoni est sola Anima, quia hæc ex ipsius opinione est in quaq; re primum movens: & Principium movens, ac Primum movens, ab ipso pro eadem re habentur; sicuti declarant hæc verba, ex eodem libro, è quo præcedentia omnia, nimirum Decimo Legum, desumpta: Ὅταν ἕτερον ἄλλο ἡμῖν μεταβάλλῃ, καὶ τοῦτο ἄλλο ἕτερον ἀεὶ, τῶν τοιούτων ἄρα ἔσται τὶ πρῶτον μεταβάλλον; καὶ πῶς, ὅταν ὑπ' ἄλλου κινῆται, τοῦτ' ἔσται ποτὲ τῶν ἀλλοιούντων πρῶτον; ἀδύνατον γάρ. ἀλλ' ὅταν ἄρα αὐτὸ αὑτὸ κινῆσαν, ἕτερον ἀλλοιώσῃ, τὸ δ' ἕτερον ἄλλο, καὶ οὕτω δὴ χίλια ἐπὶ μυρίοις γίγνηται τὰ κινηθέντα, μῶν ἀρχή τις αὐτῶν ἔσται τῆς κινήσεως ἁπάσης ἄλλη, πλὴν ἡ τῆς αὐτῆς αὑτὴν κινησάσης μεταβολή; & mox, Ἀρχὴν ἄρα κινήσεων πασῶν καὶ πρώτην, ἔν τε ἑστῶσι γινομένην, καὶ ἐν κινουμένοις οὖσαν, τὴν αὑτὴν κινοῦσαν φήσομεν ἀναγκαίως εἶν. *Quando unum aliud immutat, idq; rursus aliud porro, horumne aliquod erit primum mutans? & quomodo, quum ab alio moveatur, hoc erit primum alterantium? sane impossibile id est. Sed quum aliquid seipsum movens, aliud alteraverit, idq; rursus aliud, & sic multa millia fiant eorum quæ moventur, num omnis ipsorum motus aliud erit principium, præterquam mutatio ejus motus, qui ipse seipsum movet. Itaq; necessario dicemus principium motuum ac primum movens esse, & in ijs existens quæ stant, & in ijs quæ moventur, id quod seipsum movet.*

V. Quanquam igitur Plato priscis in eo consenserit, quod Deum ita facit Mundi autorem, ut Materiam ipsi faciat coæternam, quare ijs etiam consentire debuit in eo, ut hasce ἀγεννησίας καὶ ἀφθαρσίας *æternitatis ortu atq; interitu carentis* conditiones duobus illis primis Principijs principaliter attribueret: præterea tamen alteri quoq;

Princi-

Principiorum particularium, videlicet omni Efficienti, eas assignavit, ut superiora testimonia docent. In quo sane non minus fallitur, quam Aristoteles, qui eas Principijs suis internis, Materiæ, Formæ, Privationi, attribuit. Nam quantum ad Immortalitatem, ea falsò omnibus Animis attribuitur, quum solis humanis competat, reliquis omnibus statim in ipsa morte, sive compositi dissolutione, pereuntibus, non quidem in nihilum, sed eo tamen modo, ut Animæ esse desinant, amittantq; eas proprietates omnes, per quas fiebat, ut in corpore dum essent, Animarum dignitatem obtinerent. Æque igitur in hoc errat, quod omnem Animam facit immortalem, ac Aristoteles, qui omni Principio hanc prærogativam asserit. magis tamen sibi constat, quam Aristoteles. hic enim falsa loquitur, etiamsi vera esset ipsius de Principijs internis doctrina. quippe solam Materiam manere statuit; Formam autem perire, simul ac compositum perit; & privationem, simul ac compositum generatur. Plato autem vult, omnem Animam esse immortalem, atq; post excessum quoq; è corpore, manere, ac subinde nova corpora induere: ita ut omnium viventium similes sint inter se animæ, & quæ nunc est Formicæ, Ostrei, aut Asini, alias esse possit hominis, & contra. notum enim est, tum ex alijs libris, tum præcipue ex hoc legum decimo, itemq; Phœdone, ac Timæo, eum amplexum fuisse Pythagoricam Metempsychosin. quæ res etiamsi est delirij plenissima, sibi tamen (ut diximus) in eo constat Plato, quod omne Principium sive Efficiens facit immortale. hoc enim sequitur ex Metempsychosi, præsertim quomodo ipse eam statuit, qui in Phœdone plurima verba facit ut persuadeat, non aliquibus modo corporibus superstitem manere Animam, neq; post detrita aliquot domicilia, ipsam quoq; tandem interire: sed æternum hunc esse ipsi immigrationis in corporea habitacula atq; emigrationis orbem, ita ut ipsa nihil unquam de suo statu deperdat, eademq; semper maneat quæ erat prius. Quantum verò ad argumentum illud, quo Animarum immortalitatem ex eo probat, quod seipsas movent, id nullius

plane

plane est ponderis. cujus enim voluntate factum est, ut seipsas movere possent, ejusdem arbitrio hanc facultatem, quando ipsi visum est, rursus deponunt. Quare ut hæc argumentatio valeret, deberent Animæ illam sese movendi vim non ab alio accepisse, sed semper habuisse. & hoc quidem dicitur expresse in Phœdro, sed itidem collectum vitiosissimo syllogismo. quomodo enim ex eo, quod Animæ seipsas movent, colligit, eas semper mansuras; ita inde etiam concludit, eas semper fuisse. quæ sane consequentia nulla est, nisi ut monstretur prius, non posse Deum rebus impertire hanc facultatem, seipsas movendi, quum ea prius carerent. Hæc enim potestas Deo si tribuatur, corruit totus ille syllogismus, qui Animarum ἀγεννησίαν, *ortus carentiam*, ab earundem αὐτοκινησία, *facultate seipsas movendi*, deducit. Tribuit autem Deo hanc potestatem non Veritas modo, sed & ipse Plato: qui in Timæo diserte docet, Deum animas fecisse, non alias modo, sed & illam Mundi, de qua sic loquitur, Τὴν δὴ ψυχὴν οὐκ ὡς νῦν ὑστέραν ἐπιχειροῦμεν λέγειν, οὕτως ἐμηχανήσατο καὶ ὁ Θεὸς νεωτέραν. *Non autem quomodo nos nunc ultimo loco de anima dicere aggredimur, ita Deus quoque eam novissime fabricatus est.* paucisq; interjectis, Ὁ δὲ καὶ γενέσει καὶ ἀρετῇ προτέραν καὶ πρεσβυτέραν ψυχὴν σώματος, ὡς δεσπότιν καὶ ἄρξουσαν ἀρξομένου, συνεστήσατο. *Animam & generatione & præstantia priorem ac antiquiorẽ corpore, nimirum Dominam & imperaturam parituro, constituit.* & de particularibus Animis (sive Animabus quis mavult) itidem testatur Deum illas σπεῖραι καὶ ὑπάρξασθαι, *seminasse atque existere fecisse*. neq; Animas tantum à Deo factas, sed & Deos omnes inferiores ab eodem fabricatos asserit: quæ omnia quam longissime absunt ab eo somnio, imò illi ex diametro repugnant, quo res se ipsam movere potis, dicitur debere ab æterno fuisse. quare id pro futilissimo explodi debet, non modo ab amatoribus Veritatis, sed & à discipulis ipsius Platonis; qui & in Decimo Legum, quanquam ibi verbosissime tractat illam Animarum se ipsas movendi vim, nusquam illam consequentiam, quod

quod propterea oporteat eas ab æterno fuisse, attingit, sed hoc tantummodo ibi profitetur; quod Anima sit corpore prior, atq; ante ipsum facta, γενέσεως ἐν πρώτοις ὅσιν, σωμάτων ἔμπροσθεν ἁπάντων γενομένη. *Generata primò fuit, nata ante omnia corpora.* & postea, ψυχὴ πρῶτον, οὐ πῦρ, οὐδὲ ἀὴρ: ψυχὴ δ' ἐν πρώτοις γεγεννημένη, &c. *Anima primò fuit, non ignis, nec aer. sane anima inter prima est genita.* & plus semel dicit, τὴν ψυχὴν πρεσβυτέραν εἶν τῶ σώματ☉. *Animam corpore vetustiorem esse.* & disputationem illam de Animæ prioritate ita concludit. Ὀρθῶς ἄρα καὶ κυρίως ἀληθέστατά τε καὶ τελεώτατα εἰρηκότες ἂν εἶμεν, ψυχὴν μὲν προτέραν σώματ☉ γεγονέναι ἡμῖν, σῶμα δὲ δεύτερόν τε καὶ ὕστερον ψυχῆς, ἀρχούσης ἀρχομένου κτ φύσιν. *Recte itaq; ac proprie, & verissime perfectissimeq; dixerimus, animam priorem corpore genitam esse, corpus autem secundo loco ac post animam, quum naturaliter hæc imperet, illud autem pareat.* In hisce Animam corpore vetustiorem ita prędicat, ut eam dicat non fuisse prius, sed prius factam esse; quod adhuc expressius dicit in Duodecimo Legum versus finem, Ἡ ψυχὴ πρεσβύτατόν τε καὶ θειότατον ἐστι πάντων, ὧν κίνησις γένεσιν παραλαβοῦσα ἀέναον οὐσίαν ἐπόρισεν. *Anima est antiquissima ac divinissima omnium, quibus motus* [id est, principium movens sive Efficiens] *assumta generatione, perennem essentiam exhibuit.* quæ verba subobscura mox alijs clarioribus ita explicat, ψυχὴ ἐστι πρεσβύτατον ἁπάντων, ὅσα γονῆς μετείληφεν, ἀθάνατόν τε. *Anima est antiquissima omnium, quæ generationem sortita sunt, atq; immortalis.* qui loci plane contrarium dicunt illi in Phœdro, ubi Animæ statuuntur ἀγέννητοι.

VI. Et ut hoc in transitu dicamus; ne illud quidem, quod Anima sit corpore prior, evincitur ipsius argumento; quod ita se habet. Anima inquit est ἀρχὴ, *princeps*, & corpus ἀρχόμενον, *sub principe positum*, duplici respectu, namq; Anima & ἀρχὴ est, quatenus primò movet, &

Cap.II.

corpus ἀρχόμενον utpote quod non moveat, nisi accepto ab Anima movendi initio: & præterea Anima est ἀρχὴ, quia imperat; corpus ἀρχόμενον, quia ipsi imperatur, animaq; imperium in ipsum obtinet. utroq; autem respectu indecorum putat, τὸ ἀρχόμενον τῆς ἀρχῆς ortu prius esse; proptereaq; Deum nequaquam voluisse committere ut animam posterius quam corpus fabricaret. hoc indicant postrema verba testimonij ultimo loco à nobis positi, itemq; ista in Timæo, Οὐ γὰρ ἂν ἄρχεσθαι πρεσβύτερον ὑπὸ νεωτέρου συνείρξας εἴασε. *Quippe vetustiore & juniore in unum conclusis, illi ab hoc imperari passus non fuisset.* & vehementius adhuc inculcat illud in Epinomide, πρεσβύτερον ψυχὴ σώματος ἅπαντος παντός. ὃ γὰρ ἄμεινον καὶ παλαιότερον καὶ θεοειδέστερον, πιθανὸν ὅτι τοῦ χείρονος καὶ νεωτέρου καὶ ἀτιμοτέρου, πανταχῇ τε ἄρχον ἀρχομένου πρεσβύτερον, καὶ ἄγον ἀγομένου πάντῃ. *Omnis anima omni corpore antiquior est. quod enim est melius, vetustiusq; ac divinius, & omnimodis imperans, ac quoquo ducens, id probabile est antiquius esse pejori, ac juniori, & viliori, eoq; quod paret & ducitur.* in quibus verbis hoc mirifici inest, quod τὸ παλαιότερον *vetustius* colligit esse πρότερον καὶ πρεσβύτερον, quod est plane τὸ ἐν ἀρχῇ κείμενον sumere. Sed ut hoc mittamus; quam inanis sit utraq; ista ratio, verbo monstrari potest, nemo enim negaverit, fabrum æque commode posse uti suis instrumentis, si ante ipsum, quàm si post facta sunt. & quod natu priora sint etiam præstantiora, falsum scimus ex hominis creatione, qui post omnia factus est, quum dignitate esset ante omnia, saltem ante mundum hunc, omniaq; quæ in eo continentur. & non modo ipse factus est posterius ijs, quibus usurus & imperaturus erat, sed & in ipso ἡ ἀρχὴ τοῦ ἀρχομένου posteriorem sortita est generationem; si quidem corpori prius efformato, postea Animam Deus inspiravit. Quanquam igitur verum fortassis est in quotidianis atq; ordinarijs generationibus, animam esse corpore priorem, neq; aliter fieri potest, quia ipsa sibi corpus anima architectatur; in illa tamen generatione, ubi

non

non anima tantum, sed & corpus ab alio fit Efficiente, minime id necesse est, ut anima corporis ortum tempore præcedat, & nequaquam id efficiunt Platonis rationes; qui eas non ad illum modo, sed & ad hunc ortum extendit, in quo anima non suum ipsa sibi domicilium fabricat, sed efformato ab alio Efficiente corpori imponitur. Cap. II.

VII. Sicuti autem fraudi fuit Aristoteli, conditiones illas, quas duobus Principijs primis attribuerant Antiqui, inconsiderate ad tria illa sua Principia transferre, non perpenso diversam admodum esse utrorumq; rationem; ita & Plato deceptus fuit, easdem Principijs Effectivis quibusvis accommodando. Namq; illa, *Principium non debere ex alio fieri, quia sic ipsum non esset Principium. neq; debere perire, quia non esset unde rursus fieret:* vera sunt, ad Veterum mentem. qui cum censerent (falso quidem, & impie, sed censerent tamen) Materiam non posse á Deo fieri; convenienter suis hypothesibus dicebant, Principia prima utraq; debere ab æterno fuisse, & in æternum manere: quia alterutrum, si sublatum semel foret, revocari aut reparari nullo modo posset. De Principijs autem Effectivis particularibus falsissima hæc sunt, in Platonis quoq; schola, ubi cum statuatur Deus omnes animas ab initio creavisse; posset alias, quotiescunq; vellet, de novo creare, etiamsi omnes priores sublatæ essent. atq; quam apertissime ista sibi adversantur, tradere Deum omnium animarum Creatorem; & Animas, quia Principia sint, non debere ex alio fieri. nam sive illud ἐξ Materiam denotet, sive Efficiens, sive utrumq;, omnino ἐξ ἄλλε factæ sunt animæ, secundum ea quæ in Timæo docentur. namq; & Deum ijs dat efficientem, & Materiam ijs non potest denegare, quum fuerit in eadem cum Veteribus alijs hæresi; quod substantiam nullam ex non substantia creare Deus possit: quod si in corporibus verum est, in animas quoq; tanto nobiliores substantias expetat necesse est. & ipse diserte scribit, ex Materia factas esse illas propria quadam ac peculiari, neq; intelligibili, quales sunt Ideæ, neq; corporea, quali constant Elementa (fal-

Cap. II. so enim hoc præceptori imponit Aristoteles quod ἐν Τιμαίῳ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν ςοιχείων ποιεῖ, *in Timæo Animam ex Ele-*

1. De Anim. 2. *mentis faciat*, sed tertia quadam inter utramq; media : de qua Animæ Materiâ multa nugatur absurda plane ac ridicula, ad ostendendam scilicet intimam quandam Pythagoricæ Mathematicæ scientiam : quæ pro mysterijs, ac immensæ cujusdam sapientię involucris, suspiciunt ac venerantur stulti : quum revera nihil sint aliud, nisi inanissima ac nullius frugis commenta. Non enim Aristoteles tantum innumera, sed & Plato permulta in Philosophiam invexit ejusmodi figmenta, quæ si ab alijs profecta essent, pro veteris ægroti somnijs condemnaturi essent etiam illi, qui nunc tantopere ea admirantur, ut maximos humanæ sapientiæ thesauros in ijs latere, sibi persuadeant. quorum nos hominum infœlicissimam sortem & ridemus sæpè, & miseramur : qui ipsi sic affecti simus, ut nemini quidem concedamus in Veteribus candidè tractandis, ubi Veritatem tenuerunt, aut aliquo modo ad eam accesserunt; semper tamen illibatam servemus libertatem ad ea, quæ ipsi falsa aut absurda protulerunt, aperte ac fortiter repudianda, ac quoties res fert etiam confutanda. Sed ut ad rem redeamus; apparet omninò vanam esse illam in Phœdro argumentationem, qua animæ statuuntur immortales, quia sint Principia; Principijs autem non competat, ut ex alio fiant, sed ut alia fiant ex ipsis. hoc enim non omnibus Principijs proprium est, sed Primis duntaxat, quę & Veteribus plerisque, & ipsi, duo erant, revera autem non nisi unum est; nimirum Deus. reliqua autem Principia non eo minus sunt Principia, quia ab alio facta sunt; sed inde id tantum habent, ut non possint Principia prima dici, sed secunda; non verò, ut omninò Principia dici non mereantur. Itaque & ipse tum in Timæo, tum in Decimo Legum, animas vocat ἀρχὰς, *Principia*, quanquam ijs in libris fateatur, eas factas esse à Deo, ac proinde ἐξ ἄλλου *ex alio*. Ex alio, dicimus, id est ab alio. ita enim intelligi debere illa in Phœdro, evidenter apparet; quandoquidem illic de Animis sub Principiorum nomine agens, ait, omnia debere fieri ἐκ τῶν ἀρχῶν, hoc est, à Principijs. aliter enim hoc exponi non potest, nisi

ut

ut ipsius menti manifeste contradicatur, quum nusquam dicat, aliquid fieri ex Animis, tanquam è Materia, sed omnia fieri ab illis, tanquam ab Efficiente. Et tantum quidem dictum sit de conditionibus ἀγεννησίας atque ἀφθαρσίας, quas Principijs Primis à Veteribus attributas, ad Principia secunda sive particularia Plato & Aristoteles, sed diversis modis, transtulerunt.

VIII. Alia Principiorum conditio ab Aristotele posita; hæc est, ut sint invicem contraria. Ἐναντίας δεῖ τὰς ἀρχὰς, *Principia oportet esse contraria*, inquit primo Physicorum. sed neque hæc conditio Principijs nostris competit. Quantum enim ad Principia Compositiva, neq; Anima Corpori, neq; Materia Naturæ, neq; partes Naturæ inter se sunt contrariæ, nisi Contrarij Vocabulum latissime sumas ad significandum quicquid quocunq; modo est dissimile. & ita sumi quoq; solet, non ab Aristotele modo, sed & à Platone, Galeno, alijsque. Supervacua tamen, ne dicamus inepta; erit hæc Principiorum conditio sub ista Contrarij acceptione; quum nihil amplius inde cognoscatur, quam si omnino non poneretur. & certum est, Aristotelem non hoc voluisse, sicuti vel ista verba è capite sexto evincunt, ubi testatur se de tali agere contrarietate, qualis una est in omni genere; ἀεὶ γὰρ ἐν ἑνὶ γένει μία ἐναντίωσις ἐστί. *Semper in uno genere una est contrarietas.* Ista autem contrarietas non potest accipi de illa dissimilium (quippe talia contraria permulta sunt in unoquoque genere) sed de ea, quæ est aut inter duos habitus invicem oppositos ac quam plurimum dissidentes, aut inter habitum & privationem. Talis autem Contrarietas in nullo eorum est, quæ modo nominavimus. Quanquam enim multa dentur corpora, quæ in alia sui parte sunt dulcia, in alia amara; in alia alba, in alia nigra; inde tamen non sequitur, partes Naturæ istius corporis esse inter se contrarias. Namq; Natura corporum dissimilarium non constat proxime ex qualitatibus illis, quæ sunt in singulis partibus, sed ex integris Naturis partium similarium. & licet darentur corpora similaria, in quorum Natura ista contrarietas inveniretur, hoc tamen non

faceret fulciendo isti axiomati, quum multo major Principiorum Componentium pars ab ista contrarietate immunis sit. Sed neq; inter Principia Effectiva & Compositiva invenitur contrarietas, neq; dici potest, cur Efficiens contrarium sit vel Materiæ vel Naturę; nisi verum sit illud axioma, quod omnem actionem & passionem vult inter contraria fieri. hoc pacto enim utriq; contrarium esset, & Naturæ, utpote quam generat, & Materiæ, quam alterat, Naturam ipsi ingenerando. sed nobis veritatem habere non videtur hoc effatum, sicuti in libro quarto, ad quem magis proprie pertinet hæc disquisitio, demonstraturi sumus.

IX. Nostris igitur Principijs non quadrat hæc conditio; quod sane mirum non est, quum ne Aristotelicis quidem congruat. Etenim neque Materiam & Formam, neq; Privationem & Materiam inter se contraria esse aut ipse dixit, aut quisquam de ipsius sectatoribus. & neq; dicere possunt, cum statuant, unum contrarium non posse esse in altero tanquam in subjecto: ast & Formam & Privationem in Materia inesse dicunt; quare hæc non possunt Materiæ contraria statuere. Itaq; sola Forma & Privatio relinquuntur, de quibus verum esse queat hoc effatum, Principia debere esse contraria. quod animadvertens Toletus, sic excusare conatur: *Propositio illa indefinita est, Principia sunt contraria, id est, aliqua Principia.* Quum igitur nequaquam sit generalis hæc conditio, nequaquam tot de ipsâ verba facere debuerat Aristoteles, etiamsi vera essent, quæcunq; de Forma & Privatione ipse tradit: quum per se apertum esset, illa privative invicem opponi. Tantopere tamen in hac Thesi sibi placuit, ut magnam partem istius primi libri physicorũ in ea consumpserit, neq; contentus varia in hanc rem ab Accidentibus exempla adduxisse, Veteres quoq; faciat hujus sententiæ suffragatores: quod fecit perquam incommode, & maxima cum confusione. res enim diversissimas (quod jam supra ex parte monuimus) corrasit, atq; in unum acervum conjecit; Parmenidis Frigidum & Calidum, sive Terram & Ignem; Xenophanis Humidum & Siccum, sive Aquam & Terram; Thaletis aliorumq; Densum & Rarum;

1 Phys. quæst. 11.

Democriti Solidum & Inane, Itemq; ejusdem Positum, Figuram, Ordinem; Pythagoreorum Par & Impar; Empedoclis Amicitiam & Litem; ut mirum sit, qua ratione dicat, Veteres hosce omnes, quatenus τ' ἀναντία ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς, ταῦτα λέγειν πῶς, ἢ ἀνάλογον, *contraria habent pro principijs, idem dicere, saltem analogice.* quæ enim hic anologia, ubi unus loquitur de Principijs Materialibus, alter de Effectivis, alius de Formalibus (ut ipsius more nunc loquamur.) Sane ad confirmationem ejus theseos, quod omnis Forma substantialis oppositam sibi habeat Privationem, quodq; in omni generatione hæc illam præcedere debeat, facere nonnihil fortasse potest, quod Veterum nonnulli Densitatem & Raritatem, alij Par & Impar, alij aliud quoddam par ejusmodi faciebant Principia Generationis. quomodo verò eodem pertineat, quod alij statuebant Materiæ diversas species, diversis aut contrarijs qualitatibus instructas, alij verò Efficientes primos introducebant duos, invicem adversantes seu contrarios; id verò pervidere non possumus. Sed hoc misso, ad potiora prævertamur.

SECTIO QVINTA.

DE CAVSIS.

I. *Causæ nomen soli Efficienti damus. id fecerunt etiam Stoici.* II. *Veteres quoq; ante Aristotelem idem videntur fecisse.* III. *Eadem quoq; fuit Platonis sententia, quo respectu ille Elementa sive Materiam concausas vocaverit.* IV. *Amplius docetur, quid Platoni sint Concausæ. Aristoteles quoq; Concausas eodem sensu ac Plato dixit.* V. Causa Divina *Platoni non est Finis, sed Efficiens.* VI. *Testimonia, quibus docetur, Platonem soli Efficienti proprium fecisse Causæ nomen. Valesij* παρόραμα *super doctrina Platonis de Causis.* VII. *Senecæ, Toleti, aliorumq; error; Platoni ascribentium, quod quinq; vel sex Causarum genera fecerit.* VIII. *Aristotel*

Cap. II.

stotelis in Platonem calumnia, quod solâ Materiali & Formali Causâ usus sit. IX. *Idea, Platoni Causa Efficiens.* X. *Ideis nequaquam convenit cum Forma Aristotelica, sed Idearum simulacris: quid illa sint Platoni.* XI. *Ista simulacra nequaquam pro Causa habuit Plato.* XII. *Ideas à Platone inter Causas Efficientes haberi; negat Aristoteles; & sic omnem calumniæ suæ (qua Platoni imponit quod Efficientem Causam neglexerit) excusationem sibi præcludit.* XIII. *In vulgato etiam loquendi usu Causa & Efficiens pro iisdem habentur.*

QUum Principii ac Causæ vocabula tam cognata sint Aristoteli, significationesq; ita affines obtineant, ut sæpè parum aut nihil inter ea distinguat, alterumque pro altero usurpet; & non rarò etiam per vices alterum alterius & genus & speciem faciat (sicuti ista superius suis locis demonstravimus) mirum non est, si & tractatio ipsorum apud ipsum est conjuncta, atq; adeo confusa. Nostra verò alia est ratio, atq; in generali de Principiis sermone pauca nobis de Causis dicenda sunt, itidem ac de Elementis & Natura; quandoquidem uti hæc, ita Causæ quoq; una tantum Principiorum species sunt, ac proinde peculiarem sibi atq; accuratam seorsim edissertationem postulant. Quippe quod B. Augustinus quodam in loco dicit, *Omem Causam, Efficientem esse*, eadem nostra quoq; est sententia, neque discrimen inter ista ponimus, sed reciproca esse, atq; inter se converti existimamus; idq; inducti tum illustrium plerorumq; de Veteribus Philosophis exemplo, tum vulgata quoq; loquendi consuetudine: quæ sane in Philosophia quoque magni facienda est ad formandas sermonis leges, præsertim ubi ipsos hujus sapientiæ Antistites habet suffragatores; id quod hic evenit. Et verum hoc esse, quod plerique præter Aristotelem Philosophi Causam atq; Efficientem promiscue usurpaverint, tanquam unius ejusdemq; rei duo diversa nomina, inter quæ nihil intersit, haud obscure ostendi potest. Certè Stoici ita senserunt, sicuti vel ex illo

Senecæ

Senecæ testimonio, quod hujusdem Capitis Sectione tertia §. 1. aliâ occasione recitavimus, apparet; & non minus clare ex isto (quod in eadem Epistola 65. extat) *Stoicis placet unam Causam esse, Id quod facit.* idemq; à Laërtio etiam in vita Zenonis confirmatur. Quare sui oblitus, parumq; Stoice locutus alibi est Seneca, quando Elementa, Causas compositi nominavit, *Hoc interest (inquiens) inter Decreta Philosophiæ & Præcepta, quod inter Elementa & Membra. hæc ex illis dependent. illa etiam horum Causæ sunt, & omnium.* Cap. II. Epist. 65.

II. Prisci quoq; illi ante Aristotelem & Platonem Philosophi, videntur solam Causam agnovisse Efficientem. Namq; quod Formam non habuerint pro Causa, clarum est ex Aristotele, qui toties eos super hoc accusat; quod ne attigerint quidem illam, ut neque Finem, nedum ut illa inter Causas collocaverint. Materiam eos pro Causa agnovisse, videtur indicare lib. 5. de Gener. Anim. in principio, ubi ait eos non vidisse, πλείες ὄυσας τὰς αἰτίας, ἀλλὰ μόνον τὴν τῆς ὕλης, καὶ τὴν τῆς κινήσεως, *reliquas causas, sed duntaxat Materialem ac Moventem.* sed revera nihil aliud dicit, quam quod ex illo Causarum numero, quem ipse statuebat, duo tantum fuerint priscis Physiologis cognita; quod autem utrumq; eorum indigitaverit Causæ nomine, id non sequitur ex illis verbis, non magis quam ex illis 1. Metaph. 7. Ἀναξαγόραν δ᾽ εἴ τις ὑπολάβοι δύο λέγειν στοιχεῖα, μάλιστ᾽ ἂν ὑπολάβοι κατὰ λόγον, *si quis existimet Anaxagoram duo Elementa ponere, rationi maxime consentanea existimet*, sequitur quod Anaxagoras Mentem Divinam, Mundi Opificem, appellaverit Elementum: de quare & in præcedenti capite nonnihil diximus. Et veteres illos contrarium potius fecisse, soliq; Efficienti Causæ nomen tribuisse, ex eo colligas licet, quod ubicunq; de Materia sola loquuntur, eam semper generali Principii vocabulo (nondum inventis, aut potius ad hunc usum nondum translatis ut videtur, στοιχεῖα *Elementi* & ὕλης *Materiæ* vocabulis) appellant, Causæ vero nunquam.

Cap. II. III. Sed de his quidem in medio relinquatur. De Platone autem, non minus quam de Stoicis, clara res est, quod soli Efficienti proprium fecerit Causæ nomen, quicquid dicat ψευδώνυμος ille Plutarchus, autor nimirum libelli De placitis Philosophorum, qui inter Plutarchi opera circumfertur. ipse enim scribit, Materiam quoq; & Formam à Platone inter Causas fuisse relatas, sic inquiens: Πλάτων τριχῶς τὸ αἴτιον· φησὶ γὰρ ὑφ᾽ οὗ, ἐξ οὗ, πρὸς ὅ. *Plato triplicem statuit Causam, putà A quo, ex quo, Ad quod.* Addit quidem, quod Efficientem habuerit pro principali Causa, κυριώτερον δὲ ἡγεῖται τὸ ὑφ᾽ οὗ. sed revera soli Efficienti Plato Causæ nomen concessit, quod vel ex Timæo apparet, ubi τὸ ποιοῦν καὶ τὸ αἴτιον, *Efficiens & Causam*, tanquam prorsus synonyma usurpat. Et quanquam eodem in libro Causas ita dividit, ut aliæ sint primariæ, aliæ secundariæ, quarum has appellat ξυναίτια & ξυμμετάιτια, *concausas*, idq; nomen Elementis attribuit, è quibus corpora componuntur, terræ, aquæ, aëri, & igni: non tamen Elementa facit Concausas, quatenus Materiæ vicem gerunt, sed quatenus & ipsa quoque suam efficiendi vim habent, ac δραστήριος *efficaces* illas qualitates obtinent; quibus nonnullos tantum tribuisse ait, ut superiorem Efficientem nullam agnoscerent, illisq; solis omnem effectum ascriberent. Itaq; Elementa ipse fecit Concausas eodem respectu, quo alij illa faciebant Causas Principales, quatenus nimium viribus effectivis prædita sunt. Et proinde etiam dicit in eodem libro, Deum, Principalem Efficientem, in operibus suis usum fuisse Elementis, sive potius Elementorum Qualitatibus, tanquam αἰτίαις ὑπηρετούσαις, *causis ministrantibus*, eaq; τὸ ἀναγκαῖον τῆς αἰτίας εἶδος, *necessariam causæ speciem*, appellat, opponens nimirum τῷ θείῳ, *divina*, hoc est, ipsi Deo, primario effectori.

IV. Et non solere Platonem per Concausas intelligere peculiare Causæ genus, ab Efficiente distinctum, sed Efficientis quandam speciem, nimirum Efficiens minus principale;

cipale, atq; alteri Efficienti ad productionem sui Effecti ministrans, è Politico quoq; excipere licet, ubi quum dixisset, δύο τέχνας εἶναι περὶ πάντα τὰ δρώμενα, τὴν μὲν γενέσεως οὖσαν συναίτιον, τὴν δὲ αὐτὴν αἰτίαν, *duas artes versari circa omnia quæ fiunt, quarum altera sit generationis concausa, altera verò ipsa causa.* id porro ita explicat, Ὅσαι μὲν τὸ πρᾶγμα αὐταὶ μὴ δημιουργοῦσι, ταῖς δὲ δημιουργούσαις ὄργανα παρασκευάζουσιν, ὧν μὴ παραγενομένων οὐκ ἄν ποτε ἐργασθείη τὸ προστεταγμένον ἑκάστῃ τῶν τεχνῶν, ταύτας μὲν ξυναιτίους. τὰς δὲ, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἐργαζομένας, αἰτίας. *Concausas dicimus, quæ rem ipsam non efficiunt, sed efficientibus parant instrumenta, quibus non adhibitis nequeat effici id quod unicuiq; arti propositum est: Causas verò, quæ ipsam rem efficiunt.* Atq; hunc istius vocis usum, à Præceptore acceptum, ipse etiam retinuit Aristoteles, uti apparet ex hoc loco, Δοκεῖ δέ τισιν ἡ τοῦ πυρὸς φύσις ἁπλῶς αἰτία τῆς τροφῆς καὶ τῆς αὐξήσεως. τὸ δὲ, ξυναίτιόν πως μέν ἐστιν, οὐ μὴν ἁπλῶς γε αἴτιον, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ψυχή. *videtur quibusdam ignis simpliciter causa esse nutritionis & incrementi, quum potius concausa sit. non enim ipse simpliciter est causa, sed magis Anima.* quanquam autem in verbis proxime sequentibus Ignem Materiæ accenset, non tamen eum ξυναίτιον *concausam* vocat hoc respectu, sed inquantum est Agens Instrumentarium, sicuti claret è 2. de Gener. & Corrup. cap. 9. ubi similiter castigans eos, qui non aliud Efficiens agnoscunt, quam ipsam Materiam, quatenus Qualitatibus activis instructa est; ait eos errare, quod Instrumenta habeant pro principali Agente, similiterq; eos facere, ac siquis serram faceret principalem Causam & Efficiens ejus actionis, ad quam obeundam ipsa pro instrumento adhibetur. & subjungit, ὥστε εἰ ὅτι μάλιστα ποιεῖ καὶ κινεῖ τὸ πῦρ, ἀλλὰ πῶς κινεῖ οὐ προσθεωροῦσι. *quare licet omnino ignis efficiat & moveat, non tamen considerant quomodo moveat.* in quibus verbis quum fateatur ignem agere & movere, quanquam non principaliter; apparet quod hoc respectu in 2. de Anima, cum appellaverit

2. de Anima

quâ ratione, quo ordine.

Cap.II. συναίτιον, *concausam*, non inquantum Materia aut Materiæ pars est. prorsus ut hac in re Magistri ductum secutus videatur.

V. Falluntur autem in eo plerique, interq; eos Galenus, quod in Timæo per τὸ θεῖον τῆς αἰτίας γένος, *divinum causæ genus*, non ipsum Deum opificem, sicuti nos modo dicebamus, sed Causam Finalem putant designari; ad quam etiam referunt, quæcunq; in Phœdone περὶ τοῦ βελτίστου, *de optimo*, disputantur: adeo ut Fonseca asseveret, Nemini, qui Phœdonem legerit, dubium fore, quin ibi solum finem pro causa habeat Plato: disertis enim verbis eum hoc dicere; cæteraque, quæ videntur causæ esse, non pro causis habere, sed pro ijs, sine quibus causa non sit causa. Et in eandem sententiam scribit etiam Suarez; qui hoc ita solvit, ut dicat, Platonem & Socratem illo in loco Moraliter potius quam Physicè loqui. In Moralibus enim finem esse quodammodo totam causam actionum seu effectuum. sed neq; res vera est, neque solutio proba. namq; tantum abest, ut Socrates eo in loco Moraliter potius quam Physicè loquatur, ut tota illa de causis disputatio, quæ satis est prolixa, sit merè Physica, nihil Moralis admixtum habens, nisi unum alterumq; versiculum de condemnatione Socratis, ipsiusq; proposito, non aufugiendi, neq; pœnæ se subtrahendi. reliqua omnia, quæ ibi dicuntur, Physica sunt ut quicquam aliud, sicuti unusquisq; locum inspiciens statim deprehendet. Quantum verò ad rem ipsam, nihilo verius est quod dicunt, solum finem ibi à Platone aut Socrate causam statui. non modo enim non statuitur sola causa, sed ne causa quidem omnino. etsi enim multa ibi dicuntur περὶ τοῦ βελτίστου, *de optimo*, & quædam ejusmodi verba jaciuntur, unde aliquis, cui non satis familiare aut perspectum Platonicum dicendi genus, colligere posset, ipsum illud βέλτιστον, *optimum* statui causam, revera tamen res non ita habet; id quod probatu est facillimum. fatentur enim ipsi, estque per se manifestum, unam tantum causam illic à Platone poni. ast manifestissimis verbis declarat, Mentem esse rerum causam. itaq; ait, cum incidisset in librum

1.Metaph.7. quæst.1.sect.1.

Metaph.disp. 12.sect.3.§.4.

brum Anaxagoræ, in quo tradebatur, ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, *Quod Mens sit quæ omnia ordinat, omniumq; Causa est*, se gavisum fuisse ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ, *hac causâ*, & quod diceretur τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον, *Mentem esse omnium Causam* postea; culpat Anaxagoram, quod causâ hac à se invectâ non sit usus in reddendis rerum rationibus, προϊὼν καὶ ἀναγινώσκων, ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, αἰθέρας δὲ καὶ ἀέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον. *Pergens in legendo, video virum Mente ad nihil uti, nec ipsi causas ordinationis rerum acceptas referre, sed æthera, aeresq; & aquas facere causas.* Νοῦς, *Mens* igitur est illa Causa, quam tantopere illic deprædicat Socrates: cur autem tam multa adjungat περὶ τοῦ βελτίστου, *de optimo*, ea ratio est, quod Mentis est, facere unumquodq; ita, quomodo optimum factu est: ἔδοξέ μοι εὖ ἔχειν τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον, καὶ ἡγησάμην, εἰ τοῦτο οὕτως ἔχει, τόν γε νοῦν κοσμοῦντα, πάντα κοσμεῖν, καὶ ἕκαστον τιθέναι ταύτῃ, ὅπῃ ἂν βέλτιστα ἔχοι. *Visum mihi est recte habere, quod Mens sit omnium Causa, atq; existimavi, si id ita habet, Mentem omnino ordinare omnia, & unumquodq; disponere quàm optimè.* Et exemplo rem declarat, ἀμελήσας τὰς ὡς ἀληθῶς αἰτίας λέγειν, ὡς ἐπειδὴ Ἀθηναίοις ἔδοξε βέλτιον εἶναι ἐμοῦ καταψηφίζεσθαι, διὰ ταῦτα δὴ καὶ ἐμοὶ βέλτιον εἶναι δέδοκται ἐνθάδε καθῆσθαι. *Negligens veras Causas afferre, sicuti quod mihi melius visum est hic sedere, quia Atheniensibus melius visum est me condemnare.* in quo exemplo evidenter declarat, quid sibi velit in tota illa disputatione, nimirum, non ipsum τὸ βέλτιστον *optimum* esse causam, sed mentem, cui aliquid βέλτιον videatur, si quidem ὁ νοῦς (ut ibidem subjungit) πράττει τῇ τοῦ βελτίστου αἱρέσει. *Mens agit, eligendo optimum.* Et quam male ejus mentem capiant, qui dicunt eum, ipsum τὸ βέλτιστον inter causas referre, apparet ex Hippia majore, ubi ex professo tractans hanc thesin, conceptis verbis negat, τὸ καλὸν, *pulcrum*, hoc est finem,

Cap. II. debere inter causas referri. & negationem suam duplici probat argumento, tum quod solum Efficiens sit Causa; tum quod Finis & τὸ καλὸν, *pulcrum*, est Effectum, non Efficiens, τὸ γιγνόμενον, αἴτιον οὐκ ἔστι. *id quod fit, non est Causa.* quæ à nobis non eo dicuntur, ut Finem è Causarum numero eximamus, (quippe Finem certo modo esse Efficiens, ac proinde Causam, statuimus) sed ut genuinam Platonis super hoc negotio opinionem aperiamus, aliorumq; male ipsius dicta capientium errorem detegamus.

VI. Solum verò Efficiens esse Causam, hisce in Hippia verbis dicit Plato, τὸ ποιοῦν δέ γ' ἐστὶν οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ αἴτιον, *Efficiens nihil est aliud quam Causa.* Excipit quidem Suarez, ex hoc loco non recte tribui Platoni, quod Causam & Efficiens dixerit idem esse; quia illa propositio, *Efficiens nihil aliud est quam causa*; non possit simpliciter converti. sed fallitur. si enim dixisset Plato, Efficiens est causa. non poterat illa propositio converti, non magis quam illa, Causa est Principium. quippe inde non sequitur, omne principium esse causam. ast si dicamus, Causa nihil est aliud quam Principium: omnino inde recte inferas, solam causam esse Principium: & proinde etiam è verbis Platonis recte concludas, solum efficiens esse causam. reciprocantur enim tales propositiones. & Platonem voluisse ita sua verba intelligi, satis liquet, cum ex ipso disputationis filo, tum ex eo, quod ipse postea dicit, propositionibus illis inter se conversis, Οὐ δ' αἴτιον ποιοῦν ἐφάνη; πάνυγε. *Nonne confectum est, Causam esse Efficiens? Omnino.* Super omnia autem sunt, quæ in Philebo hac de re scribit. ibi enim apertissime declarat, solum Efficientem sibi pro Causa haberi. quippe dicit, Efficiens & Causam solo nomine differre, quum re ipsa unum & idem sint, Οὐκοῦν ἡ τοῦ ποιοῦντος φύσις οὐδὲν πλὴν ὀνόματι διαφέρει τῆς αἰτίας. τὸ δὲ ποιοῦν καὶ τὸ αἴτιον ὀρθῶς ἂν εἴη λεγόμενον ἕν. *Itaq; Efficiens nihil nisi nomine differt à Causa: & recte dicatur, Efficiens atq; Causam idem esse.* Itaq; Diogenes etiam Laërtius, Platonis dogmata recensens, observavit, solum

Disp. 12. sect. 3. §. 6.

solum Efficiens causæ nomine ab eo donari: Δύο τῶν πάν- Cap. II.
των ἀπέφηνεν ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην, ὃν νοῦν προσαγορεύει, καὶ αἴτιον. *Duo tantum omnium declaravit principia, Materiam itemq; Deum, quem & Mentem vocat, & Causam.* Et Valesius 1. Controv. 4. nimis perfunctorie Timæum percurrit, qui ex eo hanc hauserit sententiam, ac si non finem modo, sed & materiam ibi Plato inter causas retulisset: *Omnia* (inquit) *ex aliquo, & alicujus gratia fiunt. Hæ sunt duæ causarum species, necessario distinguendæ, quarum, ut Plato inquit in Dialogo de Natura, altera necessaria est, altera divina.* sed plurimum deceptus fuit Vir Doctissimus, quum non modo non utrumq; sed neutrum pro Causa Plato habuerit: sicuti præter illa, quæ antea dicta sunt, ex hisce, quæ nunc diximus, liquido apparet. qui enim solum Efficiens pro Causa habuerit, neque potuit Materiam Causis annumerare, neque Finem ita, ut eum (pro Mente Valesii & Aristotelis) omnino distinctum ab Efficiente Causæ genus faceret.

VII. Multo autem etiamnum gravius hallucinatus est Toletus, asserens Platonem sex causarum species statuisse, 2. Phys. quæst. 7.
quatuor nimirum Aristotelicas, & præterea exemplarem, ac instrumentalem: cum quo consentit etiam Suarez, dicens Metaph. Disp.
certum esse, quod Plato posuerit omnia genera causarum, 12. sect. 3. §. 6.
quæ Aristoteles posuit, & fortasse plura. & trita satis ac vulgo recepta est hæc sententia, ac vetus quoque, quam & Seneca secutus est. sic enim scribit epist. 65. *Quinq; causæ sunt, ut Plato dicit: id ex quo, id à quo, id quo, id ad quod, id propter quod: novissime, id quod ex his est. Tanquam in statua, id ex quo, æs est: id à quo, artifex est: id quo, forma est, quæ aptatur illi: id ad quod, exemplar est, quod imitatur is qui facit: id propter quod, facientis propositum est: id quod ex istis est, ipsa statua est.* Falluntur tamen, quotquot statuunt, Platonem tot Causarum species statuisse, quum ille, si ipsi de se credere æquum est, non nisi unam statuerit, puta Efficientem. Ortus autem ex eo error est, Platoni hæc ascribendi, quia Platonici vulgo tot

Cap. II. Causarum genera ponunt. Sed illi à magistro suo (utcunque ipsius verba torqueant) aperte desciverunt: cum nos abunde monstraverimus, illum de quatuor illis causis, quas ponit Aristoteles, solum Efficiens pro Causa agnovisse. ad Efficientem autem reducit & Exemplarem causam, & instrumentalem: sicuti de illa quidem non multo post probabimus; de ista verò libro quarto planum faciemus. Quantum verò ab eo abfuerit Plato, ut instrumenta absolutè pro causa habuerit, aut peculiare aliquod causæ genus constituere voluerit, apparet è Phœdone, ubi exemplo à partibus corporis sumto, nullo modo pati vult, ut ipsæ dicantur causa earum actionum, quæ per ipsas eduntur; magnæque socordiæ eos accusat, qui οὐχ οἷοί τε εἰσὶ διελέσθαι, ὅτι ἄλλο μέν τί ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δὲ ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτε εἴη αἴτιον. *nequeunt distinguere quod aliud sit Causa rei, aliud verò illud, sine quo Causa non posset esse Causa.* Et Materiam quoq; quàm non pro Causa habuerit, quum alibi sæpe declarat, tum valde aperte in Epinomide, ubi quum omnia entia divisisset in Animam & Corpus (per Animam intelligendo Efficientem, & per Corpus Materiam) sic ait: τὸ μὲν αἴτιον ἁπάντων, τὸ δὲ ἀναίτιον πάσης πάθης: *horum alterum* [Anima seu Efficiens] *omnium rerum causa est; alterum vero* [corpus sive Materia] *nullius affectionis est causa.*

VIII. Ex hisce omnibus apparet, Platonem præter Efficientem, nullam aliam Causam agnovisse: ac propterea judicatu facile est, quid statuendum sit de manifestissima illa Aristotelis in Præceptorem Platonem calumnia, qua negat illum Efficienti locum inter Causas fecisse. hoc enim manifesto sequitur ex eo loco, ubi ausus est scribere, Platonem non nisi Materialem ac Formalem Causam agnovisse. φανερὸν δὲ (inquit) ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι δυοῖν αἰτίαιν ἐστὶ μόνον κεχρημένος, τῇ τε τοῦ τί ἐστι καὶ τῇ κατὰ τὴν ὕλην. *Ex dictis manifestum fit, quod duabus tantum Causis usus sit, eâ quâ quid est, & materiali, ut jam* (1 Metaph. 6.) mirum non sit, si Priscis quidvis affingere sibi permisit,

misit, qui veritus non est, in re tam manifesta, id scribere, quod omnes, talium curiosi, scirent esse falsissimum; nimirum, Causam Efficientem Platoni agnitam non fuisse: qui adeo eam agnovit, ut nullam aliam agnoverit præter illam. Quare etiam falsum est, quod dicit, Platonem posuisse Causas Materialem & Formalem; nisi hæc exponas eo modo, ut Plato dicatur de quatuor illis Aristotelicis Causarum speciebus non nisi duas usurpasse; quibus verbis id modo falsi inest, quod Efficientem Platoni eripiunt: reliqua vero excusari possunt. non enim inferunt necessario, quod Plato Materiam & Formam Causæ nomine insigniverit, sed duntaxat, quod illa agnoverit: quale quid & antea, & in hoc ipso etiam capite, de consimilibus Aristotelis locutionibus monuimus. Si verò istorum verborum hæc mens est, quod Plato istis duobus tantum Causæ nomen tribuerit; illa falsitas, qua Plato accusatur Efficientem non habuisse pro Causa, cumulatur nova falsitate, quod idem Materiam & Formam numeraverit inter Causas. hoc enim à veritate alienum esse, inde apparet, quod supra ostendimus Platonem non aliud, quam Efficientem, pro Causa agnoscere.

IX. Haud quidem inficiamur, quin Ideas pro Causa habuerit Plato, non modo ob testimonium Laërtij, qui sic de ijs scribit, Τὰς Ἰδέας ὑφίσαται αἰτίας τινὰς καὶ ἀρχὰς, τοῦ τοιαῦτ' εἶναι τὰ φύσει συνεστῶτα, ὅπερ ἐστὶν αὐτά; *Ideas statuit Causas quasdem & Principia, per quas Composita naturalia sint talia, qualia sunt*; sed quia id clarum est ex verbis ipsius Platonis, apud quem in Phœdone de Ideis dicturus Socrates, ita prefatur: Ἔρχομαι ἐπιχειρῶν σοι ἐπιδείξασθαι τῆς αἰτίας τὸ εἶδος, ὃ πεπραγμάτευμαι; *Aggredior tibi ostendere Causæ genus, in quod inquisivi.* & postea rursus sic de ijsdem loquitur, φαίνεται γὰρ μοι, εἴ τι ἐστὶν ἄλλο καλὸν, πλὴν αὐτὸ τὸ καλὸν, οὐδὲ δι' ἓν ἄλλο καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ. καὶ πάντα δὴ οὕτω λέγω. Τῇ τοιᾷδε αἰτίᾳ συγχωρεῖς; Συγχωρῶ ἔφη; *Apparet mihi, si quid aliud est pulcrum, præter ipsum pulcrum, per nihil aliud esse pulcrum, nisi quia illius pulcri*

Cap. II. *particeps est? Nonne huic Causæ assentiris? Assentior, inquit.* In hisce verbis Ideæ apertissime causæ nomine insigniuntur. Hoc tamen non juvat Aristotelem, neq; inde sequitur, quod Formalem Causam, ab Efficiente diversam, Plato statuerit. Ideas enim ipse pro Efficiente habet, uti facile pervidebit, quisquis ea perpendet, quæ in Timæo super ijs tradidit. Esse nimirum uniuscujusq; rei species quasdam æternas, intelligibiles, nequaquam mutabiles; quarum simulacris in communem Materiam impressis, unaquæq; res hic apud nos generetur. Quicquid enim sunt nostratia, id esse τῇ τῶν εἰδῶν μεθέξει, *Idearum participatione*, quam μέθεξιν ipsæ Ideæ efficiant, suam Effigiem materiei communicando; quare etiam patri Ideas assimilat, sicuti Materiam matri. Tria enim dicens consideranda esse in omni generatione, τὸ γιγνόμενον, *rem ipsam quæ fit*, τὸ ἐν ᾧ γίνεται, *id in vel è quo res fit*, καὶ τὸ ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον, *id ad cujus exemplum conformatur id quod fit*, id est, ipsas Ideas, quas & τὰ ἀεὶ ὄντα *entia sempiterna* appellat, subjungit, Καὶ δὴ καὶ προσεικάσαι πρέπει, τὸ μὲν δεχόμενον, μητρὶ, τὸ δ᾽ ὅθεν πατρὶ, τὴν δὲ μεταξὺ τούτων φύσιν ἐκγόνῳ. *Licet assimilare suscipiens, matri; id verò unde, patri; ast naturam inter hæc mediam, proli.* non potuit manifestius Ideas inter Efficientes numerare, quàm patri eas assimilando: sic enim & alibi Efficientem Causam solet Patri assimilare, ut in Hippia majore, Εἰ ἄρα τὸ καλόν ἐστιν αἴτιον ἀγαθοῦ, γίγνοιτ᾽ ἂν ὑπὸ τοῦ καλοῦ τὸ ἀγαθόν. καὶ διὰ ταῦθ᾽ ὡς ἔοικε, σπουδάζομεν καὶ τὴν φρόνησιν, καὶ τἆλλα πάντα ὅσα καλά, ὅτι τὸ ἔργον αὐτῶν καὶ τὸ ἔκγονον σπουδαστόν ἐστι, τὸ ἀγαθόν. καὶ κινδυνεύει, ἐξ ὧν εὑρίσκομεν, πατρός τινος ἰδέᾳ εἶναι τὸ καλὸν τοῦ ἀγαθοῦ. *Si pulcrum est causa boni, sequitur ut bonum fiat à pulcro. ideoq; ut videtur, prudentiam atq; reliqua omnia pulcra exoptamus, quia opus ac proles ipsorum, putà Bonum, est optabile. videturq; ex ijs, quæ invenimus, Pulcrum se habere ad Bonum in modum patris.* Itaq; etiam illa μιμήματα imitamenta

menta seu ἀφομοιώματα *assimilamenta*, quorum in Materiam ingressu res generentur, ab ipsis Ideis dicit effingi, ὑποτυπωθέντα ὑπ᾽ αὐτῶν. Quare hoc quidem recte, non magni alias æris autor, qui libellum περὶ φιλοσόφου ἱστορίας, *de philosophica historia* dictum scripsit (impudentissime enim Galeno attribuitur) observavit, ita scribens de Ideis, ex Platonis sententia, Ἰδέα ἐστὶν οὐσία ἀσώματος, αὐτὴ μὲν ὑφεστῶσα καθ᾽ αὐτὴν, εἰκονίζουσα δὲ τὰς ἀμόρφους ὕλας, καὶ αἰτία γιγνομένη. *Idea est substantia incorporea, quæ ipsa per se subsistens, informi Materiæ imaginem imprimit, atq; causæ vicem præstat.* Neq; tamen propterea tollit proprios cujusq; rei Efficientes, sed ijs Ideas συνεργοὺς *adjutrices* adjungit, quæ opus suum faciant miro quodam & inenarrabili modo, τρόπον τινὰ θαυμαστὸν καὶ δύσφραστον.

Haud inficias imus quin hoc, quod in omni generatione duos hos Efficientes concurrere vult, Ideam, & qui proprie Genitor vocetur, delirij plenum sit, sicuti & totum hoc de Ideis negotium (de quibus planiora sunt tot in locis Platonis verba, quàm ut credere debeamus hominibus istis, qui persuadere mundo conantur, non res per se, sed in mente Divina existentes, eum Idearum nomine ubiq; intellexisse) non videmus tamen, cur ipsi minus hoc licuerit, quàm Aristoteli Solem ac cœlum omni generationi interponere: de qua re alias dicetur.

X. Itaque pro Causis quidem habuit Ideas Plato, non ita tamen, ut sejunxerit ab Efficiente, sed ejus speciem fecerit. ac proinde Præceptoris mentem manifeste pervertit Aristoteles, quando ipsi imponit, quod Ideas (quas haud dubie respexit, quum scripsit quod Plato usus sit τῇ τί ἐστιν αἰτίᾳ (*Causa qua quid est*) fecerit genus Causæ ab Efficiente diversum, ac Formali ipsius Causæ respondens; cum qua nullam certe ipsæ cognationem habent. Formis enim Aristotelicis quodammodo congruunt non ipsæ Ideæ, sed earum simulacra, quorum in materiam informem receptione (quomodo & Aristoteles Formas suas materiæ informi imponit) unaquæque res fiat. Plurimum autem inter ista

Cap. II. intereſt, ſicuti cuivis per ſe apparet, & clarius etiamnum fiet, aſcriptis huc Senecæ verbis ex Epiſt. 58. ubi Platonis de Ideis Idearumque ſimulacris ſententiam diligenter explicat. *Ideas* (inquit) *vocat, ex quibus omnia, quæ videmus, fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, inviolabiles, immutabiles ſunt. Idea enim eſt eorum, quæ naturâ fiunt, exemplar æternum.* Et adjicit exemplum, quo rem amplius declaret: *Volo imaginem tuam facere. exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat. ita illa, quæ me docet & inſtruit facies, à qua petitur imitatio, idea eſt. talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum, ad quæ, quodcunq; ab illa fieri debet, exprimitur.* Hæ igitur ſunt Platonis Ideæ: quibus nihil commune eſſe cum Forma Ariſtotelica, manifeſtum eſt. Magis cum iis, ut dicebamus, congruunt Idearum imitamenta, ut Plato vocat, qui nullum iſtis proprium nomen fecit. diſcipuli ipſius vocaverunt εἴδη, cum alioquin εἶδος & ἰδέα pro eadem plane re promiſcue uſurpata ſint tum ab ipſo (cujus rei ex Parmenide, Phœdone, ac Timæo, multa afferri poſſent exempla) tum ab Ariſtotele, ſicuti paſſim ex ipſius ſcriptis apparet, ubi multo ſæpius εἴδη quam ἰδέαι appellantur: ſicuti contra ἰδέας appellat interdum Plato ipſa idearum ἀφομοιώματα, ut hiſce in Timæo verbis, ἄμορφον ὂν ἐκείνων ἁπασῶν τῶν ἰδεῶν, ὅσας μέλλει δέχεσθαι ποθέν, *Informe atq; expers omnium illarum idearum, quas alicunde accepturum eſt.* Platonicis tamen placuit, hoc vocum diſcrimen invehere, ut commodiorem haberent viam ad tradenda magiſtri ſui placita. Quid autem ſint illa idearum imitamenta atq; εἴδη, ſic explicat Seneca, *Pictor cum reddere Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur: Idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, & operi ſuo impoſuit, εἶδος eſt. Quid interſit, quæris? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumta, & operi impoſita. alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem ſtatua: hac eſt Idos. habet aliquam faciem exemplar ipſum, quod intuens opifex, ſtatuam figuravit: hæc Idea eſt.*

Etiam

Etiamnum aliam desideras distinctionem? Idos in opere est, Idea extra opus; nec tantum extra opus est, sed ante opus. Quæ omnia exacte ad Platonis mentem dicta esse, deprehendet, quisquis Phœdonem, ac Parmenidem, & præcipuè Timæum legerit.

XI. Ex prædictis autem satis patet, quod dicebamus; Aristotelem male Ideas Formæ suæ assimilasse. Quod siquis dicat, eum, quando dicit Platonem agnovisse τὴν κατὰ τὸ τί ἐστιν αἰτίαν, non Ideas in animo habuisse, sed εἴδη, ipsa nimirum Idearum simulacra, quæ in materiam imponuntur; neq; sic rem expediverit. Namque fatemur quidem, illa εἴδη magnam in multis habere cum Forma Aristotelica cognationem, ac propterea licuisse Aristoteli dicere, quod Plato Formam ipsius quodammodo agnovisset; verè tamen dicere non potuit, quod Plato εἴδη pro causa habuerit (multo minus, quod illa duntaxat, & Materiam, Causas fecerit) siquidem Plato Idearum imagines, quæ Materiæ sociantur, nunquam Causas appellavit; ac neq; appellare potuit, quippe qui solum Efficientem pro Causa agnoscat: Idos autem (quomodo nunc cum Seneca ac Platonicis hanc dictionem usurpamus) ipsi non est Efficiens, sed Ideæ Effectus.

XII. Verumtamen sive Ideas, sive εἴδη intellexit Aristoteles, quando scripsit Platonem usurpasse τὴν τοῦ τί ἐστιν αἰτίαν; hoc manifestum est, eum nimis calumniosè tractasse præceptorem, scribendo, quod hac solum & materiali causâ usus sit, hoc est, quod aliam Causam non agnoverit, ac propterea ne Efficientem quidem; quum tamen clarum sit ex Platonis scriptis (uti supra monstravimus) quod solum Efficientem Causæ appellatione donaverit. Unica restat Aristotelem excusandi ratio, si dicatur ita explicanda esse hæc ipsius verba, quomodo ea explicare voluisse videtur Toletus, Comment. ad 2. de Gener. & Corrup. 9. *quod nimirum Plato putaverit Causam Formalem esse simul Efficientem illiusmet, cujus est Forma.* sed hæc explicatio admitti nequaquam potest; tum quia ne hoc quidem verum est, quod

Cap. II. hic dicitur; tum quia id ex Aristotele elici non potest. Non esse verum, ex ijs liquet, quæ supra diximus; quod nimirum non Ideæ respondeant Formæ Aristotelicæ, sed Idearum simulacra. efficiendi autem vim non simulacris, sed ipsis Ideis Plato tribuit. quamobrem vere dici non potest, Formam & Efficientem Platoni idem esse. Præterea hæc expositio manifeste pugnat cum verbis Aristotelis, qui cum in illo primo Metaphysicorum examen instituat, quasnam de quatuor ipsius causis agnoverint vetustiores ipso Philosophi; postquam aliorum historiam absolvit, dixitq; quosdam solam Materiam, quosdam Materiam & Efficientem, nonnullos etiam Finem agnovisse; tandem ad Platonem deveniens, ait, eum sola Materiali & Formali causa usum esse, delibata etiam quodammodo Finali; quibus verbis apertius nihil dici potest, ad asserendum, quod Plato Efficientem Causam non posuerit. Confundit ille quidem, & in illo libro, & in alijs, Exemplaria cum simulacris, atque ad eum modum de ijs loquitur, acsi sensisset Plato, ipsas Ideas esse rerum generatarum Essentiam sive Formam; ut propterea, congruenter isti confusioni, potuerit etiam dicere, Causam Efficientem ac Formalem Platoni eandem esse, quum ille Ideas habuerit pro Efficiente; quod & dicit aliquatenus primi Metaphysic. sexto: sed pluribus tamen in locis, & quidem ijs, ubi ex professo hanc rem tractat, omnino negat, Ideas esse Efficientes, sed tantum Formam. etenim in ipso capite sexto primi Metaphysicorum, sic scribit: Τὸ δὲ τί ἦν εἶν', καὶ τὴν οὐσίαν, σαφῶς μὲν οὐδεὶς ἀποδέδωκε, μάλιστα δὲ οἱ τὰ εἴδη, καὶ τὰ ἐν τοῖς εἴδεσι τιθέντες, λέγουσιν. οὔτε γὰρ ὡς ὕλην τοῖς αἰσθητοῖς τὰ εἴδη, καὶ τὰ ἐν τοῖς εἴδεσιν, οὔθ' ὡς ἐντεῦθεν τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως γινομένην ὑπολαμβάνουσιν, &c. *Quidditatem & Essentiam dilucide nemo tradidit, ij tamen præcipue attingunt, qui ponunt ideas, eaq; quæ ad Ideas attinent. Neq; enim existimant sensibilium Materiam esse Ideas, & quæ ad Ideas spectant, neq; item id, unde motus proficiscitur.* Et postea rursus capite septimo, non procul à fine libri: Ὅλως δὲ ζητούσης

τῆς σοφίας περὶ τῶν φανερῶν τὸ αἴτιον, τοῦτο μὲν εἰάκαμεν· οὐθὲν γὰρ λέγομεν περὶ τῆς αἰτίας, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς· τὴν δ' οὐσίαν οἰόμενοι λέγειν αὐτῶν, ἑτέρας οὐσίας εἶναι φαμέν. *In totum autem quum ſapientia quærat cauſam eorum quæ manifeſta ſunt, hoc quidem facere omiſimus: nihil enim dicimus de cauſa, unde initium mutationis: putantes autem nos eſſentiam eorum exponere, alias ſubſtantias inducimus.* in quo. ſane loco non modò expreſse negat, Ideas Platoni pro Efficientibus haberi, ſed & renovat ac confirmat calumniam illam, quod Plato nequaquam agnoverit Cauſam Efficientem, quodq; nihil de ea dixerit. quo mendacio impudentius nihil fieri poteſt, quum adeo pro Cauſa agnoverit Efficientem Plato, ut non aliam agnoverit niſi illam (quod jam ſæpius repetere coacti ſumus) & plurima dixerit de Efficiente, tum de Univerſali, ipſius Mundi opifice, ut ex Timæo notum eſt; tum de particularibus, ſicuti vel illa, quę ex decimo de Legibus allegavimus in Sectione quarta, abunde teſtantur. Quicquid igitur & alij dicant, & ipſe Ariſtoteles; nobiſcum in eo ſenſit Plato, quod ſolus Efficiens Cauſæ nomen mereatur, quodq; nulli rei hæc appellatio donanda ſit, niſi in quantum vi aliquid faciendi atq; producendi prædita eſt. quem Platonis, Stoicorum, aliorumq; hac in parte nobiſcum facientium conſenſum, non eſt cur vereamur opponere & anteferre autoritati Ariſtotelis, qui alijs quoq;, nulla efficiendi vi præditis, aut ſaltem non eo reſpectu, Cauſæ nomen communicandum putavit.

Cap. II.

XIII. Sed & vulgatus omnium hominum loquendi uſus idem hoc confirmat, atque ſoli Efficienti Cauſæ nomen atque dignitatem tribuit. Quum enim omnes τὸ αἰτιατὸν ſive Effectum pro Cauſæ correlativo habeant; ſi quis quærat, hoc aliquid cujus rei Effectum ſit (quod plane eundem habet ſenſum, acſi alijs verbis quæratur, quæ ſit Cauſa hujus alicujus; quomodo eodem redit, dicaſne, cujus filius eſt hic, an verò, quis eſt hujus pater) nemo, qui Ariſtotelis doctrinâ non imbutus ſit, materiam, nec aliud quid

afferet,

Cap. II.

afferet, sed Efficientem. ut siquis quærat, cujus effectum sit ensis vel scamnum, non de ligno aut ferro, sed de fabro (faber autem est Efficiens) respondentes audies. dicere autem quod ensis sit effectum fabri; idem est ac si dicas (sicuti jam nunc ajebamus) Fabrum esse Causam ensis: quum istæ duæ propositiones æquipolleant, eundemq; plane sensum in se contineant. Clarum hoc est, nec ipsi possunt diffiteri Peripatetici; de quibus Zabarella, [a] *Efficiens* ait *absolute effectus Causam dici*; & Conimbricenses, [b] *Quando causa spectatur ut ordinem habens ad Effectum, solam Agentem Causam complecti.* Quod verò ijdem, ad solvendam hanc objectionem, respondent, *nimis pressam esse hanc usurpationem, quâ Causa spectatur uti ordinem habens ad effectum*, frigidum est, neq; aliter accipiendum, quam si dicerent, displicere sibi hanc loquendi consuetudinem, utpote cum suæ scholæ institutis parum convenientem. quæ responsio nullum pondus habet contra eam argumentandi Formam, quâ nos hic utimur, quamq; in ipsa apud omnes recepta loquendi consuetudine fundamus. Iam sicuti minime nefas est in Philosophia à vulgato loquendi usu discedere, quoties id res exigit; ita non videmus, quare id faciendum sit, quando neq; evidens aliqua ratio urget (qualem hic ab Aristotelicis vix ullam posse afferri putamus, quæ præceptorem eorum permoverit, ut hanc innovationem introduceret) & insignes Philosophi vulgatæ illi sermonis consuetudini subscribunt: quod illustrissimos ante ac post Aristotelem Philosophos hic facere, monstravimus. Et has quidem rationes habuimus, quare soli Efficienti, contra quàm Aristoteles, Causæ nomen proprium faceremus, neq; ulli rei id impertiremur, nisi quatenus ad Efficientem reduci potest, ac quædam Efficientis species constitui. Atq; hinc porrò apparet, quod in hujus sectionis initio diximus, quamobrem generali de Principijs tractationi Causarum tractationem (id quod Aristoteles fecit) non permisceamus. Et hîc quidem primus liber finem nobis habeto.

[a] Lib. de Ortu & Interitu prope finem.
[b] 2. Phys. 7. q. 1. art. 1.

FINIS.



EMENDANDA.

Per Operarum incuriam aliquammulta errata irrepserunt; quorum pleraq; etiamsi talia sunt, ut quivis attentus Lector ea nullo negotio per se emendare valeat, omnia tamen hic repræsentanda atq; corrigenda censuimus.

Prior numerus paginam; alter lineam sive versum; duo puncta in principio vel fine, vocem decurtatam; A. addenda; D. delenda denotat.

2, 25, possi.. l.possu] 5, 6, incæp.. l.incep] 7, 15, τίπκ. l.τίπτ] 9, 15, ..corum, l.carum] 10, 33, ἔκ.. l. ἐκ] 12, 35, diec.. l.dice] 13, 6, ..verint, l. verunt] 19 33, sint, l. sunt] 19, 36, l. ἀρχὴ] 20, 18, sint, l.sunt] 28, 27, ..dicur, l. detur] 32, 12, ..ontem, l.onem] 32, 27, πρό.. l.πρό] 34, 21, ὅμο.. l.ὅμοι] 43, 26, sint, l.sunt] 47, 32, ..mas, l.mis] 48, 23, ..gantur, l.guantur] 61, 26, appella.. l.applica] 73, 27, ęquę, l.æquè] 79, 23, ullam, l.nullam] 79, 29, ponten.. l.poten] 49, 31, ..patus, l.patas] 80, 28, ..cipo, l.cipio] 85, 33, ..on, l.no] 98, 13, &, l.aut] 99, 21, ..vent, l.vant] 99, 34, ..mms, l.mus]

101, 14, ὁμά.. l.ὁμοί] 104, 23, ut fit, l.fit ut] 106, 3, ..mns, l.mus] 106, 20, ..nus, l.nius] 107, 30, ..inm, l.ium] 108, 17, ..ria, l.riæ] 112, 10, ..nemus, l.nens] 136, 24, πρεσn.. l.πρεστ] 137, 24, ..cei, l.ciei] 143, 8, nu.. l.un] 144, ult. requiritur, l.relinquitur] 148, 19, illum, l.ullum] 164, 5, veleut, l.velut] 165, 17, ..dunt, l.dant] 186, 6, ..quis, l.que] 168, 10, ..tim, l.tum] 177, 22, A.quę *ante* formas] 182, 6, A.certum *ante* sit] 193, 34, ..cratem, l.crati] 199, 22, plæ.. l. præ] 204, 17, subjecto, l. subito] 207, 17, ..stere, l. sistere] 213, 26, ..reus, l.remus] 216, 1, ..one, l. onis] 11, ..cipis, l. cipijs] 14, D. *alterum* &] 15, sęps, l.sæpe] 28, A. illo *post* sub] 35, χεῖ, l.χεῖα] 217, 9, sun.. l.syn] 233, 13, ..bitatem, l. bilitatem] 240, 30, statim, l. statui] 241, 14, ..lare, l.lari] 244, ult. ἰσὶ, l.ἰωὶ] 246, 7, D.per *a*.quam] 247, 17 ..nant, l.nat] 248, 33, ῥᾶς, l.ῥᾶς] 250, 3, sic, l.si] 252, 7, à Suar.. l.et Suar.] 30 D. *secundum* hic] 254, 22, quę, l.qui] 25, ..rata, l.rati] 257, 6, D.non] 260, 18, tavis, l.tativis] 21, D. & magis etiam quàm præcedentem] 23, dissimul.. l.dissimil] 261. 8. Suut, l.Sunt] 264, 7, diversi generum. jungantur ista in unum] 265, 32, ..petera, l.pterea] 266, 36, Met.. l.Mat] 270, 14, hujus l.istius] 273, 22, asserit, l.dicit] 274, 20, D.sed] 283, ult. insta, l.justa] 285, 13, divivi.. l.divi] 33, fiant, l.fiunt] 286. 13. quoq; l.etiam] 287, 23, è sex, l.ex] 299, 35, intensi ..l.intenti] 302, 2, huic, l.huc] 303, 5, ..dem, l.dam] 304, 3, ipse, l.ipso] 306, 13, calor, l.color] 311, 11, A. compositivis *post* principijs] 313, 14, *a*.sex, A.quinq; vel] 320, 1, Pho.. l Phi] 324, 29, ..rer, l.ter] 330, 26, ..mena, l.menta] 337, 28. ab. l.ob] 342, 10, ἕτερον, l.ἑτέρων] 353, 23, ..verit, l.verint] 354, 2, So.. l.Sto] 356, 4, Οεῖον, l.Θεῖον] 357. 6. Causa, l.Causas 360, 19, ..disset, l.sisset]

EMENDANDA IN DISTINCTIONIBUS, aliáq; extra ipſas Textus voces.

173, in ſummo, A.CAP.I.] 249, in ſummo, itemq́; 252, 253, 256, 257, 259, pro SECT. II. l. SECT. I.) 210, in marg. A. & *ante* corr] 229, *in ſummo pro* 226, l. 229] Parentheſeos nota addatur, 348, 3, *poſt* faciat. eadem tollatur 258, 15, *p.* mens : & 16, *a.* ſicuti. COLON addatur : 302, 35, *a.* tale) 357, 5, *poſt* cauſam) Mutetur in comma : 280, 21, *p.* ..rella] 283, 9, *a.* ſed] 358, 17, *p.* cauſa] SEMICOLON mutetur in Colon : 23, 10, *p.* poſſit] 263, 22, *a.* Sed] COMMA mutetur in colon : 33, 22, *a.* Imo) 135, 3, & 151, 1, *a.* Nam) in ſemicolon : 40, 34, *p.* primam) 155, 25, *p.* ..culatur) in hypocolon : 75, 22, *p.* Fonſeca) COMMA ADDATUR : 26, 6, *p.* ipſos) 78, 19, *p.* Veritas) 96, 32, *p.* deleri (auferendo id quod eſt ante ipſum) 100, 14, *a.* eſt) 151, 4, *p.* teſtimonijs) 176, 10, *a.* imò) 243, 27, *p.* ſitatum) 252, ult. *a.* ubi) 258, 31, *p.* res) 262, 14, *p.* cœleſtia) 30, *p.* dicuntur) 263, 10, *p.* ratio) 273, 22, *a.* aſſerens) 276, 15, *p.* Forma) 283, 20, *a.* ubi) 314. penult. *a.* ſed COMMA DELEATUR : 40, 28, *a.* varietas) 52, 6, *a.* generatio) 58, 15, *a.* ad) 63, 4, *p.* forma) 130, 34, *p.* effecerit) 182, 9, *a.* docuerit) 257, 26. *p.* eos) 262, 31. *a.* ergo) 32, *p.* ortus) 287, 5, *p.* partibus) 325. penult. *a.* eo.

Et alia, præter hæc, circa diſtinctiones errata ſæpius occurrunt, ſed minoris momenti, quæ propterea hic omittenda, ac lectoris correctioni relinquenda duximus : uti & ea, quæ paſſim in vocum Græcarum aſpirationes atq; accentus peccata ſunt, dum vel omittuntur, vel ſuperflue adduntur, vel tranſponuntur, vel unum genus pro alio adhibetur : quæ omnia ſicut ſenſui nullum damnum adferunt, ita à quovis linguæ Græcæ vel leviter perito facillime emendari poſſunt.

LECTORI BENEVOLO.

Nequem turbent contrariæ expoſitiones axiomatis Ariſtotelici (Principia ſemper manere oportet) à nobis allatæ pag. 201. p. & 335. m. ſciat, priore loco nos iſti axiomati aptaviſſe eam expoſitionem, quæ ipſis verbis per ſe conſideratis maxime quadrare, atq; ex omnibus minimum abſurditatis aut falſitatis continere videbatur. Poſteriore autem loco eum ipſi ſenſum tribuimus, quem collatio diverſorum minimeq́; dubiorum locorum poſtea nos docuerat ab ipſo Ariſtotele ipſi attributum fuiſſe : quum alioquin id, quod verbis iſtis ſic intellectis dicitur, ſit falſiſſimum (uti ibi monſtratur) ob quam cauſam Alexandri expoſitionem (quam nunc apparet cæteris omnibus præferendam ac veram eſſe, ſi ipſius Ariſtotelis mens ſpectetur) tunc rejiciebamus. Itaq; quæ ibi dicta ſunt, innixa expoſitioni iſti meliori quidē, ſed à mente Ariſtotelis alienæ, pro non dictis habentor : & à nobis ipſis fuiſſent deleta, niſi ſerius hoc animadvertiſſemus.

Priores cifra Caput; posteriores, paragraphos indicant. Numerus Romanus, in medio positus, Sectionis index est. Cifræ solitariæ, vel quibus p. *præmittitur, paginas libri denotant. Post ciferas* p. *principium :* m. *medium :* f. *finem paragraphi aut paginæ, prout alterutrius notis apponuntur, designant : ast* t. *declarat toto paragrapho, tota-ve pagina, rem eam, de qua agitur, pertractari. Asteriscus præfixus denotat dogmata nostra, hoc primo libro obiter tantum & per occasionem delibata, sed sequentibus libris, suo quodq; loco, plenam probationem acceptura.*

ARISTOTELICI.

Scoli: *naturam* *In-synonyme.* *lapid.*

E

Substan-

EEE

FINIS.

iq.v lutherano non m'amazzate e crederò a [illegible] come Voi.

F. girolamo, che andò in tolosa [illegible] inquisiti ~~ecc fece~~ pregò alla madonna e fù liberato.

est quoddam Jus seu rectum Infalsificabile.

proprium naturæ, naâ Vel naturale Est. Indepropriabile, inabolibile, Inauferibile: qd per se est, non pt Impertinentisari, quod per accidens est, non pt perseisari.

Deus pravum bonificare non pt.
Deus bonum malificare non pt.
Deus à Vero deviare non pt.
Deus seipsum pervertere non pt.
Deus non ht lubentiam suæ rectitudinis
Deus necessario et Immutabiliter rectus est.
Veritas est Nomen Necessitatis non Libertatis.

4# 15
1—1# 10/ de naturali pudore f. — f 1—15
2—10# 10/ descartes de homine f. — f 3—
—— geometria descartes f. — f 10—
15 15/ horny area neops. in. — f 1—
4—10 3# grotius de Jure belli f. — f 5—
—— patricius f. — — f 16—
5—10 4# 10/ laudius & Vian — f — f 6
15/
14.15
12# 5/